

I O A N N I S M E V R S I

G V L I E L M V S


A V R I A C V S,

S I V E,

De rebus toto Belgio tam ab eo, quam
ejus tempore, gestis; ad excessum
Ludovici Requesensii.

P A R S P R I M A.

Tributa in libros decem.



A M S T E L O D A M I,

Apud G V I L I E L M V M & I O A N N E M B L A E V,

C L O I O C X X X V I I I.

JOHANNES WILHELMUS
G. V. L. I. E. M. V. S.

A. V. R. I. A. C. V. S.
S. I. V. E.

De Republika Belgio tota ad eo, quam
eius imperio, y. illa, ad excellentiam
Ludovici Reipublice.

P. A. R. I. S. I. M. A.

Libera in hunc deum.



AMSTEROEDAMI
Apud Guiljelmum & Joannem Neaume
CLO 13 CXXXVIIII

I L L V S T R I S S I M I S,
E T P O T E N T I S S I M I S,
D O M I N I S,

O R D I N I B V S

G E N E R A L I B V S

Fœderatarum Belgii provinciarum, Historiæ de liber-
tate Reipublicæ Patrum suorum felici auspicio,
Gulielmi Auriaci invicta virtute, restituta,
Partem Primam, Ioannis Meursius
dedico, confecroque.

I L L V S T R I S S I M I S,
E T C E L S I S S I M I S,
P R I N C I P I B V S,

M A V R I T I O,

D. G. P R I N C I P I A V R I A C O,

Comiti Nassovio, &c. Marchioni Veriæ, & Vlissingæ. Ba-
roni Bredæ, &c. Dynastæ Polanæ, &c. Præfecto Gelriæ,
Hollandiæ, Zelandiæ, Westfrisiæ, Zutphanæ, Vl-
trajecti, & Transfulaniæ; supremo exercitus
Imperatori, Præfecto maris generali, &
aureæ Periscelidis Equiti:

I T E M

H E N R I C O

F R I D E R I C O,

N A T O P R I N C I P I A V R I A C O,

Comiti Nassovio, &c. Dynastæ Gertrudisbergæ, &c.
Præfecto Flandriæ, & equitatus Fœd. Provinc. uni-
versi, hujus Paternarum virtutum, & maximo-
rum in Remp. meritorum, monumenti
Partem Primam Ioannes Meursius
dedico, confecroque.





ILLVSTRISSIMI, POTENTISSIMI, ET CELSISSIMI, DOMINI, AC PRINCIPES.

Mos antiquus hactenus obtinet, uti viri literati lucubrationes suas aut Principibus, in obsequii testimonium, aut amicis, in affectus certi pignus, dedicarent. is me tenuit, ne sine ullo patrocinio Opus istud divulgarem. Itaque, cum patronum mihi capiendum existimarem, vos hic implorandos esse advertebam. Quippe quæ à Patribus vestris in Rempublicam beneficia, juncta opera, & consilio, sunt collata; illa, in literas relata, junctim quoque eorum heredibus consecranda arbitrabar. Neque dubitare audebam, quin acceptum hoc monumentum etiam habituri essetis. nam eorum, quibus vos debetis plurimum, cum memoriam veneremini, quonam modo scriptis illam celebratam, & Posteritati traditam, non libenter videatis? Estis autem, ILLVSTRISSIMI POTENTISSIMIQUE DOMINI, in hoc Opere inventuri, quæ ab Avis, Patribusve, aut Consanguineis vestris, gesta; ut antiquam Reip. libertatem vindicare, ac vindicatam vobis tradere in manus possent. Vos quoque, ILLVSTRISSIMI ET CELSISSIMI PRINCIPES, non quæ Pater tantum vester, immortalitate dignus, nunquam moritura, fecit; verum Patruum etiam vestrorum, Ludovicus, Adolphus, & Henricus: qui, cum sese pro Rep. tanquam Curtii, Deciive, devovissent, gloriosa omnes morte ceciderunt. tum Bergensis quoque, Avunculus, memoratur; qui initio cum libellum etiam ipse obtulisset, mox in Gellia, & Tubantibus, sumptis armis, postquam preces nil valerent, urbes multas expugnavit. & Guntherus Swartsenburgicus, ac Wolfgangus Hohenlous, item Avunculi, hic leguntur, qui afflictæ Reip. pacem reddere, in conventu Bredæ habito, maximopere sunt conati. Horum omnium virtuti, meritisque, si, quod posui, monumentum non ingratum vobis fuerit, quæ supersunt, porro absolvam. Quare enixè valde rogo, ut benignitate vestra me deinceps foveatis, Reip. vestræ civem, vobis subditum, clientemque, devotissimum. Ita vobis,

ILLVSTRISSIMI, POTENTISSIMI, ET CELSISSIMI, DOMINI, AC PRINCIPES,

vitam Deus quam longissimam largiatur; faciatque, quod vovetis, ac speratis, ut Remp. semper salvam, & florentem, habeatis. Lugd. Bat. ad diem XXI Decembris, Anno c1o 1o cxx.

I O A N N I S M E V R S I
G V L I E L M I
A V R I A C I

Partis Primæ

L I B E R I.



VIRORVM principum vitas scribere, usitatum, & laudatum, ab omni ævo; ac visa adjuvari virtus, dum describitur: acuitque generosiores animos, si repræsentata videant, quæ præclare ab aliis gesta; dum, exemplis stimulat, in exemplum sibi quoque vivendum putant. adde, quod res ea mores etiam emendare solet; & virtutem fere discit, quisquis legit. quin prudentiam item affert, dum consilia, eventusque, & momenta eorum omnia, considerate perpenduntur: ac præcepta bene gerendæ rei publicæ, aut agendæ vitæ suæ, unicuique Historia præbet, cum alienam ob oculos ponit. Itaque mihi, quæ Gulielmo Auriaco gesta pro Reip. libertate, Ordinum foederatorum auspiciis, cum memoria posterorum sint dignissima, ne hæc illi ignorare unquam possint, monumento hoc consecrare visum fuit. Interest enim Reip. ut fundata consilia ejus, & firmata est, restituta summa animi magnitudine, & constantia plane invicta, libertate; ita etiam memoriam tanti beneficii, cum quo aliud comparari nullum potest, sempiternam conservari.

Gens Nassovia in Germania antiquissima, & illustrissima. Non incerta temporum dicam, & hiulca, quæque fabulis propiora. ab indubitato principio annos plus nongentos habet. Multi in ea pace juxta, ac bello, clari; inter quos Adolphus præstat. qui virtute, quam fortuna, multo melior, ad Imperium evectus fuit. Inde hic Gulielmus Auriacus sese offert, nulli

majorum secundus; Imperio si non potitus, tamen dignus. qui prudentia longe maxima, armis modicis, vim Hispaniarum regis, toto orbe potentissimi, postquam diu sustinisset, cum nequaquam vinci posset, interfectus, instauratam à se Belgii foederati libertatem Mauritio filio porro consummandam tradidit. Natus autem est Dillemburgi, anno à Christi nativitate

MDXXXIII, ad diem XVI Aprilis, patre item Gulielmo, Nassoviæ, Viandæ, Dietzæ, Dillemburgi, & alibi, comite; matre vero Iuliana Stolbergenfi, fecunditatis adeo felicitis foemina, ut, cum decederet, anno LXXVII ætatis suæ, prognatos ex se filios pariter, filiasque, nepotes, neptes, pronepotes, & proneptes, centum sexaginta haberet. In prima ætate Carolo V Cæsari traditus, annos novem in cubiculo ejus egit. qui in puero cum ingenium, rerum maximarum capax, indolemque, ad suprema laudum factam, animadverteret; dignum censuit, quem cum cura ad res quasilibet capeffendas educaret, & instrueret. itaque ad arcana quamvis negotiorum etiam adhibuit; ac frequenter, cum legati principum audiendi essent, clam habenda oratione, remotis cæteris, unum hunc admisit tamen; & abire una cum aliis cupienti, *Mane princeps*, inquebat. Isto modo educatum, cum spem ejus implevisset, mox honoribus summis auxit.

successor datus, qui cum summo imperio esset; annos tantum unum & viginti natus, & quidem ab aula absens, in qua multi tunc virtute militari celebres viri, Bossuvius, Lalanius, Rossumius, Egmondanus, Megensis, Arenbergicus, aliique; quos Senatus, & regina item Maria, commendabant. quique ob ætatem, adhuc tanto oneri immaturam, aut absentiam, numerumve aliorum, qui imperio isti pares, præteriri non injuria potuisse, aut debuisse, videretur; magnam adeo in animo Cæsaris spem virtutis suæ accendat, ut juvenis, absens, & à nemine commendatus, etiam præter voluntatem, multis aliis præferretur. Itaque cum hac potestate legatus Cæsaris, desinente mense Augusto in castra venit, novis Germanorum auxiliis pridem aucta. ubi ita sese gessit, ut abunde expectationi Cæsaris satisfaceret, & invidiam inimicorum facile vinceret. ac prima sane cura fuit, inchoatam Carolomontii munitionem latius pandere, & ad vallem usque extendere, in qua Galli, propulsatis Cæsarianis, substitissent. inde medio fere Septembri eductis copiis, tanquam Marienburgum petere destinasset, Fagnolium castellum adortus, quod à Gallis tenebatur, expugnavit, perbenigne militem præsidarium habens; qua re ipsius etiam hostis laudem obstrinxit. occupato jam Fagnolio, & exercitu præter Marienburgum ducto, Convinium petiit, ubi aliquod à Nivernio præsidium erat. quo dilapso, turrim ibi munitam diruit, castraque ad Solturium duxit; nec ante movit, quam Philippopolim contra impetum Gallorum permuniret. quod majoris laudis fuit, quia Nivernius, & Colignius, præstantissimi belli duces, objecti essent; insuperque exercitum pestis infestaret. His peractis, collocato Carolomontii, & Philippopoli, præsidio, reliquo milite in hiberna distributo, revocante Cæsare, Bruxellas rediit. Animum enim is induxerat, regna Philippo filio tradere, & vitam porro à regnandi curis liberam, raro principum exemplo, instituere. id, cum magni Auriacum faceret, nisi coram illo voluit; itaque, è castris revocatum, adeste jussit. quin, quod summi affectus signum omni-

bus habitum, in confessum cum veniret, eius humero nitebatur; ceu non parum in fide ipsius, ac virtute, se acquiescere testaretur. & mox item, cum jam regna tradidisset, præcepta imperandi addit, coram ipso; quasi eum in præsens testem, olim vero, si negligeret, etiam monitorem vellet. tum seorsim commendata quoque prudentia, adhortatur; ne in rebus maximè arduis quicquam sine eo gereret, neu consilio quenquam ante ipsum poneret. Anno CLO IO LVI rex Philippus, cum aurei velleris festum Antverpiæ Ianuario mense ageret, in equestrem istum ordinem etiam ipsum cooptavit. moxque Cæsar, una cum Gregorio Sigismundo Seldio, qui tunc vicem cancellarii obtinebat; & Wolfgango item Hallero, qui ab epistolis, in Germaniam ire jubet: ut imperii coronam Ferdinando fratri ferret, cui imperium jam tradiderat. quam legationem etsi detrectaret, valde obnitens, deprecansque, & apud Cæsarem, & Mariam, ejus sororem; ne imperii illa insignia, egregia progenitorum opera capiti olim ipsius imposita, auferre ad alium cogeretur: obtinere tamen preces minime potuit; arbitrantibus, ad honorem id pertinere. itaque obsequendum fuit. Verum tamen res dilata in biennium; seu quod, postquam è Belgio Cæsar discessisset, ruptis inter Galliarum regem, & Philippum, jam induciis, de belli exitu animi suspensi essent; seu quod tres tunc è Septemviris, Palatinus, Trevirensis, & Coloniensis, recens diem obiissent; quique iis substituti, rebus suis ordinandis tenerentur. Anno CLO IO LVII, reverso ex Anglia Philippo, mense Julio, cum Sabauda, Arscotano, aliisque, collecto exercitu, ceu Guisæ obsidendæ, Sanguintini obsidionem, Gallorum clade memorabilem, adjutum ivit. Annus sequens CLO IO LVIII per initia fatis gravis, mox benignior. Luctu eum, & honoribus, varie affecit. Nam & mense Februario uxorem amisit, quæ tunc in Bredana arce diem obiit; & defuncto Maximiliano Burgundo, in Hollandiæ, ac Zelandiæ, Frisiæque, & Ultrajecti, præfecturam est subrogatus. quin legationem etiam, ante biennium imperatam, & rejectam,

jectam, uti supra commemoravi, tunc obivit; ac coronam, imperii insigne, Ferdinando Cæsari tulit. dein, cum belli Gallicani rex Philippus jam pertæsus, quia iter in Hispaniam cogitaret, finem illi imponere vellet, hujus prudentiæ rem commisit. isque, cum rex adeo in pacem propenderet, ut quovis eam pretio cuperet impetratam, nec se magis ullo officio devinciri ab ipso posse testaretur; Momorantii, & Sant-Andreani, opera tantum effecit, ut de illa mox colloquium haberetur; ad quod ipse cum Albano, Melitensi, Perenotto, Viglioque, delegatus mense Octobri, & negotio per Mariam, Angliæ reginam, quæ Caletum reddi urgebat, interrupto; anno proximo MDLIX, mense Aprili ineunte, tandem etiam in castello Cameracensi constituta est; quanto cum Henrici damno, tanto cum Philippi honore: atque fructu. quippe illi, & Sabaudis, pro Quintini tantum fano, item Hana, Castelleto, ac Taruenna, loca supra quadringenta, aut, ut hi, qui minimum tradunt, centum nonaginta octo, quæ præfidio tenebantur, restituta. ipsi certe Galli fassi, nullam terræ suæ pacem magis turpem, aut pudendam, fieri unquam potuisse. Atque ut pacis hujus auctor, ac promotor, summus fuerat; ita obses quoque ejus, quando sic conventum erat, cum Albano, Arscotano, & Egmundano item, datus: simul etiam, ut solennibus nuptiarum Henrici filix, regi Philippo desponsatæ, interesset. Qua de causa dum in Gallia commoratur, clam Henrico cum Albano agitante de tollendis passim omnibus, qui per Galliam, Belgiumve, immo orbem Christianum universum, reformatæ religioni addicti essent; ipsum quoque, qui negotiis tantis additus, nihil horum ignorare existimante; ideoque, de industria conscientiam simulanti, hoc consilium exponente, ille quam ægerrime ferens homines multos, famæ integros, opibusque in his excellentes quosdam, neci instar victimarum destinari; & sortem miserorum dolens, subveniendum ipsis ratus, si qua posset, concepto in Hispanos odio, de ejiciendis iis Belgio toto, cui obstrictum se putaret,

cogitare serio cœpit. neque prius conquirit, quam, Sabauda intercedente, ac fide data, Rhemis sese adfuturum, cum Franciscus, ejus nominis secundus, regno inaugurandus esset, redeundi in Belgium veniam impetrasset. Pace ita constituta, cum Philippus in Hispaniam cogitaret, Belgiumque Margaretae Parmensi sorori gubernandum tradidisset, convocatis mense Augusto in urbe Gandavensi Ordinibus, etiam hunc adjunxit illi, qui cum Antonio Perenotto, Egmondano, Glaionæo, Barlamontio, Viglioque, foeminam principem, sexu suo, ac natione, Reipublicæ Belgioque administrando minus parem, in negotiis longe maximis sua prudentia adjuvaret: turmæ etiam ordinariæ præfecturam, & tribunatum Hispani militis, quo is cum minore invidia relinqui in Belgii limite posset, capere jussit. Ac cum multa, in perniciem certam Belgii, agi cerneret; obviam ire malo cupiens, rogare equestris ordinis proceres, & nonnullos è Senatu Belgico, instituit, *Vti Hochstratam convenirent: illic se, quæ rei publicæ expedirent, indicaturum. in discrimen summum adductum Belgium esse, & civile illi bellum impendere; se obstrictos sacramento ordinis sui, munerisque ratione, ut providerent, ne quid detrimenti capiat. idque inproclivi etiam, si remedia necessaria adhibere tantum velent. ante omnia Granvellani reprimenda esse consilia; eorumque, qui hunc ducem sequerentur: quibus unum hoc propositum videatur, ut cadibus, relegationibusque, & bonorum publicationibus item, Belgium universum perdant. quæ si illi porro agant, neque ipsi obnitantur, eventurum, ut, quibus displiceant ista, ducem resistendi inveniant.* Hæc quantumvis multis explicaret illis, atque eandem Swartzenburgici, & Hollani, sententiam diceret; qui uterque benè de re Belgica meritis, valere etiam gratia plurimum: tamen obtinere haud potuit. Mox, cum de externo milite removendo ageretur, etsi tribunatu ejus pridem ornatus, operæ multum hic navavit, cum offensa regis maxima, etsi serio tunc in tempus dissimulata. etenim ille, ceu tuendæ dignitatis maximum hoc momentum esset, vehementer rem urgebat. idque Granvellanus suaferat; qui ambitionem suam, ac

CLO IO
LIX.

potentiam, armis regis communire fatagebat. sed, dum inde privilegia, juramento confirmata, implorantur; hinc discrimen Reip. demonstratur: ægre quamvis, rex promittit. Et hujus facti summa sane offensa fuit; decretumque, expectata occasione, gladio in illos animadvertere, qui libellum obtulissent, juvissentve. quod arcanum, sedulo diffimulatum, à primate quodam Hispano, qui Auriaco, Egmondano, aliisque, clam faveret, indicatum. nam progressus salutatum, cum latrunculis ludentes offendisset, ceu securitatem carpens, *ecquid nulla de libello jam exhibito sollicitudo anxios haberet, percunctari. cujus dicti negligentioribus cæteris, prudentior Auriacus advertendum animum ratus, Egmondano, qui familiariter eo uteretur, auctor esse; uti & officii causa vicissim salutatum iret, & occasionem dicti, ac sententiam, exploraret.* quod cum faceret Egmondanus, ille sine ulla ambage rem exponit; visum regi, & Senatui, removere Hispanum militem: sed libellum adeo displicuisse, ut auctoribus, pariter atque adjutoribus, capitæ pœna sit statuta. id se, qui faveret ipsis, clam monere voluisse; itaque deinceps providerent. Ab hoc tempore, alias cautus, magis circumspicere Auriacus, suasque ita actiones instituire, ut nec muneri deesset, nec inimicis se exponeret; ubique obsequii pariter promptus, & insidiarum cavens: nunquam offenso semel regi, etsi valde blandienti, se permittens. Egmondanus, Hornanusque, dum non cavent, circumventi perierunt. discedente sub hæc rege, anni aliquot ipsi per quietem acti; qua dum fruitur, de secundis nuptiis cogitans anno CLO IO L X I Annam alteram matrimonio sibi jungit, Mauritiæ Septemviri Saxonis filiam; habitis summa cum solennitate nuptiis, quibus Daniæ rex Fredericus, & plerique Augustanæ confessionis item Principes, Neoburgi per id tempus congregati, interesse. deinde anno CLO IO L X I V, ambitione, ac superbia, intoleranda in Rep. grassante Granvellano, cum diffimulari ultra res non posset, palam ei cum Egmondano, & Hornano, se opposuit; nec venire in Senatum, nec consilia communicare etiam voluit. quin & apud regem ipsum in Hispania accusavit, effecitque, ut disce-

dere à Rep. juberetur. Atque hæc tempora turbæ ingentes exceperunt; quibus quia deinceps vitam adeo implicatam habuit, ut sine istis nemo illam scribere possit; eas fusius attexemus. Ergo cum anno exeunte CLO IO L X V, datis ad Parmensem literis, rex decreta de hæreticis inquirendis, puniendisque, & concilio Tridentino admittendo, urgeret acriter, atque morem sine ulla exceptione gestum cuperet: illa, cum rem in senatu exposuisset, ac deliberatum esset, etsi Viglius suppressas paullum literas censuisset, quoad regem de discrimine Reip. monuissent; vicit tamen eorum numerus, qui hanc voluntatem regis sine mora exequendum sentiebant. itaque die x v i i i mensis Decembris ad provincias cæteras scribit, ad Brabantos x x x i, & mandata regis strictè exequi jubet, neque usquam ut conniveant, nisi pœna, in his expressè, subjacere ipsi velint. quod ut magis facile esset, placuit, uti urbes quæque unum è senatu suo constituerent, in semestre permutandum; qui id solum animadverteret, an concilio Tridentino satis fieret. isque saltem ad trimestre unumquodque, ut cognosci religionis status posset, sive ipsam, sive aliquem consistorii sanctioris, huic negotio destinandum, de quibusvis accuratè admoneret. tum inquisitoribus mandat, quæ ad diem x i Maji superioris jussu essent, uti facerent. nempe in omnes, qui suspecti hæreseos essent, aut prohibitos libros legerent; quive concionem haberent, aut de sacris etiam literis dissertarent, ut inquirerent, comprehenderent, litem intenderent, castigaret, desecrarent, judici seculari traderent; tum carceribus uterentur, litem quoque terminarent, etsi non servato ordine. nam sufficere, si consiliarium regis unum tantum advocarent, qui jus dicere ex ipsorum arbitratu, secundum literas Apostolicas, teneretur. neque etiam necesse esse, ut judicem loci ordinarium, aut diæceseos, expectarent. quin citare cunctos possent, subditos regis, sine ulla exceptione dignitatis, sive præsidis, sive item consiliarios, consulesque, & urbanos senatores; denique alios, in quocunque tandem munere constitutos; &, exacto juramento, ad respondendum de quæsitis etiam cogere, pœna in nolentes dicta, ceu fautores hæreticorum. dein præfectis, magistratibusque, imperat; ut rogati opem inquisitoribus ferrent: aut supplicium, si negarent, idem sibi promptum scirent.

In de-

CLO IO
LXI.CLO IO
LXIV.

In decretis Tridentinis ista erant. uti clerici reformarentur; tum ut in parœcia sua quisque curio percenseret, quot in ea familiæ essent, & in unaquaque earum quot personæ, atque ibidem à quo tempore habitassent. si quæ pridem advenissent, à priore curione testimonium secum ferrent, quo probarent, religionem se Catholicam profiteri; inde quando, & quo modo, matrimonium contraxissent. porro in confessionibus nomina quoque confitentium, ac cognomina, quæque habitarent aedes, adnotarent; hoc indicio, an perseverarent omnes, cognituri. deinde illos ut inscriberent, qui pro pueris in baptismo fidem suam interponerent, ad eosque, ubi mox adolevissent, erudiendos ne qui usquam admitterentur, nisi qui majorum more sacra colerent. denique ut egenos etiam, quique stipe collectitia alerentur, explorarent, qualem illi religionem sectarentur; item an confessionem, rem divinam, frequentarent: quique hic negligentes essent, iis uti stipis nihil largirentur. Archiepiscopus Cameracensis, synodo provinciali convocata, reformationem cleri ægre obtinuit. Machliniensis, pariter atque Vltrajectinus, frustra fuit. Vrbes quoque Brabantinæ, qui provinciæ tertius ordo, graviter angi. & in his Antverpia maxime, quæ libello indicabat magistratui, hæc contraria iis literis, quas superiore Julio à Parmensi accepissent. ac testari, non se modum invenire, quo immunem à seditione urbem porro servent. inquisitionem istam motuum fundamentum esse; & non multo post futurum, ut regionem desolatam, atque inprimis urbem, habeant. contra privilegia iri; & infringi introitus læti capita, primum, secundum, tertium, ultimumque. ideoque, ceu tutorem, implorare; vellet de tam obstinata regis sui voluntate certiores S. Imperii cameram facere; & ad illam provocare. nam secundum auream bullam, terræ Brabantie anno 1000 CCCXLIX datam, & ab Imperatoribus cunctis, in imperium succedentibus, confirmatam; dein tractatu Augustano anni 1000 XLVIII, id licere. huc accedere de religione acta; cum Passavia, anno 1000 CLII: tum Augusta, 1000 CLV, per quæ omnia neque inquisitione, nec concilio Tridentino, subjacerent. ac potissimum, cum tractatu Augustano anni 1000 XLVIII pars imperii facti essent; ideoque privilegiis, patrociniisque omnibus, frui necessario debeant, quibus cetera membra imperii: cui Belgium, quantum duo electores, contribueret. quam

ob rem enixe orare, uti intercedere vellet, hæcque à Parmensi literas revocari procuraret. quod nifiet, tum querelam sibi ad Ordines referendam. Eodem modo aliæ quoque provinciæ questæ; quæ à curiis quæque suis hoc responsum acceperunt. nihil novi intentari; ac de inquisitione hoc tenendum, uti illis tantum locis, quibus usitatum foret, ac recepto pridem more, haberetur. & privatim Antverpienses tam ab ea, quam Episcopo, liberi essent. quod concilium Tridentinum attineret, id non ultra valiturum, quam mox palam explicarent. Sed cum urbes etiam insisterent, voluerunt persuadere; temere esse, quod Brabantii de novitate quererentur: quippe dudum inquisitionem illic usitatam, & Pontifices Romanos inquisitores generales jure, ac merito, quovis tempore in hoc Belgio habuisse. Hoc responso magis omnes angi ubique; & inprimis, cum adversos comperirent, quorum erat adjuvare. ideoque nulli operæ, aut pecuniæ, parci esse, ut arcana explorarent. quin & famosos libellos, rhythmos, carmina, quæque talia, passim spargere, & ad loca publica affigere. etiam Parmensi ipsi in manus tradere; quo edicta, inquisitionem, episcopos, & concilium Tridentinum, inhibere animum induceret. tum solerter eos, qui muneribus publicis fungebantur, adhortari, meminissent sacramenti, quo provinciis dixissent; neve, officii sui obliti, contra fidem, patriamve, quid committerent. ac terrendis minæ additæ. Ex his omnibus cum Respublica in præcipiti, & mutatio impendere, videretur; Parmensis, animis tranquillandis, ad diem XXIV Martii anni 1000 CLXVI edicit: quando ab anno ejus seculi quinquagesimo in Brabantia nulla inquisitio fuerit, ne nunc quidem velle regem, ut illic esset: verum privilegia sua salva haberet, nec concilio Tridentino, nisi quantum ea ferrent, subjaceret. ita læti rursus Belgæ. sed cum Ordines Brabantini, paullo magis hoc edictum expendent, ne quis scrupulus superesset, acta à Parmensi peterent, regis nomine subsignata; quibus caveretur ipsis, non deinceps ullam in provincia sua inquisitionem fore; neve alium unquam judicem de delictis quibuscunque, etiam hærescos, præter solum secularem, cogiturum; tum edicta uti mitigare vellet: hæc respondet, cum proceribus aurei velleris, ac præfectis

CLO IO LXV.

CLO IO LXVI.

fectis provinciarum, se acturam. moxque egit de edictis mitigandis, integra religione, & auctoritate regis, ad sedandos populi animos. fama enim invaluerat, nobilitatem passim concitatam esse. quippe ut sacrorum præsules, ob Episcopos constitutos, aliaque reformata, æque ac populus universus, indignari; ita ille per timere, *ne in nervum res erumperet; & in ipsam, ruri passim habitantem, ideoque injuria expositam, faba quoque cuderetur.* ut timeret, minæ populi faciebant, precibus mixtæ, quibus ille impellere istam satagebat, *ut, quemadmodum deberet, apud regem, non omnino gratiæ ejus nil daturum, intercederet.* ergo, cum prætextu vario aliquoties convenisset; foedus ictum; primo à paucis, mox compluribus, dum amicum quisque suum illuc trahit, sub signatum. adeoque numerus auxit, ut postremo supra quadringentos essent. foederis autem ista summa. *quando homines peregrini, Deo, regi, ac Reipub. inimici, quique unum istud agerent, ut ambitionem suam, atque avaritiam, sub prætextu religionis asserenda, & tranquillitatis publicæ confirmanda, regis, Belgarumque, impensa explere possent, apud regem effecissent, ne edicta violenta, quod pollicitus, mitigaret; dein tyrannicam inquisitionem etiam imperasset, quam mox Belgii omnis vastitas, populi oppressio, fidei quoque Christianæ extirpatio, regii nominis imminutio, incolarum plane intoleranda servitus, privilegiorum ereptio, summa denique Reipub. perturbatio, secutura: ut præverterent ex officio malis istis, sacramento sese mutuo obsirinxisse, ne hanc inquisitionem, sub quocunque tandem nomine, unquam admitterent. nihil vero aut adversum honorem Dei, aut supremam regis sui potestatem, ordinumve, agitare; sed imprimis cum Rep. salva hæc velle, ac consilii hujus sui Deum ipsum testem capere.* Foederis ejus, quamquam multi subscripsissent, magnum tamen secretum fuit; clamque præstitutus dies, quo Bruxellas, ad libellum offerendum, convenirent. Primi inter eos erant, Brederodius, genus suum ad Hollandiæ Comites referens: Culemburgicus, ac Bergensis: Ludovicus quoque Nassovius, Auriaci frater, aliique. Quanquam autem in arcano consilium esset, non tam

occultari tamen apparatus rei potuit, quin proceribus nonnullis aurei velleris innotesceret; ex quibus Megensis primus ad Parmensem partim retulit. quæ non parum consternata, graviora, quam propositum foederatis, metuebat; tanquam urbes, ac munita quædam loca, uti fama ferebatur, occupare agitent. ea propter, datis passim ad urbes literis, admonebat; *summa cura, necubi opprimerentur, providerent.* Mense Aprili, ad primum, secundum, tertium diem, cum Bruxellas undequaque satis multi, & in illis Brederodius, sine armis convenissent, quarto senatum dari sibi à Parmensi postulare. quo permisso, quinto proximo è Culemburgensi domo numero fere quadringenti, in quaternos distributi, ordine omnes processere. in senatum cum venissent, ubi eos & Parmensis, sanctiusque consistorium, proceresque aurei velleris, & præfecti provinciarum, excepere; Brederodius, ubi confessum veneratus primum esset, causam adventus memorare: *ut libellum istum supplicem exhiberent. temere vero facere quosdam, qui seditionis ipsos, à qua quam longissime abessent, accusarent. ideoque enixe orare, uti illi castigentur.* ac Parmensis, *se libellum cum senatu inspecturam, moxque responsuram, edicit.* ad quæ verba recessere. In libello hoc exponebant; *sat Belgarum in principes fidem claram esse: ac nobilitatis maxime. quæ nec opum, neque vitæ, unquam parca, laudem hanc tueri certa. qua de causa, cum presentem rerum statum animadvertent, maluisse offensam aliquam nunc incurrere, quam silentio damnum regi, ac Reip. conciliare. neque enim dubitare, quin hæc olim inter merita censerentur. ac quantumvis non ignorent, quæ de inquisitione, decretisque de religione exacte observandis, statuisset, recte facta, ad exemplum Caroli patris; qui hæc pridem, publicæ tranquillitati confirmandæ, imperasset: tamen temporis rationem habendam esse, quod haud parum immutatum, & remedia item alia postularet. nam si, dum decreta exequi modice tantum annuntur, turba adeo graves orta; quantas, si severe agant; imminere arbitrentur? ideoque se vereri, ne, tam alienis populi ubique animis, in seditionem Belgæ universim concitentur. sperasse quidem hic remedium à provinciarum ordinibus; verum, quando hæctenus illi neglexissent,*
malo

malo indies valescente, ac presenti jam periculo, officii sui existimasse, ne diutius tacerent. ac confidere, quod monerent, non id male acceptum iri; siquidem ipsi, ruri ades, bonaque alia, possidentes, magis ceteris in discrimine versarentur. ad hæc, si mandatis regis ita rigide mos geratur, vitam omnes, fortunaque, ad libidinem delatorum, prout quemque avaritia, aut invidia, ad calumniam stimulare, in ancipiti habituros. quam ob rem orare supplices, uti malo occurratur. quando autem rei gravitas postularet, ablegari ad regem preces, apud ipsum intercederent, in perpetuum ut prospiceret; idque quia, nisi sublatis edictis, mali causis, fieri nullo modo posset, ea abrogari sinat: quæ servari, nisi perditâ republica, minime queant. ac ne forte, qui in regem suum obsequium inter prima reputarent, legem illi ponere velle, quod maligni per calumniam dicturi essent, viderentur; supplicare quam humillime, ut provinciarum ordines convocaret, habitoque cum his consilio, alia rursus, magis Belgio profutura, & periculosa minus, substitueret. interim ipsam oratam cupere, dum hæc regi exponerentur, isque etiam consultaret, inhibere edicta vellet. se fecisse pro virili, quod officii sui esset; nec silentii olim omnino culpam ullam impingi posse, si ad turbas inde, aut cades, quod abominentur plane, veniretur. ac proinde Deum, regem, item ipsam, & senatum universum, conscientiasque suas, testes capere, pro clientum fide egisse. Cum nobilitas foederata, hunc libellum oblatura, processisset, Barlaimontius ad Parmensem contemnens, ut erigeret, per contemptum lingua Gallica *Geusios* illos dictitabat; neque esse, quod metueret. hoc vocabulo nebulones, ac mendici, apud Gallos nominantur; & deinceps Protestantes ita vulgo nominati. illi vero, cum de dicto hoc accepissent, non pudori sibi dicunt, regis causa, patriæque, isto nomine nuncupari. tum de collo nummum aureum mox suspendunt, cujus in antica parte effigies regis expressa erat; in postica, fidei signum, manus duæ, inter se junctæ, perque mediam peram exerte. circum scriptum, REGI AD PERAM VSQVE FIDEL. quin è ligno parvas lances, mendicorum utensilia, pileis nectunt; & subcinericea veste se, familiamque, induunt. Postero die, cum deliberatum esset de responso, revocati à Parmensi foederati, ad quos jam Bergensis quoque, ac Culem-

burgicus, se adjunxerant; ordinatim procedentes, uti pridie, rediere. postquam ventum in senatum, hic Parmensis & libellum iis reddit, & compellat perbenigne: inspexisse postulata, ac satisfactum illis cupere; itaque legationem decrevisse, qua presentem rerum statum regi exponeret; à quo nihil inclementius expectare sibi debeant. & jam ante, quam venissent, cum proceribus, ac senatu, de edictis mitigandis consultasse; nec restare, quam ut voluntatem regis, sine qua nil ipsa posset, stupere iis scitaretur. quod de inquisitione inhibenda proposuissent, id in sua potestate minime situm, neque illos ignorare. deinde indecorum etiam, sine aliqua de religione lege Belgium esse. verum, dum ad regem mitteret, mandaturam Inquisitoribus tantam moderationem, uti gratiam ei omnes sint habituri. interim autem se confidere, ita acturos ipsos esse, ne quid novi constituere sit necesse. ac sperare, intercessione sua apud regem effectum iri, ne deinceps inquisitione ulla vexarentur. cujus quidem opera ipsa tanto magis prompta foret, quod non dubium haberet, quin religionem antiquam sartam tectam secum cuperent. Hæc ad sextum Aprilis acta. die octavo redeuntes, gratias se Parmensi agere, pro responso tam benigno, magnas dicunt; verum optare, uti clarius, ampliusque, istud esset. tum dolere, quod suspendi abs se posse edicta neget; atque orare, quorum id munus, admonere moderationis vellet. se his omnibus, quæ à rege, atque ordinibus, ad sacrorum pristinum cultum conservandum, decernantur, parituros; & interea vitam procul ab offensa, ac justa culpa, habituros. iterum autem testari, si quid secius Republica eveniret, quod officii sui esset, sat superque id fecisse; nec vertendum vitio esse. denique, quando accepissent, istoc adversarios agere, ut libellum, abs se oblatum, typis vulgent, oratam cupere, uti is typographo regio, nullo apice immutato, excudendus traderetur. Ad hæc Parmensis, cum deliberasset paulum, se daturam apud magistratus omnes, & inquisitores, operam, ne quid usquam peccaretur; &, si fiat, culpam ipsorum, quam suam, fore. ea propter, quod polliciti, conquiescerent, neque plures ad se trahere conarentur. rursus illi gratias agunt; & optare se affirmant, ut conventum istum suum in bonam partem se accipere, coram senatu, testaretur. cumque illa, ita credere, responderet; neque tamen ultra mentem explicaret, iterumque hi instarent, ut sententiam aperiret: nec dum

nec dum se id posse, inquit. quibus verbis sub-
offendi foederatos cum nonnulli animad-
verterent, intercedere, & Parmensi aucto-
res esse, *ne, incommodi evitandi, sic dimittere
illos vellet.* quos Christophoro Affonvilio
adjutante, tandem placuit, Philippum La-
lanium Hochstratanum, velleris equitem,
Bertiumque, ab epistolis, ad hos mittere;
qui & plenam fidem facerent, *in religionis
causa, prius quam responsum à rege accepissent,
nihil constitutum iri*: & exemplar literarum
item ostenderent, quis inquisitores omnes,
iudicesque, & magistratus, *in cuiusquam fi-
dem inquirere, aut ob istam quaecunque suppli-
cium capere, dum rex aliud statuisset, vetarentur;
nisi si seditionem, aut res novas, agitent:
quo in crimine deprehensi, curia sua iudicandi
traderentur.* Cum promisso hoc foederati
domum quisque recessere; aliquot prius
constitutis, qui in unaquaque provincia
providenter, ut, quæ promississent ipsi, ac-
curate fervarentur. neque parum nobili-
tatis foederatae tanto studio animi passim
tranquillati; jamque omnes maximo cum
desiderio, quid rex decreturus esset, ex-
spectabant. ac Parmensis cum proceribus,
& senatu, serio de legatione consultare;
qua de rebus à se gestis regem, graviter ob
conventum nobilitatis jam iratum, partim
certiorem faceret, partim oraret, *uti Belgis
indulgere aliquid vellet.* & persuasi ægre tan-
dem, Ioannes Bergensis, ac Florentius
Monmorantius Montinius, ex equestri
uterque ordine, legationem suscipere; qui-
bus formula decretorum mitigandorum
etiam data. quæ profecto talis erat, ut his
indignationem, illis risum, concitaret.
nam pro summo beneficio constitutum;
*ut, qui duces Protestantibus se praeberent, qui ve
hospitio eos exciperent, aut offensa causam da-
rent, non jam flammâ, quod solebat, sed suspen-
dio; vel, sententiam si mutarent, etiam gladio
punirentur: plebs simplicior, ceu seducta in erro-
rem, neque sponte sua peccans, in exilium mitte-
retur.* Mitigationem istam curia ordinibus,
ad quos populus provocabat, persuadere
statim annixa est. ac vocati primum Arte-
fii, Hannoniique, & Namurcenses, inde
Flandri, ac Brabantii, subscribere, clam
habere factum iussi. sed Hollandi, & Ze-
landi, Frisiique, & Trajectini, item cæteri,
cei feroces privilegii, nec tam facile con-

ferensuri, prætermitti. At quantumvis hæc
clam populo agitata, tamen non diu latu-
ere. & hinc rursus turbæ ingentes; ac su-
spicio, *ordines provinciarum, more antiquo,
minimè convocatum iri.* huc accedere, quod
complures, qui ob causam religionis solum
verterant, nunc reversi, in carcerem de-
truderentur; & Ioannes Tuiscanus Alde-
nardæ, ad octavum Iunii diem, capitis pœ-
na affectus esset. quæ cum ita se haberent,
Montinius solus in Hispaniam iter capit;
& Bergensis, crure læso, impeditus ne una
iret, mox subsequitur. illuc postquam ad-
venissent, coram rege, ac senatu, Belgii
turbas exponunt; & earum causam esse à li-
teris regis: *super inquisitione, & edictis exe-
quendis, pridem scriptis. nec remedium adhiberi
illum posse, nisi illam aboleret; ista vero, prout
concepissent ipsi, mitigaret: tum præteritorum
veniam indulgeret. neque tamen compertum ha-
bere, an hæc probaturi essent foederati; qui con-
siliium adhiberi, & consensum, ordinum genera-
lium vellent. nihilominus proceres aurei velleris
omnes constituisse, si hæc tria concedantur, pa-
cem, ac quietem publicam, instaurare; aditen-
tibusque bonis, qui complures in provinciis pas-
sim essent, malos armis coercere. nec necesse regi
fore, nimis iter per incommoda precipitare. quæ
cum disceptari cernerent, addunt; affir-
mare proceres, si hæc tria denegentur, non se
modum invenire, quo honeste aut equum in-
scendere, aut arma capere, deinceps possent:
sed necessitatem imponi à Rep. discedendi. hæc
cum regi, & senatui, explicassent, mox
seorsim apud amicos conqueruntur, se
contemni in Hispania; & Hispanos in nobilita-
tem Belgicam, proceresque, dominatum affecta-
re, quem Neapoli, in Sicilia, & Mediolani ha-
berent: idque non ferendum esse. inter hæc
Parmensis scribit; spisse magis conveniri, &
jam palam conciones ad Tornacum, Insulasque,
S. Audomari fanum, item Ypras, frequentari;
& se Gallos concionatores immiscere. tum Ant-
verpiæ idem fieri. quam ob rem orare regem,
tria ista ut permetteret; ceteroquin non se,
proceres, aut senatum, tranquillare motus posse.
Auriacus, futuri prudens, cum offen-
sam regis sciret, & turbarum nullum fi-
nem, discedendi à Repub. quam perire
sentiebat, consilium capit. itaque ad
xxvii mensis Maji, iterum xiv Iunii,
literis datis, commeatum à rege petit.*

curam omnem, operamque, à se impensam, quo-
 res Belgicas fulciret; ac dolere, quod nequic-
 quam laborasset. atque id æquo animo ferre.
 nam vim mali, fato adjutam, sepe recto præva-
 lere; neque eventum, ut consilia, in cujusquam
 potestate situm esse. verum se, post omne obse-
 quium, per calumniam traduci, tanquam motus
 adjuvisset, quos pacatos maxime omnium volu-
 isset, non ferendum omnino esse. itaque, quan-
 do laboraret fides ejus, reciperet munera, quæ
 dedisset; & abire nunc permetteret, ad res suas
 ordinandas, quæ inprimis illud poscerent. Ad
 hæc die primo Augusti è Segoviensi filva
 rex respondet. accepisse binas literas; & jam
 pridem ad sororem perscripisse, quam nil tale
 animum ipse inducere debeat. nam profecto,
 quod non plenam sibi fidem haberi putet, mul-
 tum falli; neque causæ, cur existimet, quic-
 quam esse. ac si forte id conatus quisquam fo-
 ret, non se ita animatum, ut tam temere ad ca-
 lumniam aures daret. satis fidem, & obsequium,
 explorasse; atque hortari, ut in illis perseveret.
 tum in literis, olim scriptis, ac virtute ista sua,
 conquiescat; neque ab iis, qui ad alia instiga-
 rent, neutri bene cupientes, se impelli patiatur.
 quod abeundi veniam petat, & imposita mune-
 ra reddat, dolere sibi vehementer, eo loco res ip-
 sius constitutas; sed, Rep. ita graviter laboran-
 te, periniquum existimare, ut virtute ista viri,
 ac prudentia, & in quibus acquiesceret, se sub-
 traherent: cum necesse potius foret, ut periculo
 tam insigni avertendo, ad quos illud pertineret,
 cuncti accurrerent. idque Antverpia ab ipso
 factum, adeo sibi placuisse, ut hortetur, jubeat-
 que, ita pergeret; & facturum, plane confidere.
 atque ut videat, quam cum ipso aperte agat, non
 dissimulatum velle, fratrem ejus, Ludovicum,
 ceu barbarum adiutorem, à permultis accusari.
 quod ut ægre sane ferret, ita occurri ab ipso cupe-
 ret; & si ita videretur, illum, saltem in dies
 aliquot, removeri. Ad Parmensis vero lite-
 ras, antea commemoratas, decrevisse se,
 respondet, uti per Hispaniam totam, Belgium-
 que, pro felici itinere suo supplicationes publica
 haberentur. nam deliberare in præsens, mari id,
 an per Italiam, institueret. tum ad Casarem
 scripturum. quod ad tria illa capita attineret;
 placere, ut inquisitio tantum episcopalis, ab an-
 tiquo usitata, non Hispanica, obtineret; & ut
 formula de edictis mitigandis conciperetur, qua
 Romana Catholica fides, & majestas ipsi sua,
 salva essent: ut quamprimum constituere ali-

quid posset. dein permittere, uti ipsa fœderatis, aliisque, nondum culpa manifestis, veniam pro arbitrio daret. ita tamen, si certa esset, proceres Belgicos religionem, & quietem reipublicæ, ad- juturos; tum solutas fœderationes fore, ac con- ventus, conciones, cæteraque istiusmodi offen- dricula, omissum iri. alioquin, si rebelles arma caperent, vim quoque ipsa adhiberet; & præsi- dia, ac cohortes ordinarias, his opponeret: quin, si opus, novum etiam militem legeret, cui cen- turiones suos, præfectosque, uti libitum, consti- tueret. Ad hæc blande item ad proceres, senatumque, & urbes, scribit; darent ope- ram, dum adventum maturaret, ut pacata om- nia essent. Nihil aliud hac legatione effe- ctum, & legati per blanditias simulatas deteneri; cum interea rerum Belgicarum status multo pejus se haberet. nam dum proceres, & provinciarum præfides, sena- tusque, in id incumbunt, ut quacunque ra- tione malo occurrerent; sperantes regem in tria capita, semel iterumque jam com- memorata, consensurum; deprehensum, nobilitati fœderatae solito minus favori: & quæ facta ab ipsa essent, in pejorem partem trahi. ad hæc tristitia ex Hispania imminere cre- debantur, cum à fama, tum ipsius regis li- teris, Madriti sexto die Maji ad nonnullas urbes datis; quibus eas ad constantiam in obsequio hortabatur; & auxilium, ceu in Belgium mox venturus, promittebat. quam in rem parari classis in Zelandia, ob- viam illi processura, ferebatur. tum His- panienfes quidam sclopos longiores instar quinque millia coëmisse, in Hispaniam submittenda, dicebantur. rumor quoque, Ericum, ducem Brunsvicensem, copias legere; quibus inquisitionem, novosque episcopos, invitis per vim imponeret. qui- dam etiam imprudentius divulgabant, fri- gide exceptos legatos, aut benignitate tantum si- mulata; dum rex tempus bello instruendo ex- spectat, mox cum armis adfuturus, & in eos, qui à religione antiqua, atque obsequio, defecissent, graviter animadversurus. Granvellanum item rediturum esse, & injurias inimicorum probe ulturum. His rumoribus partim, ac minis, cum accensi Protestantium animi essent, neque quicquam ex Hispania boni sibi ex- spectandum existimarent; metu, & despe- ratione, ad audendum excitati, ut suorum multitudine adversarios à vi aliqua cogi-
 B tanda

ciò id
LXVI.

tanda deterrerent, amicisque, & fautoribus, animos adderent, palam inde ad conciones accessere. & initio in Flandria occidentali facta, mox per reliquam provinciam, tum Brabantiam, Galliam Belgicam, Gelriam, Frisiam, Transiselanam regionem, Hollandiam, Zelandiam, Ultrajectum, agitatum: cum in silvis, tum apertis etiam campis: multis undique concurrentibus, primo sine ullis armis, inde, ad vim propulsandam, quæ interdum intentata, cum securibus, gladiis, sclopis. & excrescere adeo numerus, ut jam multa milia essent; neque edictis, aut vi aliqua, retineri ultra possent. ineunte mense Junio, Burgerhouti, in campo Lario, prope Antverpiam, inchoatum. & inermes primo illuc convenire; sed, minantibus vim nonnullis, arma adducere; aditusque, obiectis curribus, & excubiis collocatis, communire. Magistratus Antverpianus contraire, & Parmensem item orare; *uti illuc sine milite commigrare, ac transferre aulam vellet, tuenda urbi, quæ primaria in provincia ista esset. verum illa respondere, se de re deliberaturam; interim monitos ipsos velle, darent prius omnem operam concionibus prohibendis, aut turbandis.* dein edictum à rege addere rigidissimum, ad xxvi Junii promulgatum: cuius tamen efficacia nulla fuit. quippe ad diem iiii Iulii regionarii, qui addicti Protestantibus, libello oblato, magistratum urbanum orare, *daret aliquem concionibus suis locum; quæ non amplius, propter populi multitudinem, in occulto haberi possent: idque ut faciant, ad quietem civitatis pertinere. duas autem religiones facile tolerari posse, & exempla in rem istam plura exstare.* tum & privilegia sua allegare, per quæ ipsis concedendi, quæ orarent, potestas esset. Hunc libellum magistratus ad Parmensem ablegabat, iterum orans, *ut in urbem commigrare suam vellet.* sed cum illa sine præsidio id facturam se negaret, istud autem magistratus admittendum non putaret, frustra oratio tota fuit. Venerant tunc forte in urbem Brederodius, & Megensis, sine ullo ab aula mandato; quod non parum civium animos concitavit. non ingratus Brederodius; illis maxime, qui favebant religioni reformatæ: sed Megensis suspicione laborabat, tanquam astu quodam mili-

tem, quem jam in propinquo esse, in Campaniensi agro, rumor erat, introducere cogitaret. ideo, eximendo scrupulo, mox discessit. ac Parmensis, cum se sine justo præsidio credere urbi non auderet, Auriacum illuc ablegandum existimavit; qui, ceu Vicecomes ejus, sacramento ipse obstrictus civitati, hanc vicissim sibi quoque obstrictam haberet, tum & gratia valeret. Itaque ille ad diem xiiii Junii huc profectus, in itinere Brederodium, plurimosque è nobilitate, civibusque, obviam habuit. Urbem intranti effusus populus, gratulansque, faustis vocibus acclamare, & vitam Geusis apprecari; quo tunc nomine Protestantes, ut jam dixi, per contemptum appellati. verum ille reprehendere acclamantes; & monere, *ut omitterent: ac mox facti pœnituros.* Hinc, vocato magistratu, literas à Parmensi ostendit: quibus sibi regis nomine civitatis ordinandæ potestas data. deinde regionarios vocat, & decanos, sagittarios, mercatores, ordinemque ecclesiasticum. quos cum recte examinasset, deprehendit, à diffidentia turbas esse. nam nec civibus, maxime qui religionem reformatam sectarentur, magistratus; neque cives, cujuscunque religionis, metu nequis urbi miles imponeretur, aulæ quicquam, aut magistratui suo, fidere: & suspecta, ut in talibus fere suetum, cuncta habere. Illud etiam intellexit, Protestantes, etsi inter se divisos, ob permissam curioni Kiliano à magistratu concionem, longe numero prævalere; & quandoquidem in armis essent, urbem in potestatem suam cogere posse. ea propter vi in illos abstinendum, & blande habendos, tollendamque ante omnia diffidentiam, arbitrari; tum benigne inducendos, ut arma ponerent, civibusque ea traderent: è quibus cum mille ducentos legere cuperet, instar militum futuros, irrito conatu fuit; & se illi excubias acturos polliceri. tandem effecit, uti, data securitate, Protestantes arma ponerent, & ad tempus conciones intermitterent, dum mox de re universa à provinciarum Ordinibus statueretur. Per hæc fama invalescebat, legi à Brunsvicensi militem, & in Frisia bellum instrui; tum succinctum quæsitorem, quem droffardum illi dicunt, aulæ jussu

le jussu, cum licitorum armata manu, quot-
diebus præter urbem obequitare. quæ
res suspicionem dedit, disturbandis con-
cionibus id mandatum; eo magis, quod in-
structi armis currus, & Machliniæ onera-
tæ instrumentis belli naves visæ essent. ita-
que rursus arma capere Protestantes; &
securitatis causa, locum in urbe concio-
nibus suis petere. & hæc quamvis ita face-
rent, ut minari viderentur; tamen, verbis
partim blande, partim etiam pro auctori-
tate factis, & promissis de vi omni prohi-
benda, tantum effecit, ut in nundinas, men-
se Augusto celebrandas, per quas ob con-
fluxum extraneæ multitudinis motus ali-
quis timebatur, se differri paterentur.
cumque in aulam eum Parmensis revoca-
ret, ad consilia de negotio foederatæ no-
bilitatis communicanda; magistratus, tur-
barum metuens, propter imminentes nun-
dinas, intercedere; & orare, *ne desereret
tam periculoso tempore civitatem*: itaque ve-
niam sibi absentiae dari petiit. Sub hæc li-
teræ ad Parmensem à rege latæ, quibus il-
le imperare; prohiberet omnibus modis, *ne co-
mitia injussu suo Ordines provinciarum ulla ha-
beant: tum ut peditum decem millia, equitum
tria, in Germania sibi legeret, solveretque pen-
siones, quæ in ea deberentur.* Hoc cum vulgo
innotuisset, turbæ augeri. nobilesque fœ-
derati, cum tumultum ubique populi ani-
madverterent, & jam passim arma capi;
nec remedium in promptu esse; quin edi-
cta rigidiora, sine Ordinum consensu, pro-
mulgari, & comitia, in quibus salus Reip.,
prohiberi: tum promissa ludum fieri, ac
consilia sua omnia in pejorem partem su-
mi; ut occurrerent, in Eburonibus, ad
Trudonis ibi fanum, convenire. Hic Par-
mensis, cum metueret, ne in feditionem
aliquam res erumperet, Auriacum, & Eg-
mundanum, misit: qui cum delegatis ho-
rum in Brabantia, Arscoti primum, inde
Dufflæ, exoptularent; se Montinium, &
Bergensem, ordinis equestris viros, in Hispaniam
ablegasse; qui, quæ postularent ipsi, regi expone-
rent: neque interea, quam libellum obtulissent,
quicquam abs se, quod ad inquisitionem, aut
edicta, attineret, tentatum esse. debere ipsos re-
gi fidere, qui tyrannum nusquam egisset; & præ-
terita oblivisci, atque ignoscere, promptus esset:
in ea ⁱⁿque rem scripsisse. itaque monitos ipsos

velle, promissorum meminissent, & in obsequio
permanerent, darentque operam, ne sectarii, qui-
bus Galli se miscere, turbas alibi inceptarent. se
hæc jure ab ipsis petere, quum iidem nobilitatis
palam jussa prædicarent. unde omnibus manife-
stum, non libellum pro salute Reip. obtulisse,
sed prætextum concionibus promovendis quæsi-
visse. à qua culpa si abessent, necessario operam
impediendis dandum; & re ipsa ostendendum,
qui ad eas populi animos concitassent, contra fœ-
dus, & libellum, hos fecisse. Ad querelam
hanc delegati scripto oblato respondere;
gratias se Parmensi agere, pro mandatis ad præ-
fectos, & inquisitores, missis, et si minime ser-
vatis. nam Tornaci, Insulis, Montibus, Ariae,
Athi, & Bruxellis, Gandavique, item alibi lo-
corum, multos tamen in carcerem ductos; man-
datorum, quæ commemoret nulla ratione habita.
se quidem annisos sedulo, ut conciones prohibe-
rent; sed, quod vellent, non potuisse. quippe ple-
bem, dum quid timet, etiam in tutis suspicacem,
ex absentia longiore legatorum, ex responsi ab
Hispania tarditate, quod promissum intra men-
sem alterum fuerat, adversa omnia suspicari in-
cepisse: eo magis, quod comitia usitata differ-
rentur, & proterve, maxime autem à quibus-
dam è sacro ordine, minæ passim jacerentur.
quod se turbis immiscere Gallos dicat, id igna-
rum ipsis esse; ac paratos, si res constet, primos
certe ascensis equis vim externam propulsare.
verum ut in regis subditos, isto quidem rerum
statu, arma capiant, non consultum arbitrari. de
calumnia concitata ad publicas conciones plebis,
cupere singulos causam dicere; noxæ etiam dedi-
turos, si qui criminis ejus rei comperiantur. esse
quidem inter suos, qui cum Protestantibus sen-
tiant; nihil tamen fidem in regem, & obsequium,
religione prohiberi. nec clementiæ item regis se
diffidere; verum sic existimare, si in rem præ-
sentem veniat, & utramque partem audiat, fo-
re, ut benigne multa, & quæ è republica, statuatur.
nihil autem admisisse, quod oblivione ulla, aut
venia, dignum. itaque frustra hæc promitti. nam
quod ipsum de his turbis, earumque etiam cau-
sis, ac remediis, monuissent; id se inter sum-
ma officia arbitrari. porro queri, non jam
ultra sibi fidi; & incitari passim multos, qui
verborum contumelia, quo invisos plebi redde-
rent, exagitarent; dicentibus, ad futurum brevi
regem, qui ceu perduelles puniat. dein consor-
tium aurei velleris equites fugere; & hortari
item alios, amicitia, aut sanguine, junctos, ut

idem faciant; veniamque polliceri. qui cum certe ad regem male instruendum multum possint, non se temere in suspicionem adduci. huc accedere, quod frequentes ex Hispania veredarii advenirent; neque tamen ad petitionem suam aliquid responderetur: mandatumque, ne quæ literæ, nisi regis, perferrentur. tum è Gallia nuntiari, petitum illic à Philippo transitum Hispano militi; auxiliumque, quale ipse, bello pridem intestino, submisisset: & Sabaudum promisisse, se suppetias venturum; ideoque ad Casarem nuper transisse. expensa etiam à sacro ordine quinquecentena millia florenorum, in belli contra ipsos sumptum. neque id ipsorum quosdam clam habere. quam ob causam, quando adeo neque ab ipsa, neque ab equestri ordine, ulla spes securitatis appareret; sed consilia adversum ipsos arcana indies haberentur: se quoque in Germania, & alibi, quod dissimulare nolint, tutela suæ, amicos quarere; tamen Gallia, quod impingerent, abstinuisse; nec cum eo regno quicquam communicasse. ista autem auxilia esse, quæ parassent, ut vim à se, subditisque regis aliis, sibi addictis, propulsarent. testari autem, huc necessitate actos; quando rationem aliam, qua se, fortunaque suas, suorumve, salvas porro habere possint, ignorarent. ideo enixe oratam cupere, ut securitati ipsorum media alia, & minus periculosa, expediret; mandaretque equestri ordini, fidem pariter interponat, salva omnia habituros; neque quicquam, ob libellum, aut compromissum, ullo modo cuiquam intentatum iri. tum, arcendæ diffidentia, Auriacum, Egmundanum, & Hornanum, quibus rerum suarum statum exposuissent, allegare iterum vellet, ut consiliis eorum uterentur; neque enim quicquam sine his acturos. rogare autem, quo majore cum efficacia pro- videre Reip. illi possint, ut cum plena potestate dimittantur, & tutelam quoque ipsorum in se recipere jubeantur; non ulterius valituram, quam dum rex se ratam habere, irritamve, testaretur. atque istud mox post tertiam à responso illo regis septimanam indicandum: quo interea rebus suis providere ipsi possent. tum libellum quoque exhibent, sibi nuper ad Trudonis fanum oblatum à Protestantibus; in quo illi polliceri, arma se deposituros, Ordinumque de religione mandatis parituros, si cavere nobilitatem de securitate jubeat; & tutelam item curet, si qui forte turbulenti, ante Ordinum decretum, vim in ipsos moliantur: tum è fœderatis quosdam in provincia unaquaque esse velit, qui adverterent. hæc monere voluisse, ut provideret, ne Resp. detrimenti aliquid caperet. quod ni faciat, metuendum, ne plebs, concitatis animis, Gallos, Belgii semper hostes, introducat. sibi quidem constare fidem, & obsequium, in regem; promptis laboranti patriæ opem ferre. cui si quid triste accidat, se immunes culpæ fore; idque ex animi sententia testatum velle. Hoc nobilium responsum, eorumque, ut videbatur, in negotio Protestantium intercessio, cum Parmensi, tum Senatui, ordinique item equestri, præfectisque provinciarum, qui Bruxellis tunc convenerant, metum injecit. quem augebat porro fama de concionibus, quas in armis plebs ubique frequentabat, passim fanis, & sanctorum imaginibus, comminutis, disjectisque, magistratunusquam se objicere auso. itaque visum, componendis istis motibus, desiderio fœderatorum satisfacere & securitatem dare.

13

I O A N N I S M E V R S I
G V L I E L M I
A V R I A C I
L I B E R I I.



Ed de turbis tunc ex-
ortis, res miranda est,
& exponi pluribus di-
gna. Iperis, quæ è pri-
mis Flandriæ urbibus
una, mense Augusto,
cum plebs metu passim
armata conciones frequen-
taret, quidam, animis
ferventes, quasdam pro-
pter viam imagines de-
jecerunt. mox sacella,
templa, & monasteria,
aggressi, quæ in agris,
deinde in oppidis idem
ausi, Christi crucifixi
imagines, ac divorum;
tum sacraria, aras, ta-
bulas, prout quodque
obvium erat, impetu
plane incredibili, dissi-
parunt, fregeruntque:
adjutantibus facinus
scortis, pefsimisque
nebulonum. idque factum,
cum in aulam Egmondanus,
provinciae præses, à
Parmensi evocatus, dis-
cessisset. Neque hinc
furor iste stetit. sed,
brevissimo temporis
spatio, turbinis instar,
totum Belgium pergrassatus,
nullam fere ditionem,
nullam urbem, non in-
vasit. & aut omnes
violentæ multitudinis
insolentiam tolerarunt;
aut, ne etiam tolerare
cogerentur, ultro orna-
tum omnem sacrum, sta-
tuasque, templis suis
amoverunt. alibi ægre,
oppositis armis, aver-
terunt. quodque magis
admirandum, tam con-
fusus impetus erat, ut,
initium qui fecisset,
nesciretur: ac protervia
grassatorum item tanta,
uti Protestantes ipsi,
qui omnino factum cu-
perent, illam tamen im-
probarent. nusquam
tamen rabies major, quam
Antverpiæ. nam post-
ridie, quam Auriacus, à
Parmensi evocatus, pariter
atque Egmondanus, se
Bruxellas contulisset;
ceu amoto, quem rever-
ebantur maxime; cum
beatæ Dei matris simulacrum,
usitato dudum more,
in supplicatione publica
circumductum, & in
templi iterum choro collo-
catum sine ulla turba
esset, jamque nihil
metuendum putaretur;
juvenes qui-

dam, ante chorum
consistentes, verbis
contumeliosis quæritare;
ecquid sibi Marietta,
ita divam per ludibrium
appellabant, *formidaret,*
*quæ se in chorum tam
festine recepisset.*
ab alia parte scurræ
quidam circa ambonem
concionantes joco ex-
primere. ac mox quidam
è grandioribus, eo ascen-
so, verba inde ad astan-
tes, ceu pro concione,
facere; illis contra illu-
dentibus, & in ipsum
obvia quæque jacentibus,
tum detrahere cupientibus.
quos cum ipse toto
nisu propulsaret, fere
ludus pugna fieri. &
navicularius quidam,
seu quod insolentiam
facti minime ferret,
seu quod pars quoque
illudentium esse vellet,
ab alio latere ambonem
scandens, concionantem
deturbavit. hinc, cum
spectatorum quidam
se miscerent, tantum
non pugnatum fuit.
ac qui deturbatus erat,
vulnere accepto, vix
evasit; abductusque
ad magistratum, cum
rem omnem exposuisset,
statim templum excubi-
tores jussi adire; &
exacto populo, claudere.
atque hæc gesta ad
diem Augusti x i x. Ad
xx insequentem rursus
juvenes, puerique, circa
preces vespertinas cum
in templum convenissent,
& convitia pridiana
in divam jacerent, anus,
quæ vendendis cereis
ante chorum affidebat,
indignata, cinerem,
pulverem, sordesque
alias, in hos mittere.
inde rixa. cui cum
apparitoribus Immerse-
lius, urbis prætor,
supervenirens, ubi
hortaretur omnes,
templo exirent; pars
hortanti morem gerere,
pars post vespertinas
preces exituros respon-
dere. & affirmanti,
nullas illo die fore;
ipsos ergo peracturos,
dictitare. deinde
cantillare quidam;
alii pilis, lapillisque,
luditare: atque ad
famam multitudo
etiam crescere. itaque
prætor, cum contemni
se videret, nec valere
jussa quicquam, templi
foribus, præter unam
obseratis, anxius
illinc se proripere.
ea res augere audaciam;
alterque alterum,
ad imaginem

CIO IO
LXVI.

D. Mariæ de jiciendam, incitare. idque statim, effracto choro, perpetratum; cunctis simul alte voce, VIVANT GEVSII, acclamantibus. quod ceu signum audendi esset, magno impetu in sacella, simulacra, atque altaria, quotquot essent, involatum; mediaque nondum nocte fracta omnia, ac disjecta. nec in templo tam augusto, in quo altaria septuaginta ferebantur, quidquam integrum remansit. nulla claustra adeo firma, quæ depositum tuerentur. inde ad alia urbis templa, ac monasteria, discursatum. neque divis ullis paritum. una nocte, prius quam sol illucesceret, res peracta; lumen suum commodantibus facris facibus, cereisque, quos in templis invenirent. quodque fidem pene excedit, nemo in tanta luce notus; nec repertus quisquam fuit, qui jactare admissum facinus diceretur. tum in ista tam confusa multitudine is consensus animorum, & ordo, erat: ut ruinis statuarum, quas tot passim demoliti, lapidumve, aut lignorum, nemo vulneratus fuerit. nusquam rixa, nusquam de præda certamen. adeo omnes conspirasse videbantur. & hæc acta inspectante magistratu, civibusque, idque in armis. verum animis adeo sane perturbatis, ut consilium expedire nullum possent. hinc suspicio, inde metus, distrahebatur. qui majorum religionem sequebantur, concitatam à Protestantibus multitudinem suspicati, metuebant, ne cum hac se conjungentes mox in ipsos incursarent. illi contra, providentes, totum hoc facinus sibi imputatum iri, id curandum existimabant, ne ab istis opprimerentur. utriusque autem communis metus, ne incondita multitudo, prædâ illecta, & impunitate audax, templis jam, ac monasteriis, deficientibus, effrenem audaciam in cuiusque ædes verteret. itaque serio sese mutuo adhortari, ut concordēs esse vellent, curarentque, ne quid sanguinis funderetur, neve ædes etiam ulla invaderentur. qua in re, quantumvis alias diffidentium, consensus fuit; mox Hispanis hac de causa exprobrantibus, fortunarum, & securitatis suæ, quam templorum, aut sacrorum, diligentiores esse. Postquam dies illuxisset, quidam ex istis nebulonibus extra urbem se proripiunt; & cœnobium Bernardi, ad sesqui inde millia-

re, quæque in agro, ac vicinis circum pagis, alia templa, aut sacella, eadem audacia mox diripiunt, & devastant. in urbe vero, toto etiam illo die, biduoque infrequente, direptiones istiusmodi continuatæ, nullo prohibere auso. tandem tamen in majore urbis templo, dum simulacrum ingens Christi, cruci affixi, auro inductum, magno nisu deiceretur; idque insignia equitum ordinis aurei velleris, super exedras opere egegie ibi picta, casu suo confregisset, animos indignatio facere; & magistratus, atque cives, qui armati assistebant, templo omnes expellentes, quosdam arripere, & in carcerem statim abducendos dare. moxque tres ex istis laqueo, tres exilio damnati; in cæteros aliter vindicatum. dein à magistratu edictum, uti templis Protestantes, in quibus conciones jam habere cœperant, abstinere; tum ne quisquam locis sacris vim inferre ultra auderet; prædam quoque unusquisque intra horas xxiv ad præfectos regionum reportaret. delinquentem penas capite luiturum. ita statim, magistratus reverentia, retractæ è templis conciones, visque ommissa, & multa in curiam relata; quin picturæ insignes aliquot, à quibusdam collegiorum, operis causa, exorata, & conservata. edictum istud magistratus Protestantibus per Jacobum Wesembecium urbis syndicum, nuntiavit. qui, cum in se facti invidiam derivari animadverterent, ad xxiv Augusti per libellum, quem Iacobo Heideno consuli offerebant, causam dicere; ac testari summum numen, sine sua voluntate, aut conscientia, rem patratam. cupere quidem, id quod factum; quando omnino, tolli cultum idolorum, ad Dei gloriam pertinere existimarent; modum tamen detestari, & non, nisi magistratus auctoritate, faciendum arbitrari. ac jam operam dedisse, daturosque etiam porro, uti per pastores suos unusquisque, si quid rapti possideret, id referre moneretur. promptos quoque, insolentiam quamcumque, & vim, reprimere; ac mandatis denique omnibus morem gerere. se hunc magistratum suum, à Deo constitutum, agnoscere; & præstare obedientiam debitam vellet, ac tributa, & vectigalia, quæque alia arario publico persolvenda, exhibere. pastores item ecclesia sua, rectoresque, si necesse videretur, fidei ipsis, & obsequii, ex præcepto verbi Dei, jusjurandum dare paratos; ad salutem civitatis

conservandam, populumque in officio, & quiete, continendum. maxime autem oratum cupere, ut tutari ipsos velit, concionibusque suis locum aliquem constituere; tum ignoscere, quod quibusdam templis uti, dum deliberaret ipse, instituissent. non se ullam conscientia alicujus vim parare; verum sat, superque, habere, gratiasque Deo agere, quod pro sua colere porro ipsum possent. denique supplices rogare, edicto caveat, ne quis alteri, ob diversum in religione sensum, re, aut verbo, contumeliam ullam faceret. Ita tandem, uti templis consecratis abstinerent, concionem in nova urbe, sub tutela magistratus, impetrarunt; Augustanam confessionem profitentibus, qui tunc Kiliam obtinebant, ut incommoda aliquam multa arcerentur, simul æmulatio quædam, & ex ea mox dissidia, inter partes nascerentur, ad Georgii, quod primarium illic templum, concionari callide permissum fuit. de his omnibus & Parmensem, & Auriacum, magistratus statim certiolem facere; illum vero etiam orare, ut venire in urbem vellet. quo negante, & neglecti nunc consilii pœnas dare, respondente; habito hac de re senatu, iterum mittere, & supremam potestatem urbis ordinandæ offerre. veniret itaque, & excubias constitueret, militesque è civitate tota legeret; denique alia omnia faceret, quæ & regi grata fore, & urbi expedire, putaret: morem se gesturos esse. tantum, ne quid contra privilegia sua, aut antiquas consuetudines, actum iret. dum Antverpiæ hæc geruntur, alibi quoque bellum sacris imaginibus intentatum. In eadem illa Brabantia, in Machliniensi urbe, turbulenti quidam ausi; & fecissent, nisi eos magistratus repressisset. sed is Liræ cum par prohibendo haud esset, ut periculum anteverteret, ultro è templis simulacra amoliri. idque passim per Brabantiam actitatum. Silvæ-ducis, Bredæ etiam, & Bergæ ad Somam, eadem fortuna fuit, quæ Antverpiæ. eadem Gandavi, in Flandria; Iperarum, & Aldenardæ, urbiumque cæterarum. Valentinianis quoque, & Tornaci, ac per reliquam Gallobelgicam idem factum. Idem etiam Ultrajecti, Amstelodami; tum Lugduni Batavorum, Delphis, Hagæ, Brilæ, & alibi, in Hollandia. Nec Zelandia immunis fuit. Middelburgum, Campoveria, & Flissinga idem passa. Fri-

gia item, & in ea Leoverdia, ac Groninga; quæque aliæ toto illo tractu urbes. tum trans Ifalam quicquid situm; Campi, Suolla, ac Daventria. In vicina item Gellia, Arenaco, Neomago, Ruremundæ, Hardervico, & Venlonæ, oppidisque circumjectis, tum & pagis, hæc tempestas non pepercit. Middelburgi non dejectæ tantum aræ, & simulacra; fanaque omnia expilata; etsi biduum magistratu, cum urbanis sagittariis, resistente: verum plebes, magno numero congregata ad xxiv Augusti, ab episcopo, & magistratu, flagitare, ut ob religionem capti solverentur, deinde sibi traderentur. nisi fieret, carcerem se effraturam. itaque viginti aliquot, prohibendæ seditioni, sanguinique, exoluti; tum, habendis concionibus, templa intra urbem indulta. Delphis non sufficiebat, magistratum sponte sua simulacra removisse; verum, quanquam in armis cives prohibere niterentur, quicquid reliqui, disturbatum. & Franciscanorum quoque monasterium per vim captum, in quo conciones suas exercebant. Hagæ Adrianus Mennigus, & Theodericus Iustus, Sufium curiæ præsidem, & senatum, item loci magistratum, adire; veniam expurgandis fanis, statuisque submovendis, postulantes. ac rogantibus, qua auctoritate id facerent; alter, pectus manu feriens, se mandatum, in isto sinu occultatum, interiorem animi conscientiam innuens, circumferre respondebat. ea re perculsa curia, advocato Hippolyto Perfino, Ultrajectinorum præside, qui tum forte illic aderat, & consilio collato, cum negare non consultum videretur, apparitores addidere, qui, seditioni arcendæ, ad sacrarum ædium fores excubarent. ita sine ullo negotio, quod volebant, effecere. quin & alios coëgere, quibus aliquid simulacrorum domi esset, ut id traderent, frangerentve. Dordraci, Harlemi, Goudæ item, Roterodami, aliisque in civitatibus, magistratus, quod patiendum sibi fore animadverteret, ut tumultum popularem prohiberet, facere maluit; ac potissimum, cum videret scurras, fures, meretrices, huic rei se miscere. itaque ultro ubique imagines ipse sustulit. Harum rerum omnium nuntius, cum Parmensi, & Senatui, afferretur, vehementer trepidatum

datum est. aula tota, civitasque Bruxel-
lensis, ne quid illic tale fieret, arma cape-
re: opponenda, si quis ausus quicquam
foret. & Parmensis, sibi metuens, abutum
Montes, in Hannoniam, agitare; ac præ-
fectos provinciarum, equitesque aurei
velleris, qui consilium improbabant, &
omnino dissuadebant, comitatum postu-
lare. Viglioque nuntiante, *armatos cives
portas urbis observare, nec discessum permissu-
ros, ægre sane, promittentibus illis omni-
bus, si necessitas urgeret, abutum ejus, vel cum
vita sua discrimine, adjuturos, diem distulit.*
interim Petro Ernesto Mansfeldio præfe-
ctura urbis data. is continuo in basilicam
cives vocat. Vbi Auriacus, Egmundanus,
Hochstratanus, & Hornanus, qui huc
cum Mansfeldio venerant, alloqui eos; *se
Parmensem, plane abire cupientem, retinuisse,
cum promisso, effecturos, ne aut ulla urbe tota
conciones haberentur, aut vis templis, imagini-
busve, fieret. ea propter adhortari, atque orare,
uti hic quoque operam darent, & Mansfeldio,
jam præfecto, morem gererent. ad quæ illi re-
spondere, se obsequii volentes, ac cum ipsis vi-
vere, & mori, pariter certos.* Hoc Parmensis
confirmator, aliquantisper acquiescere,
dum sub vesperam nuntiatur, *decrevisse fa-
cilius ea nocte in imagines impetum facere;
Arembergium, & Barlaimontium, interficere;
ipsam autem comprehendere. itaque rursus
perturbata, vix sedari animo potuit, cum
præfecti provinciarum, equitesque aurei
velleris, affirmarent, tam frequenti tunc in
urbe nobilitate, non id Bruxellenses posse nec au-
suros. illa vero concitator, statim ad re-
gem literas dare, *proditam se ab Auriaco, Eg-
mundano, Hochstratano, Hornano; quam ob
rem veniret ipse, aut exercitum ex Hispaniensi
milite destinaret, si rem Belgicam salvam vellet.*
idem Barlaimontius scribere, & Noircar-
mius, Vigliusque. Hæc ad diem XXI
Augusti gesta. Insequente XXIII, verita-
ne obsequium in regem Belgium univer-
sum exueret, de consilio procerum om-
nium, senatusque, *convivere ad conciones,
illis locis, quibus ea hæcenus habita, paul-
lum statuit; ea lege, ut arma ponant, neque offen-
sam, scandalumve, ulli præbeant; neu majorum
religionem, quique eam exercerent, usquam tur-
bent. ita ipsis nullam vim illatum iri, & indul-
to hoc fruituros, dum à Rege, atque Ordinibus**

*universis, aliter statutum esset. cum manda-
to hoc, ita scripto, signatoque, ablegati
tunc, Auriacus, Egmundanus, Hornanus,
Hacicurtius, Affonvillius, qui cum foede-
ratis agerent. quorum nomine deputati,
Ludovicus Nassovius, Eustathius Fienæus
Esquerdus, Carolus Revellus Andegrus-
fius, Bernardus Merodius Rumenus, Ca-
rolus Notius Risoirius, Georgius Monti-
nius Nojellus, Martinus Serclafius Tul-
lius, Philippus Merius Sterbecanus, Phi-
lippus Merbaius Lonnervallius, Ioannes
Montinius Vilerius, Carolus Levinus Fa-
marfius, Franciscus Hæstenus, Ioannes
Savagius Descoubequius. Inter hos, post
multam disceptationem, de capitibus qui-
busdam, à Parmensi ad XXI Augusti
subsignatis, vulgarisque, sic convenit. In
actorum ipso limine præloquebatur Par-
mensis, *quando plures è nobilitate Belgica men-
se Aprili per libellum supplicassent, uti edicta
de sectariis inquirendis, vetera, ac nova, rigida
nimis, quæque exequi nemo posset, tollerentur;
aliaque eorum loco, de consilio & consensu om-
nium Ordinum, formarentur; ipsam insuper ro-
gassent, ut libellum istum suum Regi arbitran-
dum mitteret: sese rem communicasse cum præ-
fectis provinciarum, & equitibus aurei velleris,
tum senatu quoque status, ac privato; moxque
Regi, addita sententia sua, significasse: & pe-
tuisse, ne in suspicionem illi adducerentur, &
libellum, & conpromissum, quæque utrumque
insecuta, Regem in pejorem partem interpretari,
unde oriri turbæ graviores possent, ut securitatis
litteras ipsis daret; ac promitteret, nemini un-
quam crimini isthoc datum iri. rescriptumque
à Rege etiam in rem istam accepisse. qua de cau-
sa, cum Remp. in tranquillitate sua, nobilesque
fæderatos in officio, & obsequio erga Regem,
cui natura, & sacramento, obstricti essent, reti-
nere omnino cuperet: pro concessa pridem à Rege
potestate, consilioque cum præfectis provincia-
rum, & equitibus aurei velleris, tum Senatu
item utroque, communicato, hoc se fæderatis
scriptum, manu sua subsignatum, quo securi esse
possent, exhibuisse. In hoc illa declarabat,
nobilitatem fæderatam ad vigesimum diem Au-
gusti abs se revocatam esse; ut libello, pridem
oblato, responderet. atque interea, tempore val-
de oportuno, à Rege literas accepisse; per quas
certius, pleniusque, respondere ipsi posset. quam
ob causam nunc testari, quando illa totum Belgii
statum**

statum Regi ostendisset, ac sententiam animi sui, & præfectorum equitumque aurei velleris, & Senatus utriusque, indicasset, permittere eum, ut in præsens inquisitio, de qua adeo quererentur, omittatur; tum ut nova edicta fiant. verum, an per Ordines Belgii universi istud vellet, nondum plane statuisse. spem se tamen concepisse ex ejus literis, brevi decreturum esse. huc se operam collaturam, & jam tum fecisse etiam, iterata scriptione. quantum ad securitatem, cujus ultimo libello meminissent, attineret; hanc præstare, quantum in se, omnino certam. atque ut cuncta jam in sua potestate sita habeat, accepto à Rege omni & formæ, & modi, arbitrio, ita ipsis, ne qua animis diffidentia, aut suspicio, insideret, tanquam aliquid parum bona fide ad Regem delatum esset, affirmare; Regem, qui nil magis oderit, quam rigorem immoderatum, pro clementia usitata, plane cupere, uti in securitatem literæ illis qualescunque, & quacunque forma, ac modo, expediantur, quæ præteritorum oblivio sanciantur; dum deinceps, ut clientes, subditosque, facere æquum, quodque toties obtulissent, fidem, & obsequium, præstent; ac promittant, non se quicquam contra auctoritatem Regis, & tranquillitatem publicam, ullo modo tentaturos: verum operam duros, uti ad officium omnes reducantur, turbæ quoque componantur, plebsque motus studiosa compescatur, & à sacris abstinenceatur. tum ut omnes sacrilegii, aliarumve rapinarum, aut violentiæ, manifesti, severissime puniantur. dein prohibuit sedulo, ne vis ulla sacro ordini, aut justitiæ administris, nobilibusve, aut quibuscunque Regis subditis, intentetur; neve locis in hoc usque tempus liberis conciones habeantur, neve istis, ubi habere eas liceat, ab armatis conveniantur, scandalumque, aut offensa, præbeatur. tum imprimis curaturos, ut extranei, qui se turbis miscuissent, Regis Belgiique hostes, ejiciantur; plebsque arma, adeo noxia, statim ponat; & decretis, mox à Rege, Ordinibusque, pro republica, & quiete religionis, faciendis, se submittat, & obsequium polliceatur. Hæc quum, ut commemoravi, ad xxiii Augusti acta essent, addita ad xxv à Parmensi formula securitatis, qua se obstringit, nil nobilibus, propter fœdus, quod libelli supplicis causa iniissent, aliudve ad id tempus factum, aut dictum, unquam à Rege, aut se, imputatum iri. idque utrique sic placere. tum præfectis provinciarum, & equitibus aurei velleris, ac senatus utriusque item

præfidi, & præfectis juris aliis quibuscunque, dat mandatum, uti fidem, ac securitatem istam, sartam tectam fœderatis semper servant; eaque illos, nullo objecto impedimento, fruisinant: etiam curent, ne quis contra quicquam tentet. Accepto hoc à Parmensi scripto, eodem die fœderati altero se vicissim obstringunt, se præscriptum bona fide, quæque vere nobiles deceat, præstituros; durosque omnem operam, ut & isti, quorum nomine ipsi agerent, idem faciant: qui recusent, in hos vi usuros esse. ideoque fœdus suum, aut compromissum, quam diu promissa Regis, ipsiusque, servarentur, irritum ducere. quam in rem mox jusjurandum dant Auriaco, Egmondano, Hornano, Hacicurtio, & Assonvillio, à Parmensi delegatis. Hinc Parmensis ad xxvi Augusti in provincias litteras mittit, ad urbanos magistratus, judicesque, quibus certiores faceret; velle Regem, uti vetus, eaque vera, Catholica religio omnibus locis coleretur; ac mandare, ut præfecti, ceterique magistratus, allaborent, ne quid, dum huc ipse veniat, coram de republica tota cogniturus, uspiam turbarum detur; utque homines factiosi, qui consilia contra habeant, puniantur. Secundum ista ubique in oppidis conciones permittuntur, iis locis, quibus ad xxv Augusti diem, anteaque, eæ haberi consuevissent. quin edicta passim etiam à præfectis magistratibusque fiunt, ad securitatem civium, & concordiam, licet in religione diffidentium; quæ tantisper rata essent, dum à rege, de consilio omnium Ordinum, aliter statueretur. idque factum in turbatis civitatibus per Brabantiam, Gelriam, Flandriam, Hollandiam, Zelandiam, Frisiam, & alibi. Ita statim Protestantes, magistratu assentiente, conciones sine armis habere. quod ut valde lætum vulgo, ita ille magnas Deo gratias agere, cujus summo beneficio Inquisitioni invisæ, & episcopis, conciliisque, ac decretis, tum immani persecutioni erepti, tandem conscientiarum libertatem nacti essent. Et præfecti in provincias, ceu composito jam tumultu, revertere; prospecturi, ne quid usquam contra recens pacta fieret. Egmondanus Flandriam petiit, Auriacus Antverpiam; istis legibus, quas jam ante commemoravi. quo cum ad xxvi Augusti diem pervenisset, ordinare urbem instituit. itaque statim

Protestantes cuiusque linguæ IIII viros, cum quibus agat, legere iubet. & à Belgis delegati, Marcus Perezus, Carolus Bombergus, Hermannus Meranus, & Cornelius Bombergus; à Gallis, Franciscus Godinus, Nicolaus Vivarius, Ioannes Carlerius, & Nicolaus Selinus: ab iis, qui Confessionem Augustanam sequebantur, Ægidius Grevius, Ægidius Banderius, Henricus Broeckius, & Thomas Gherius. cum his statuit, *uti conciones quisque locis certis sine armis frequentaret; templa quoque, quando hiems immineret, utque libera essent cætera, ædificarent; aut idonea concionibus loca alia: tum ut omnes magistratui, cuius in tutela essent, morem gererent; & injuria, aut convitio, abstinerent. idque donec Regi aliter, aut Ordinibus, videretur. qui si quicquam contra ipsorum conscientiam constituerent, tum his tempus, quo se, fortunæque suas, alio transferre possent, datum iri. quodque in præsens ageretur, nunquam exprobandum esse.* In hæc cum jurassent omnes, etiam milites, qui è civibus ad custodiam urbis lecti, templa duo permagnifica, sumptum cunctis magno animorum ardore facientibus, festinato opere structa, quorum alterum, rotundum, in Gallorum usum cessit. Sic Antverpia ordinata, ablegati ab Hollandis, qui Bruxellis à Parmensi dari sibi Auriacum peterent; cuius prudentia sua provincia, aliæque, quæ præfectus ipse esset, graviter tunc perturbatæ, tranquillari iterum possent. eam ob causam, quamvis contra Antverpiani niterentur, novas turbas, si discederet, metuentes; tamen, cum Hollandi instarent, maximeque in his Amstelodamenses, Hochstratano, qui Machliniam composuerat, dat negotium, ut Antverpiam se conferret; & interea dum Auriacus inde abesset, prout ille instituisset, urbem regeret. isque post mandatum acceptum respondere, *se Antverpiam iturum, visurumque, quali in statu ab Auriaco urbem accepturus esset. tum interrogare etiam, si deinceps ex ipsius instituto sese gereret, num in Deum deliquisse, & regem etiam, censeretur. ita enim accepisse, quæ ab eo gesta forent, sic interpretari quosdam, ceu utrumque his lesisset. ad quæ illa; hanc imprimis curam haberet, ut tranquilla omnia essent; ac salutem publicam urbis summam legem existimaret. se Auriaco non scripisse,*

quicquam ipsi contra Deum, ac regem, factum; neve contra pacta item cum nobilibus fœderatis. sed in templis intra urbem conciones agitari, cæteraque nova istius religionis exercitia, contra honorem Dei, ac regis, suam quoque animi sententiam, & cum fœderatis pacta, omnino esse. ideoque officii sui credidisse, ut ad regem ista scriberet, adderetque rationes, quibus ille adductus foret. Ita Antverpiam Hochstratanus iter capiens, cum ad decimum diem Octobris urbem intrasset, die undecimo insequente, cum senatum amplio-rem, & mercatorum nationes, convocasset, ipso Hochstratano coram, edicere magistratui Auriacus, *necessario iter sibi in Hollandiam maturandum; ac Parmensi eam ob causam placuisse, ut Hochstratano urbem traderet. ea propter monitum velle, ut cum eo operam daret, ne tranquillitatem urbis, à se constitutam, amitteret: neu quid contra regem admitteret.* ad quæ iste gratiis actis, pro navata urbi opera, cum nequaquam Hochstratano defuturum se promitteret; ipse die duodecimo inde abiit. Datum illi in mandatis à Parmensi, *Vltrajectum, & Amstelodamum, urbes præfectura suæ omnium primas, ut potissimum ordinaret; quæ si in obsequio regis permanerent, harum exemplo alias confirmatum iri, alias nihil ausuras.* Postquam urbe discessisset, iterum turbæ; & ad diem decimum septimum multi è plebe in tumultum convenire. metus erat, ne majoris templi turrim occuparent; unde curiam porro invadere, sonituque campanarum signum dare sociis, possent. ideoque magistratus, ut præverteret, collocatas ibi excubias auget statim; & bombardas, pulveremque tormentarium, tum ingentia saxa addit, dejicienda in vim aliquam tentaturos. quod cum plebi gnarum esset, ad tumultum eam accendit; cum prætexeret, arma in turrim contra se congesta esse. itaque, cum bis convenisset, bis disjecta ab Hochstratano, circa vesperam numero majore accurrit; & effracto per vim templo, in imagines restauratas pergrassata, rursus ab Hochstratano pulsa, & nonnulli comprehensi. qui, rogati de auctoribus, sociisve, Bergemontium prodidere. isque mox in vincla abductus, facinoris poenas laqueo dedit; ac cum eo alii quinque. Auriacus in Hollandiam venerat;

nerat; quam pacare statim aggressus, cum acciperet, Amstelodami res turbatas, & minorum fratrum templum intra urbem à Protestantibus occupatum: tum per literas, tum legatos è nobilitate quosdam, adhortatur qui auctoritate inter illos primi, uti redderent. ita regem, nunquam istud permissurum, minus multo offensum iri. sed cum frustra id suaderet, convocatis in Schonhoviam urbem Ordinibus, mandata exponit; simul monet, si placatum regem cuperent, ne permitterent, conciones intra urbes ullas fieri. quod cum ipsi promississent, inde Ultrajectum abiit; & pacatum, quamvis ægre, istud dedit. in propinquo Ericus Brunsvicensis erat, obsequii in regem vetus. cumque ille, quamvis tutelæ prætextu, militem legeret, variae suspiciones passim ortæ. Ut Auriacus Ultrajectum, & Hollandiam, ita Flandriam Egmundanus ordinare iussus erat. qui, cum illic sexaginta amplius locis ad id tempus conciones haberentur, hoc solertia tandem effecit, ut paulatim minuerentur; alibi tamen templa illis, aut idonea ædificia, blande indulgens. tum severe in imaginum confractores animadvertit. nec ingratum id foederatis. qui, invidiam amoliri cupientes, ipsi quoque plures laqueo punivere. ac Ioannes Casembrotius, Backerselius, cum in coetum Protestantium ad Grammontium incidisset, hos sacrilegos esse dicens, impetu facto, & duodecim interfectis, quinquaginta alios cepit. è quibus viginti ab eo in crucem acti; qui supererant triginta, virgis cæsi; sed id factum, non tam poenæ, quam sævitiae, instar visum, multis improbatum fuit. Arembergius in Transiselaniam abiit, & pacatam iisdem legibus omnem dedit. Hochstratanus, Mechliniæ præses, cum Auriaco suffectus Antverpię ageret, ad diem xvii Octobris ortis iterum illic turbis, & nonnullis templum majus spoliare, atque imagines restitutas deturbare, molientibus, ut facinori obviam iret, cum urbano milite accurrens, sex ex illis comprehensos postero die, in terrorem reliquorum, è patibulo suspendit. Alosti quoque, in Imperiali Flandria, quendam, loco alieno concionantem, capitis supplicio affecit. Dum hæc fiunt, Protestantes, qui Antverpiæ,

iram regis metuentes, datis ad Germaniæ quosdam principes literis, orant ipsos, uti intercedere vellent. tum libellum Hochstratano ad xxvii Octobris, quem ad regem deferendum is curaret, in manum tradunt. in hoc præteritorum offensam deprecari; ac peccatum magistratus potius culpa dictitare. *quod armati conciones adiiissent, non injuria inferendæ, verum propulsandæ, factum. terruisse lanienam Vassiacenam, in vicina pridem Gallia perpetratam; dum in causa plane eadem suum quoque periculum putant. ita autem existimaret, nulla vi religionem imperari, sed benigni Dei dono animis hominum insinuari. ideoque Gamalielelem sequeretur; quam negato, quem probarent ipsi, cultu, & mandato, à quo plane abhorrent, per rigorem magistratus, & libidinem puniendi, ad sententias de religione impias hominum libertinorum mox compelleret. se doctrinam, sacris literis comprehensam, Symbolumque Apostolicum, & concilia antiquissima œcumenica, proba habere; neque unquam ab his discedere. tum paratos Synodo alicui generali, aut nationali, in Germania, Galliarum, aut Britannia, convocandæ, subsignare. interim petere, ut religionem suam liberam habeant. quod concedi ipsis posse, exemplis clarum. ita olim Imperatores Christianos libertatem Arrianis, & Novatianis, suam indulgisse. & Iudeos, Christiani nominis hostes, à Pontifice tolerari. Carolum quoque, regis patrem, non Germanis denegasse. denique vicinos Gallos isto beneficio frui. neque vero à conventibus istis suis quicquam ipsi metuendum; nec consilia clandestina, quando omnibus paterent, illic capi. spondere autem obsequium omne, & vectigalia, ac tributa, qua deberent. præter ista, si concederetur qua rogarent, declaranda gratitudini, tricies centena millia florenorum polliceri.* Hæc orantes, & tam magna offerentes, frustra nihilominus habiti; quin illusum illis etiam, ceu potentia ostentanda, aut auxiliis aliunde eliciendis, hunc libellum exhibuissent. neque supplicationem, sed superbiam, illam esse; & humilitatis specie comminatos, perterrere voluisse. Per id tempus rex Segoviæ, febri æger, decumbebat; valde ad nuntium irritatus. reque varie in senatu agitata, multis factum exaggerantibus, tandem universim placuit; Belgii motus à præsentē componendos, ac de itinere instituendo consultandum. interim ita Parmensi respondendum esse,

esse, ut silentio, quæ cum fœderatis ipsa statuisset, transirentur: ne laudare, aut improbare, unde turba iterum alia metuenda, videretur. sed comitia, uti pluries decretum, non permitti, salva conscientia, posse. tum monendam, quod jam ante item factum, ut Germaniæ principibus pensiones suas solveret; idque inprimis niteretur, ut mandatis morem gereret. Itaque binæ mense Octobri literæ datæ; quarum illas cum senatu, ac proceribus, communicaret; istas vero clam haberet. atque illarum isthoc argumentum erat; prolem sibi primogenitam, filiamque, natam esse; cui ob natalem diem, S. Clarae dedicatum, nomen ipse Isabella Clara Eugeniæ indidisset. jam Segovia se Madritum proficisci constituisse; inde porro in Belgium iter maturate habiturum. neque autem persuaderi sibi posse, turbas istas per comitia ulla ordinum universorum, se absente, satis tranquillatum iri; itaque omnino adventurum. interim hortari ipsam, ut principibus per Germaniam in obsequio retinendis operam imperatam daret; tum curaret, ut mandata ejus omnia servarentur. Ad hæc apud Maximilianum Cæsarem aliis litteris de turbato Belgio suo graviter queri; qui, ut animi æquitate, & prudentia, excellebat, singillatim respondere. quin offerre etiam operam, si qua adjuvare posset. se negotium summa cura expendisse, idque longe difficillimum invenisse. multo maxime, cum religionis catholice tantum odium plurimos Germaniæ principes invasisset. qui, ut nobilitati Belgicæ amicitia, aut sanguine juncti, si vim tentet, arma quoque conjuncturi videntur. quæ res non damnosa solum, aut lætuosa, Belgio foret: sed imperium illic ejus in discrimen item summum adductura omnino esset. ea propter utilissimum, & tutissimum, arbitrari; si benigne, quam severe, agere vellet. ac, consilium si probaret, se paratum inter ipsum, subditosque, intercedere. Insuper ad Parmensem quoque eandem ob causam literas dare; quo adjunctæ ad Auriacum, Egmundanum, Hochstratanum, Mansfeldensem, & Horrianum, aliosque è proceribus. verum istæ, quia arbitrio ipsius, & voluntati regis, permittæ, tradi vetitæ. Iam è Belgio multi etiam ad regem in Hispaniam scripserant; cum Auriacus, Egmundanus, Mansfeldensis, Megensis, Arembergius, Barlaimontii, tum Noircarmius, Rassingemus, Academia Lovaniensis, aliique; pro affectu quif-

que suo, quæ ubique accidissent, exponentes. singulisque per benigne rex respondet, gratum sibi obsequium esse, & hortari, ut perseverent, tum & præsidem senatus, Viglium Suichemum, scriptis sua manu literis, humanissime compellat, gratiasque pro labore, & industria, summas agit; simul rogat, quanquam gravi jam senectæ, & infirma valetudine, eandem operam, in adventum usque suum, ut navaret. Sed Auriaco, & Egmundano, qui conquesti apud regem, & amicos in Hispania, varie se insimulari per calumniam, tanquam fidei, atque obsequii, parum certos; eaque in re injuriam sibi gravem fieri: à quibusdam è senatu Hispaniensi respondetur, suspicionem, ac calumniam evasuros, si ad regis voluntatem, bonam, & sanctam, se componerent. eam vero, satis ipsis manifestam; & obsequium, sine noxa. id clientis, subditique, officium esse, quæ placere Principi sciat, quamvis in deliberando contra senserit, ea prompte tamen exequi. neque enim convenire, ut, natura quem submitterit, sapientia hic se supra dominum putet. penes illum imperii decus, penes hunc obedientie gloriam esse. multos autem arbitrari, si allaborassent paulum, facile turbas prohibere potuisse; atque hanc notam, si etiamnum annitantur, deleturos. igitur nulla posthac simulatione, aut conniventia, res collapsas restituerent; aut præsentem, sin id possent, saltem in adventum regis, ne in pejus etiam ruerent, stabilirent. Ex his literis, aliisque, quæ clam indices ex Hispania ferebantur, cum Parmensis fat perspiceret, quam hæc regi, ac senatui, displicerent; ne in regnis ejus cæteris, aut provinciis, ad exemplum forte aufuris, cultus priscus turbaretur, occurrendum omnino statuit. neque deerant, qui hæc agitantem porro instigarent, homines æmuli, quibus Belgii libertas, privilegiis tot munita, gravis erat; & occasio evertendæ, per religionis afferendæ speciem, videbatur. ac consilia rex in hanc rem, quæ in præsens sequeretur, submittebat. quem id animo agitare, non diu fuit, cum nobilibus, mercatoribusque, certum: partim literis, inde allatis; partim fama. quin Parmensis fœderatos, quos majorum religioni addictos sciret, clam monere. qui benignis ejus verbis, de propensa in se regis voluntate, fidem habentes, statim ipsi adhærere. unde factum, cum non pauci regis benignitati se per-

permittere, quàm extrema experiri, potius dicerent, ut nobilitas foederata, tertia plus parte minor, ingens detrimentum caperet. qua jam ita astu tali imminuta, ceu supplicium illis parans, qui imagines deiecissent, militem legit. & Megensem legionem unam cogere, alteramque Arembergium, alias duas è Germanis Ebersteinium quoque jubet: deinde è Gallis tres adjungit, sub Hiergio, Rhetiano, & Mansfeldensi. adhæc equitatum addit. quis instructa, mox ostendere vires incipit; conciones, ceu non usitatis locis haberentur, passim turbans. concionatores quoque alibi oppressos capit, & in captos varia poena animadvertit; unum etiam prope Alostum in crucem agit. tum securitatis literas, pridem datas, aliter interpretatur; ac, *quantumvis conciones permisisset, non proinde exercitia, modum istum matrimonii confirmandi, aut baptismi, cœnae sacrae, funerandi; non synedria, & quæ alia, concessisse.* denique jam palam edicit, *vi coactam, ideoque nec teneri.* Valentinianis imperat, *ut presidium à præfecto suo admitterent.* Vrbs à Montibus ista prima in Hannonia, ad Scaldim flumen; ampla, ac frequens; florens opibus, & commerciis; vallo, ac fossa, communita; præter ceteras Protestantibus habitata, deinde Gallia affinis. hinc prætextus, ceu discrimen aliquod esset, ne ex eo regno plures, qui eandem religionem sectarentur, se infererent. recusantibus oppidanis, & privilegia obtinentibus, ad xx diem Octobris, Noircarmius, tum Querceti agens, spondet, *quod si extra urbem habere conciones vellent, à presidio immunes fore.* quam cum illi conditionem, de consensu ministrorum, & synedrii, accepissent; ac Noircarmius, Valentiniana venturus, pacta ista rata facere, concionibusque locum simul assignare, deberet; is, promissi sui poenitens, postquam magno comitatu ad portam urbis advenisset, neq; adesset magistratus, aut synedrium, capta offensa, indignabundus retrocessit: multa illis, & Amandi item fano, interminatus. hinc Parmensis ad xxi Novembris iussa iterans, inobedientiamque criminata, ni parent, minas addit. cumque ne sic quidem admitterent, & in regias cohortes, apud

Salvii monasterium divertentes, tormenta sua explosissent; tum Carthusianorum coenobium, & Vedasti etiam fanum, diripiissent, ad Decembris xiv perduelles pronuntiati, non multo post obsidentur. Interea temporis data opera, ut res Protestantium indies inclinare cogentur; concionibus per blanditias, aut vim, passim interceptis. itaque eæ, five metu, five propter aspera hiemis, in Flandria, Hannonia, Hollandia, & alibi, intermissæ; verum tamen Amstelodami, Ultrajecti, Silvæ-ducis, Trajecti ad Mosam, & Antverpiæ, Gandavique, diutissime continuatæ. contra autem in Eburonibus ad Massecum, & Hasseltum, simulacra deturbare inchoatum; quanquam impetus ab Leodiensi episcopo, obsessio Hasselto, mox repressus. Eæ res Antverpianos perculere; qui Henricum Berchemium consulem, Lancelotum Vrselium, Nicolaum Rocoxium, Carolum Falium, equestri dignitate viros, & Ioannem Ægidium syndicum, ad Brabantia ordines mittunt, regis literas, die xx Novembris scriptas, audituros; & consilia, de pacando Belgii statu, conjuncturos. tum mandata illis addunt, *de comitiis omnium ordinum postulandis, ut quamprimum prohiberi ad tempus conciones possent; ac decerni, quæ ad conservationem prisca Christiana fidei, regiaeque majestatis, & tranquillitatis publicæ, pertinerent: promissa interea Protestantibus, qui manerent, securitate, ac præteritorum veniâ; illis vero, qui decretis, jam à rege, ordinibusque generalibus, promulgandis, acquiescere minime vellent, dato ad migrandum tempore. si comitia negarentur, cum ordinibus tunc provinciae consultarent, an non denuo quis ad regem ablegandus videretur; qui aut illa impetraret, aut, quo modo componenda turbæ essent, indicaret: ne cum armis ille in Belgium sibi omnino veniendum, ac vim adhibendam, duceret. quin Parmensis in rem istam intercessionem peterent, & per illam Casaris quoque, ac Sabaudi. tum ut ordines Brabantia scrupulum omnem, de ordinibus generalibus convocandis, regi eximere conarentur. idem ordines cæterarum provinciarum rogarent, Reip. à periculis imminentibus liberanda, uti adjutare vellent.* sed consilium hoc, etsi longe utilissimum, frustra fuit. proceres quoque,

quoque, cum offensum adeo regem intelligerent, & Montinium, ac Bergensem, maxima prudentia viros, quibus nulli ad repræsentandum regi rerum statum aptiores, nihil plane effecisse; quin & detineri illic, copiasque militares à Parmensi comparari; sinistra omnia cogitare inceperunt, ac prospiciendum sibi existimarent. quare Auriacus, Egmundanus, Hornanus, Hochstratanus, & Ludovicus Nassovius, Teneramundæ congregati, super iis, quæ Montinius de offensa regis scripserat, in commune consultabant. & Auriacus proferebat literas à Francisco Alava, ejus apud Galliæ regem oratore, ad diem XVIII Augusti, alterasque, eodem mense ad XXIX diem, utrasque autem Lutetiæ datas, & in via interceptas; qui Parmensem confirmabat, arbitrantem, Belgicorum motuum auctores tres hos esse: arcana ejus numeri nota Auriacum, Egmundanum, & Hornanum, designante. tum suadebat, benevolentiam erga illos summa industria simularet; diceretque, quicquid Belgii in obsequio permaneret, solis ipsis regem id acceptum ferre. qui tamen mox, tempus oportunitatis nactus, cum in eos, tum Montinium, Bergensemque, & Renardum, prout meriti, animadversurus esset. ac, Madritum cum venisset; coram multis regni magnatibus jurejurando affirmasse; satis se comperit habere, Belgii turbis non se unum tantum laesum, sed supremum quoque numen, cujus cultum homines impii temerassent. quæ res ita eum offenderet, uti regna potius omnia, ceterasque ditiones, in discrimen summum adducere, quam supplicium perduellibus remittere, mallet. quin iturum ipsum in Belgium; & si vires puniendis justæ desint, Papam etiam, Casaremque, ad suppetias vocaturum. deinde addebat, ex his turbis magnum regi, confirmanda ibi potentia, commodum fore; Belgiumque universum, hæcenus privilegiis ferox, ad exactam obedientiam, quam priorum principum nemo obtinere potuisset, perducendi honestam occasionem esse. Quibus lectis, dum deliberant, quo se modo tueri queant, non consensus est. & Auriacus ad concordiam adhortari, sine qua non libertatem, non fortunas, & nec vitam salvam habituri essent. quippe ingenium Hispanorum, & consilium, sibi gnara; qui in belli occasionem, Bel-

giique subjugandi, animo intenti, turbas, quam obsequium, vellent. Contra niti Egmundanus, neque rigidum adeo regem inducere animum posse ut crederet; ac, si esset, meritis fidere: quibus benevolentiam ejus satis sibi obstrictam putaret. tum fortunas, sine quibus neque vitam tolerare, nec tueri dignitatem etiam posset, ut in ejus ditionibus, ita potestate esse. ea propter è benignitate ejus cum penderet, maxime interesse sua, uti gratiam, sive incolumem, conservaret; sive offensa aliqua laesam, novis meritis repararet. qui rigorem formidarent, his suadere, ut discedant. sibi vero nec consultum id videri, nec licere. Sic, colloquio frustra habito, res dilata; cum non desperarent quidam, si repeterent, Egmundanum tandem in sententiam istam adducturum iri. Proceres è fœderatis, cum animadverterent, nunquam regem, aut Parmensem, ut in religione quicquam mutaretur, quanquam simulate id fieret, permissuros; sperarentque, Augustanæ si confessionis titulus sumeretur, non auxilia, aut tutelam, defutura: visum fuit Antverpiæ, Valentianis, Tornaci que, & Amstelodami, quæ præcipue Protestantium urbes essent, serio eorum delegatos, per Nassovium, aliosque, adhortari, ut ubique ad præcepta summi numinis se componerent, & obsequium magistratui, quatenus ille conscientis nil imponeret, exhiberent. tum servarent, quæ Parmensi, ac fœderatis, proxime statuta essent; neque inconsultis ipsis, aut ignaris, novi quicquam inceptarent. ita omnes Deo, regi, & Republicæ, facturos satis. res in pejus jam prolabi, militemque passim legi; neque dubium ullum esse, adventurum ipsum regem cum ingenti undique manu; qua & inquisitionem, adeo reformatam, constitueret; & religionis reformatæ usum prohiberet, privilegia conculcasset, libertatem profligaret, vitam denique aut eriperet, aut acerbiorē ipsa morte faceret. recte igitur, & pro subditis, facturos, si iratum graviter regem nunc pacare conarentur. non tam sua eum offensa, quam calumnia aliorum, irritatum; ideoque veniæ faciliorem multo fore. darent igitur istic operam, & legitimo principi suo se submitterent; cui quantum promptæ fidei, & obsequii, tantum etiam innocentia declararent. porro supplices rogarent, daret aliquid conscientis, neu religionis suæ exercitio interdiceret; of-

ret; offerrentque, quod jam pridem, si permit-
teret beneficium, tricies centena millia flore-
norum: iisque passim colligendis certos ali-
quot constituerent. quando vero inimici adeo
potentes essent, ut adversus illos Caesar, Electo-
res, principesque Imperii alii, implorandi vide-
rentur, qui pro ipsis apud regem intercederent;
hique forsitan minus prompti deprecandi, nisi
pars confessionis Augustanae esse vellet: è re-
publica, & ecclesia item Dei, existimare, ut
quamprimum istud fieret. itaque deliberarent,
& mature rem decernerent. Hæc Nassovius
cum exposuisset graviter, respondere de-
legati; semper regi, & magistratui, obsecutos:
idque porro, si nil contra conscientiam manda-
retur, facere certos. pacta quoque fæderatorum,
& Parmensis, quibus locis promulgata, obser-
vasse; ubi vero nulla promulgatio facta, quan-
do illic ignorarentur, non potuisse. ac facilius li-
bertate, nondum nota, carere homines; quam
amittere, postquam semel cognovissent: idque
turbas, aut discrimen certe maximum, secum
trahere. tricies centena millia, redimenda reli-
gionis libertati, dare paratos; verum edicto à
Parmensi, quæ vetuisset, ne pecunia usquam
ulle colligerentur, retineri: itaque veniam à præ-
fectis provinciarum postulandam, litterasque
concedendas, aut promissa, quibus certi esse pos-
sent, sine damno, aut offensa, factum fore. quod
suaderet, ut confessioni sese Augustanae adjunge-
re vellet; minime istud, quatenus ea sacris li-
teris responderet, detrectare. sed, cum arduum
id negotium, non se in præsens constituere quic-
quam posse. dandum tempus, quo deliberarent
amplius; & ministros ecclesiarum; ac presbyte-
ria, consultarent. Brabantia ordines etiam
apud Parmensem queri; hætenus se è die in-
diem expectasse, uti turbis, ob dissidium religi-
onis excitatis, ipsa occurreret. verum frustra
spem fuisse. adeo vero mora invaluisse malum;
ut, si porro negligatur, mox, remedio omni ma-
jus, pessum Belgium universum sit daturum.
nec catholicam religionem, neque majestatem
regis, nec commercia, in quibus res vertatur
publica, salva fore. quando vero nihil magis
expedire videatur, quam ut rex sententiam su-
am apud Ordines provinciarum exponere velit,
ac cum iis constituere, quonam modo emenda-
ri cuncta possint; orare enixe, uti eos convo-
caret, plane ut convocati erant, cum Philippo
à patre Carolo Belgium istud traderetur. sin id
posset, saltem ipsos advocaret; & consilia, aver-

tendo imminenti infortunio, quod atrociamini-
naretur, secum haberet. Hic Parmensis, ut
provinciarum Ordines convocentur, nullo mo-
do, dum abesset, regem velle. quippe tumul-
tum vereri. dein sectariorum audaciam, qui
ubique se insererent, summam esse. sed permit-
tere, ut Bruxellis ipsi veniant, quæque è Rep.
putent, ibi exponant. deinde datis ad vige-
simum Novembris literis, ad penulti-
mum ejus mensis convenire eos jubet.
quam rem postquam Protestantes, qui
Antverpiæ, accepissent; Hochstratano,
& magistratui, per libellum supplicare:
die Septembris secundo convenisse inter ipsos, &
Auriacum, ut religionis suæ exercitium, dum
rex aliter cum provinciarum ordinibus consti-
tueret, liberum foret. ac quantumvis maluissent,
Belgioque universo multo utilius etiam fuisset,
in æternum, quam ad tempus, id decretum; ta-
men, affectu in tranquillitatem publicam, quan-
do hoc requireretur, accepisse conditionem, ac sub-
scripsisse. cumque Auriacus, à Parmensi au-
ctoratus, promississet, sarta tecta semper pacta
habituros; nunc rogare, ne quid statuant, neve
statui permittant, quo provinciarum Ordinibus
contra ista quicquam præscripturum esset. Huic
libello alium quoque ad Brabantia Ordines
addunt, & offerri à se petunt. sed
rejecti, incassum supplices. Brabantia
Ordines, cum Bruxellas convenissent,
ac consilium de Rep. ordinanda habuif-
sent, inquirunt; videri sibi, ut edictum rex
proponat, quo religionis novæ exercitia, cu-
juscunque tandem modi, prohiberet; dum in
Belgium ipse veniat, & provinciarum Ordini-
bus in consilium advocatis, porro de re summa
statuat; interim vero, si qui morem gerere no-
lint, ii, ceu turbare quietem publicam ausi, aut
exilio, aut arbitrio judicis, luerent. utque edicto
vis sit major, promptiusque pareatur, ordines
provinciarum consulendos, maximamve eorum
partem, arbitrari; qui non alia de causa convo-
candi istuc essent, saltem eo ipso modo, quo vo-
cati ante proximos octo annos, cum de novenna-
li regis rogatione ageretur. tum in convocatione
generali provinciarum ceteris faciendam seorsim
fidem, sic Brabantiam, Flandriamque, & Hollan-
diam, sentire; neque earundem aliquam in co-
mitiis generalibus quicquam mutaturam esse:
neu passuram, ut quid aliud agitetur. ac jam
nunc spondere id Brabantia ordines priores
duos, præsulesque, & nobilitatem; atque è

tertio cum Lovanium, tum Bruxellas; & metropoles minores duas, Thenam, ac Lewiam; Antverpiam autem, de prioris membri iussu; Silvam-ducis, de prioris utriusque. neque parum valiturum, si & ipsa, & provinciarum ordines, adpromittant, regem sese oraturos, ut benigne, quæ delicta hæctenus à sectariis essent, condonare omnino velit. denique si, tuendo edicto, capessendam vim existimet; Belgam militem, quam extraneum, adhiberet. idque minus subditis damnosum fore. Placuit Parmensi hæc sententia; itaque mox, vicesimo quarto Decembris die, edictum concipit in hunc modum. Exortas præter votum turbas, quæ quidem crevissent adeo, ut sectarii, arma etiam capere ausi, multis locis aedes sacras, comminutis imaginibus, diripissent. ac sperasse, si benigne obviam iret, emendari malum posse. sed spe ista excidisse; quin invaluisse tantum, ut potestas prohibendi nulla fuerit. quam ob rem, ut cæterum Belgium conservaret, coactam tandem cum nobilibus fœderatis depacisci, ac spondere; non se vim intentaturam adversus eos, qui, religionis novæ exercitiis addicti, conciones frequentarent; itum vero, reditumque, liberum cuique fore; dum provinciarum ordines de re tota constituerent. ea tamen conditione, ut, quæ invasissent, templa restituerent; & Catholicos, sacra sua prisco ritu celebrantes, nullo modo perturbarent. nunc, cum multi contra irent, potestate sua usuram, & in delinquentes pœna. Hoc edictum cum ordinibus expendendum proposuisset; illi, postquam inspexissent, immutari, quæ notassent, postulare: deinde addere, quando ipsos in consilium advocasset, ac, sententia approbata, edictum etiam concepisset; quod, mutatis tantum paucis, bonum omnino visum esset; orare maxime, nisi inutile istud vellet, uti sine mora ulla exsequeretur. nam periculum ingens esse, ne, dum in Hispaniam mittat, rex deliberet, dein comitia habeantur, ordinesque constituere aliquid possint, validum magis isto intervallo malum, aut remedium omne evadat, aut majore cum negotio corrigatur. idque experiundo certum; & turbarum ipsa initia, valde adhuc imbecilla, dum edicta expendere, & de mitigandis iis ageretur, ita mora confirmata, ut, quæ prius componendis satis essent, post momenti nil habuerint. & in præsens magis istud apparere; quando arma, pridem in tutelam sumpta, nunc

ad vim haberi cepta. tum edicta, si confestim exsequaris, deterrere; si protollas, adversariorum astu, varie eludi. urbes quoque non impense, ad tranquillitatem suam defendendam, ultra pares; agris, unde annona illis, devastatis: & commerciis, opificiisque omnibus manuariis, interceptis. quibus malis cum remedium adhiberi omnino debeat, idque peti à provinciarum ordinibus sit necesse, habenda eorum comitia esse. quod quantumvis, se absente, rex faciendum non putaverit; quia tamen de plerisque satis certo persuadere sibi possit, de edicto asserendo, quod potissimum ille urgeret, consensuros; causam ullam non videri, cur diutius differantur. itaque iterum rogare, quod necessitas juberet, & illasa regis majestate posset, si Remp. salvam vellet, ut permitteret, curaretque. Hæc Brabanti, etsi frustra; cum Parmensis, varie excipiens, gratias tamen illis quàm blandissime ageret, pro affectu in Remp. & regem suum, quem factura etiam certiore esset. rogare porro, uti in provincia sua, quantum possent, operam darent, ne sectarii promoverent; idque regi, jam propediem adfuturo, gratum fore. In calamitate publica, de remedio publica quoque cura erat; & deliberare omnes, qui evaderent. Fundus ærumnarum erat inquisitio; quam omninò, ad avitam religionem conservandam, rex invecctam cupiebat. itaque dispiciebant; an permitterent, anne contra summa sese vi objicerent. si objicerent; an id possent, & quo modo: utrum sine ullis turbis. quod si ea nulla sane ratione caverentur; utrum publice, vim opponi, expediret. propulsari autem posse, satis certum existimabant. nam initio regis vires, Belgarumque, inter sese comparandas. illum, nihil sine prompto subditorum obsequio posse; quorum animos cum ab ipso Inquisitio alienos plane faceret, deteri potentiam ejus: ac, quod pejus, tantum auxilii advocandum, quantum odii inter suos concitaverit. insuper, plerumque reges, in delictis educatos, rerum imperitos esse; dum eorum consilarii istud agunt, ut, effeminatis illis, ipsi regnum administrarent. verum nec consiliarios, dum ambitio quemque impellit, convenire. hinc discordiam, inde impotentiam, nasci. contra, in Belgio multos proceres, ætate vegetos, & prudentia militari, ac civili, excellentes inveniri; qui tuenda libertati, & saluti reipub. vitam omnes, fortunasque, impendere prompti, cum

concor-

concordia summa agant. non adesse vires tantum, sed, quæ supra has, prudentiam. in prudenti autem concordia non periculum ullum esse, ne abduci sese aliqui, quod perniciosum sibi omnes norunt, patiantur. nam dissidio quod obnoxia multitudo, aut consiliis perturbandis, tardandisve, putaretur, nihil esse. quippe; si hoc metuatur, facile adeo è tam multis, qui virtute, & prudentia, antecellunt, unum eligere, cui summam rem committant. & in eo contra reges prævalere, quos imponit pro arbitrio suo Deus, sapientes fatuosve; nec mutare, quod hic licet, fas subjectis. Hæc multorum dissertatio; Auriacus, ita arbitrari: finem sibi proponendum, justum, & æquum. justius autem, æquiusve, nihil esse, quàm spectare honorem Dei; salutem, fortunamque, principis: reverentiam magistratus, item juris observantiam. non mirandum autem esse, neu sumenda etiam arma, quia seorsim Belgæ sentiant, & sententiam sine involucre exponant, quamvis contra magistratus voluntatem. id à mundi usque exordio usitatum, maxime sub regibus illis, ac principibus, qui tam late, ut Philippus, imperarent. & exempla in promptu esse. tum vix aliter fieri posse, quin provincia, iis terris, quæ mutarunt religionem, adjacentes, aliquid etiam per commercia inde trahant. huc accedere, quod superiore bello, tam in castris, quam præsidiis, conciones sint permissæ. deinde nunc, necessitate impellente, idem factum. cogitandum, non immerito pœnas dari, quæ majores impenderent, ni remedia, conscientis subditorum, & universæ reipublicæ, profutura, maturato quærerentur. eadem vicinos passos; aliosque; qui religionis statum immutassent: & coactos, post arumnas quàm gravissimas, animum tandem hic applicare. atque in præsens oportere, ut provinciarum ordines; omniumque, & singularum, apud regem intercederent; uti ea, quæ Parmensis concessisset, rata habere ad tempus velit; quando effectum iis foret, ut jam posita arma essent, ac tumultus desissent. quos sopitos plane haberent, nisi pœna à rege metus, & armorum apparatus, excitarent. majoresque mox futuros, si vim porro agitaret. neque vero ita comparatum esse, ut seorsim habitare protestantes juberi possint, aut expelli. imo regnum nullum esse, aut ditionem, quæ accommodare sese ad vicinos magis debeat, quàm hoc Belgium. ac quemadmodum præstat multo, cum imperio se conjungere, quam quocunque alio regno; ita oportere etiam, hujus instituta sequi: quantum, salvis conscientis, & auctoritate regis, fieri possit. quæ non parum augetur, si præteritarum rerum universis veniam Cæsar impetraret; deinde cæterâ ordinaret, ut quiete sempiterna non provincie tantum ista, sed imperium quoque totum frueretur. quod nonnulli arbitrentur, prohibendas conciones, & religionis novæ exercitia; vimque etiam adhibendam: non consultum id videri. neque enim diuturnum illud fore, & discrimen magnum habere. nam cum sine externo milite perpetrari id non possit; isque nullo in provincias has affectu, solo questus incentivo stimulatus, ferret omnia, ageretque; sine ulla ratione fontes passim, insontesque, afflictorum: nil effectum aliud iri, quàm ut mercatores omnes, Belgæ juxta ac peregrini, merces inde, seque, transferant; nudas regi has provincias, ac tantum non desolatas, relicturi. neque rectius arbitrari, qui exilio, redactisque in fiscum bonis, in alienos à majorum religione animadvertendum putent. non videri quidem iniquum, uti principis sui jussa, aut magistratus; subditi patienter ferant; tamen sic existimandum, multos vitam prius ipsam, quàm fortunas, patriamque, amissuros: & venturos rursus ad arma. interimque diffugituros tot opifices, sine quibus Belgium totum pessum iturum. qui permitti libertatem conscientiarum velint; aut abeundi, salvis bonis, facultatem: multo hi putari æquiores possent, nisi sectis omnis generis, & quæ detestanda maxime, impietati, viam sternerent. certum quidem, minime passurum regem, ut religio, præter veterem, habeatur; quam sententiam procerum quoque plurimorum, Hispanorum, Belgarumve, & senatus universi, sine dubio futuram: quorum pars ambitione, & avaritia sua, impulsæ, alii, rerum Belgicarum, & affectuum, imperiti, valde impingant. verum tamen, deplorato adeo statu, ad vicinos respectandum; quibus illi se remediis, cum eodem nuper malo laborarent, restituerint. quippe, prius cuncta experti, ne religio, quàm a vita, in suis terris ulla esset; nihilominus, ne perirent, sua etiam Protestantibus exercitia indulgere sunt coacti. tum considerandum regi, cum principibus tam potentibus sit vicinus, nunquam illi pacem aliquam certam esse. ac, si bellum oritur, hostem exulibus contra ipsum tunc usurum. qui, offensi ereptis bonis, quæ recuperare sperent,

sperent, nocere quam gravissime velint: & nonnulli objectarent; nec suadere hac quenquam
 periti arcanorum, etiam possint. tum & intus, regi, neque admittere etiam eum, salva con-
 qui mansissent, dubia fidei multos fore. itaque scientia, posse: his videndum, num permit-
 tere tot provinciarum interitum, ejus pariter
 ubique, quos metueret, habiturum. quam ob conscientia, atque illorum, qui consulere ipsi
 causam, quando cuncta expendisset, nihil ma- utilia teneantur, onerosum sit futurum. se
 gis expedire regi visum, quam ut liberum uni- profecto existimare, non tam grave conscientia
 cuique religionis exercitium esse velit, destina- regis fore, exercenda religionis, cum modestia
 tis per provincias quasque locis; urbibus etiam; imperata, libertatem indulgere; quam per vim
 dominisque aut nobiles, quibus summa ju- periculosam, cum mederi instituerit, malum
 ris dictio, potestatem rei faciat: ita tamen, augere. cui item cogitandum, post suorum
 ut ubique potissimum caveatur, ne, qui sacra certam hinc & inde eadem, à qua abhorre-
 ritu prisco celebrarent, ullo modo turbaren- debeat, incertum exitum.
 tur, aut proterve laderentur. & hac certe in-
 dulgentia plus, quam armis, effecturum. quod





Interim Valentiniana à Noircarmio obfide-
 ri. quæ jam à Novem-
 bri mense etsi poene
 milite circumfessa ef-
 sent, tamen cives, si-
 ne cætero præsidio,
 animos plane militares ostenderunt, cum
 sæpissime excurrentes, tum frumenta cir-
 cum nata importantes; loca quoque, urbi
 iniqua, incendentes: denique hostem va-
 ria clade afficientes. Erant Noircarmio
 peditum cohortes decem, equitum verò
 ala una; huic additus Raffegemius, In-
 sulæ, Duaci, & Orchesii præfectus, cum
 trecentis sclopetariis, alteraque equitum
 ala. urbi autem liberandæ militem Flan-
 dri Occidentales conscribebant; cui su-
 um, sub Ioanne Soreavo, Tornaceni-
 ses adungebant. sed hæ copiæ, cum,
 militiæ impèritæ, ducem quoque sæ pe-
 ritum non haberent, à Noircarmio, &
 Raffegemio, utrimque impetum facienti-
 bus, facile inter Waterloum, & Lanoiam,
 profligatæ. plures cæsi. Soreavus, crure
 faucius, vix evasit. alii, Tornacum elapsi.
 quo Noircarmius, introducto per arcem
 milite, mox potitus, Protestantes illic de-
 prehensos capit, punit, fugat. Valen-
 tinianis Galli auxiliarium decem millia;
 duce principe Portiano, offerebant; sed
 hos illi, gratis actis, cum nobilibus foede-
 ratis, qui tunc ipsis vicem magistratus
 essent, quæ ad liberandam urbem perti-
 nere existimarent, agere jubent. tum li-
 bellum equitibus aurei velleris porrigunt;
*in quo perduellionis crimen, quod Parmensis
 impegisset, removerent. nam quod conciones
 habeant, qui istius criminationis fundus, de
 mandato id illius, ipsorumque, abs se fieri.
 si Parmensis de præsidio tamen urgeat, idque
 necessarium putet, admittere promptos; dum
 promittat, non vim ullam conscientis, aut*

religionis suæ exercitio, factum iri. Hoc li-
 bello nil effectum, nisi quod mox mense
 Martio, cum adductæ ad urbem verbe-
 randam machinæ, missi ad eos Arscota-
 nus, & Egmundanus, qui caverent, *si redi-*
rent ad officium, salva omnia, veniamque
ante actorum, habituros: ac ministris, quoquo
vellent, liberum com meatum fore. quod cum
 ipsi, nuntio accepto, prope Antverpiam,
 alibique, arma liberandis capi, recusaf-
 sent; mox Noircarmius machinis x x i v
 muros inter Montanam & Cardanam
 portam quater incipit. nec multo post,
 cum de suorum apud Austervelam clade,
 tum quæ gesta Antverpiæ essent, mox
 dicenda, accepissent, nulla jam spe libe-
 rationis reliqua, consternati, ad x x i v
 Martii, arbitrio regis urbem, seque, polli-
 cente benevolentiam summam Noircar-
 mio, dediderunt. sed is, promissorum ne-
 gligens, occupatis statim portis, cives plu-
 rimos, prout dignitate, aut opibus, anti-
 starent, primum capit, dein supplicium
 variè sumit. Herlini uterque, pater ac fili-
 us, ceu barbarum primi auctores, gladio
 cæsi. Guido Bressius, & Peregrinus Gran-
 gæus, concionatores, in furcam acti. mox
 ducenti amplius alii, diverso tempore.
 Amandi fanum paullo ante se dediderat.
 inde Cameracensium ducit. sed ad famam
 de Valentinianis captis dilapsi statim Pro-
 testantes, magnam partem à militibus
 insequentibus retrahuntur. inter quos
 Philippus etiam concinator; cui gula,
 manu prius amputata, laqueo fracta.
 In Gelria Megensis gnavus, provinciam
 totam ad obsequium reducebat. Elbur-
 genses, conciones intermittere, templa-
 que instaurare, coacti; tum arma omnia,
 & tormenta, in curiam comportare iussi,
 arbitrio se offensi regis permisere. Neo-
 magus, Hardervicum, aliæque in præfe-
 ctura ejus urbes, veniam pactæ. Aren-
 bergi-

CIO IO LXVII.

bergicus, cum, assumptis Germanorum signis quatuor, & equitibus sexaginta, agri Transifalani urbes ordinasset, Frisiam petiit; in qua prima Leovardia Protestantibus tenebatur. qui, securi anni hie-me, glacieque minus firma aditum impedi-ente, cum oppressi pene essent; ac metuerent, ne praesidium, quod in arce, se conjungeret, statim sese dedidere. Urbem ingressus, ordines vocat, proponitque; *ne deinceps conciones ullae fierent, neve foeder- ac si aliqua forte essent, uti his renunciant. ut ministri concionum, tertio ab edicto promulgato die, urbe excederent, & provin- cia, qui manerent, quive eos retinerent, capi- te poenas duros. templa quoque, & monaste- ria, restituerent; ac, religionis nova exercitiis intermissis, sacra prisco ritu colerent. tum pro- mulgatos item edicta omnia, quae a rege mit- terentur. inquisitio, & de ea publicata pridem edicta, nulla forent. immunes etiam, ut pro- vinciae omnes aliae, quae in potestate regis, haberentur. Ostergoi, Westergoi, & Seven- woldii, obsequii sui obsides darent, quot, & qualescunque, vellet; dimittendos, simul rex, jam adventurus, de negotiis Belgii coram aliquid constituisset; aut elapso inde anno. Ad haec illi, paucis tantum immutatis, con- cedere caetera se testantur. porro rogant, ne provinciae militem ullum imponere vellet; neve supra privilegia, aut immunitates priscas, eam oneratum iret. Cumque ad ista Aren- bergicus responderet; ita regi placuisse, cui obsequendum esset; neque abduci militem posse, nisi postulatis ejus acquiescerent: dein- de, octavo Februarii, alia quaedam rur- sum offerret, quae non multum a priori- bus differebant; illi etiam affirmare, se omnino, ne in ista consentirent; legibus patriae prohiberi: atque orare; apud regem, ac Par- mensem, sic negotium commendaret, ne provin- ciae privilegia laderentur. Inter urbes trans- rhenanas nulla magis a Parmensi timeba- tur, quam Groninga; libertate, opibusque agri; ferox: dudum protestantibus fa- vens, &, vicinitate Embdæ, quae perfu- gium ob religionem profugis, ad quietem provinciarum adjacentium perturbandam valde apta. itaque mandat Arenber- gico, daret operam, per blanditias ut praesi- dium introduceret. deinde ipsos Groningen- ses adhortatur perbenigne, darent isthuc re-*

gis gratia; qui, obsequii promptitudine delen- tus, privilegiis, quae praetenderent, & querela, quae adversus Ommelandos, magis indulturus esset. Arenbergicus sedulo hic allaborare; & blanditiis partim, ac minis, apud cives varie usus, nihilominus frustra fuit. nec Par- mensis, apud veteres libertatis, ideoque animi elatiores, ac praesidii insolentes, ali- quid sperare potuit. Erat ibi legatus regis, Ioannes Mepschius; is, auctoritate vali- dus, cives singulos circumire, ac primores collegiorum, quorum magna potentia ef- fet: universos compellare, ne obsequium re- cusarent, regi gratum, sibi utile, cumque nihil, persuadendo necessarium, intermitteret; tandem effecit, ut pars major consentiret. pacta quaedam, non servata; unde facti mox poenituit. admissa peditum Germa- norum signa quatuor, duce Blasio Vegers- heimio. Sub hoc tempus iterum Auriacus Hellegati, ac deinde Willebroci, ad rem Belgicam contra Hispanos afferendam summo opere Egmundanum permovere nitebatur. sed cum ille nec periculo com- muni, neque ulla ratione, induci pos- set, irritus conatus fuit. quippe arbitra- ri ipse, si deinceps conciones vetarentur, tum sectarii, ac turbones, punirentur, sat pla- catum regem fore; neque poena quicquam ul- tra agitaturum. & Auriaco adhortante, spem incertam, cujus postea sine dubio poenite- ret, ne teneret; neve pertinacia sua Belgium, seque, perditum iret; nihilominus, sine meritis nimis fidens, sine opes aegre amittens, & vitae media vitam potiora du- cens, animi obstinatus mansit. In disces- su, cum supremum vale dicerent, & Auriacum, si persisteret, brevi bonis exuen- dum Egmundanus affirmaret: ille contra, ipsum vitam etiam amissurum esse. atque Hi- spanis pontem fore, destruendum, postquam per hunc in hoc Belgium exscendissent; & fu- isse verum vatem, res ostendit. Sic liber- tas prisca Belgii, quam Auriacus vindi- catam maximopere cupiebat, deserente Egmundano, cui devotus fere miles, in discrimen summum venit. Hoc colloqui- um Protestantes ad res suas confirman- das non injuria pertinere arbitrati, quen- dam, clam auscultaturum, in cubiculi ca- mino occultasse perhibentur. Porro ut hi duo proceres, ita nobiles foederati, uti quisque

quisque in hunc, aut illum, propende-
bat, diffidere; & vix tertia pars eorum
in fœdere suo permanere. Protestantes in
Auriacum respectabant, prudentia cla-
rum, & potentem varia affinitate per
Germaniam; quemque Hochstratanus,
& alii, secuturi viderentur. verum ille,
dum potentiam regis spectat, quem in-
genio partim suo, atque instinctu Hispa-
norum, religionem reformatam, Belgi-
umque universum, nimia libertate grave,
odisse vehementer norat; tum incertum
populi impetum, per initia quidem vali-
dum, sed mox facile languescentem; dein
adversum Egmundandum, & cum eo mili-
tem quoque veteranum, ac pleramq; no-
bilitatem, item clerum irritatum: permov-
eri, ut se ducem ad vim opponendam
daret, minus potuit. qua de causa Brede-
rodus, aliique, inter fœderatos primi,
omnia prius, quam extrema, experiri de-
crevere. hinc per literas à Parmensi veni-
am accedendi ad aulam postulantes, qui-
ritantur; summam sibi injuriam fieri, & se-
curitatis fidem, quam dedisset, violari: si
concedat, justam esse querelam suam, ostensu-
ros. sed hæc, aula interdicens, addit; suo
pridem adventu, Aprili anni superioris, tur-
bas omnes concitasse. tum præsidio, quo
Bruxellæ tenebantur, mandat etiam, ne è
fœderatis quenquam in urbem admitteret. ita-
que rursus Brederodius ad VIII Februa-
rii Antverpia scribit, non libellum, abs se
oblatum, sed decreta de Rep. confirmanda ni-
mis lenta, item inquisitionem, quæque alia,
nunquam hæcenus cuiquam principum usitata,
intentasset, placidos natura Belgas irritasse.
nil propositum sibi esse, quam ut de concordia
ageret, ac quiete Reipub. instauranda. quan-
do autem urbe ipsos prohiberet, alterum se no-
bilitatis fœderatæ libellum mittere. quo nimi-
rum exponebant, mense Augusto superiore,
cum turbatum ubique Belgium, populusque in
armis esset, malum impendens prudentissimis
decretis propulsatum, ac se fidem liberasse.
quod si alibi res successu caruisset, illis istud,
qui tranquillitati publicæ minus justo studu-
issent, imputandum. inde, cum in melius
cuncta manifestò mutarentur, ac decretum
quoque regis, de sententia ordinum genera-
lium factum, indies expectaretur, præter
spem mandasse ipsam, datis literis, ne qua

usquam conciones, neve ulla religionis refor-
mata exercitia, haberentur. hinc calumnia
se gravari, & à populo mala fidei accusari;
idque è libello ejus, quem huic suo adjunxissent,
apparere. insuper vim adhiberi, interdictis con-
tra pacta concionibus, & ministris interceptis,
nullo adhuc decreto regis, ordinumve genera-
lium. tum & pessime habitam esse, haberique,
nobilitatem fœderatam, jam vocata in du-
bium fide, sine ulla ratione. quin proceribus
imperatum, ut ipsorum consuetudine abstine-
rent; ipsi vero, regis urbibus ut excederent.
atque intendi capiendis, sicut regis, patriæ-
que, de quibus tamen aliter meriti, hostes es-
sent. denique arma, domi, ac foris, etiam
capi; cum in ipsos, tum religionis item refor-
mata sectatores, contra datam à se pridem secu-
ritatem, mox vertenda. quare, cum perniciem
certam toti Belgio imminere, vimque contra pa-
cta augeri, animadvertenterent, rogare enixe,
ut disertis verbis dicat, an non pactis stare ve-
lit, ac permittere conciones, quæque ex illis
exercitia dependerent, prout ipsi, ejus pro-
cerumque verbis, promississent; an non etiam,
quam dedisset nobilitati fœderatæ, ratam esse
fidem cupiat. quod si vellet, ut constare be-
nevolentia magis posset, militem exauctorara-
ret; & mandata, contra pacta promulgata,
revocaret. ita Belgium in quiete permansurum,
seque in obsequium regis, ipsiusque, vitam su-
am, fortunamque, impensuros. sin vero id quam-
primum fieret, metuendum, ne in caedes inte-
stinas populus ruat; qui nunc in promissis ejus,
ipsorumque, acquiesceret. hæc se in regis, pa-
triæque suæ, commodum, cui utrique obno-
xii essent, præmonere voluisse; orare autem;
& benigne ut respondeat, & ne diu etiam dif-
ferat. In libello, quem adjunctum me-
moravi, queri apud nobilitatem fœdera-
tam Protestantes, quam iniqua, contra da-
tam securitatem, multis locis passi essent. qua-
re, nisi id mandati à Parmensi, proceribusque,
habuisse se ostendant, fraudis facta manifesti
teneantur. quod si hæc sententia staret, fidem
non servandam esse, saltem palam ut cavere
sibi quisque deinceps posset, eloquerentur. Bre-
derodio à Parmensi decimo sexto Fe-
bruarii sic responsum. ignarum sibi, qui-
nam è nobilitate libello suo participarent. nam
plerisque, qui ad diem v Aprilis anni elapsi
questi essent, de regis super inquisitione sen-
tentia, nunc abunde satisfactum, ac mirari,
quod

quod permissa nova sua religionis exercitia affirmarent. neque enim in mentem unquam id fuisse. indulgisse quidem populo conciones; verum eas sine motu, aut offendiculo, ut haberent, edixisse. hisque verbis sat expresse verita illa arbitrata. sepe questam, quam errarent, qui concessa consistoria, aut collectionem item pecuniarum, sacramentorumque ritus innovatos, ac connubiorum quoque, existimarent. quin, si etiam voluisset, tamen valide prohiberi; cum per ista res humanae, divinaeque; perturbentur: & majestas porro regis, auctoritasque magistratus, labefactae convellantur. quod implorent fidem publicam, nuper quinto Aprilis datam, demirari impudentiam; qui obtenderent, nunquam sibi, nunquam regi, cogitata. nam quae tum promissa essent, pro securitate libelli tunc oblata, non religionis libertate, fuisse. ipsos vero plebis animum contra regem, sacrum ordinem, ac rempublicam universam, concitasse. hanc ob causam officii sui credidisse, quae remedia expedirent, malo huic adhibere. proin serio admonere, domum abirent, vitamque ita illic agerent, ut se regi, jam in Belgium adventuro, approbarent. nisi facerent, paenam in promptu esse scirent. Foederati, cum jam minime dubium foret, quid Parmensis agitare, eaque satis hoc responso mentem suam declarasset, tum & copias produxisset, jamque Valentiana, uti dictum, obsedisset, militemque alium legeret sub Megensi, Mansfeldensi, Arenbergico, & Erico Brunsvicensi; de sumendis item armis cogitare inceperunt. ea propter ad Vianam Brederodius, ad Antverpiam Tolofanus, alii in Flandria, quas opponant, copias parant. Brederodium inimici per libellos criminari, ceu Hollandiae successorem, & heredem, se inscriberet. oppidum Viana illi, ad Leccam flumen, è divergio Rheni natum, prope Ultrajectum, situm. quod non tantum ad se ipse pertinere; sed dominium quoque ejus, nulli obnoxium, contendebat. nam Hollandiae olim comites, quorum è profapia esset, id majoribus concessisse. qua de re cum litem ei fisci procurator pridem in Machliniensi curia intentasset, atque haec etiam duceretur, vir ingenio iracundo, contumeliam ægre ferens, pro soluto legibus principe se gerebat. ac, libellum cum priorem

v Aprilis obtulisset, nummum æreum excudebat, cujus in antica parte Burgundicæ domus insignia essent; in averfa, Vianæ suæ: atq; in illa circumscriptum, PER TELA, PER IGNES: in ista, INSIGNE VIANENSE. nunc repulsam, post secundum hunc libellum, iterum passus, & vim metuens, communita festinato opere Viana, arma capere. at Parmensis Silvam-ducis Petershemium, & Brabantiae Cancellarium, Ioannem Scheiffium, ablegare; qui clam cives, melius ita in obsequio retinendos, novo sacramento obstringerent. quod cum palam factum esset, motus iterum excitatus, denuoque imagines ibi deturbatae. quam praesidii immitendi, quod trimestre jam conata variis modis frustra fuerat, justam occasionem putans, etiam Megensem mittere cum cohortibus peditum decem, equitumque turma una, non tam urbem pacaturum, quod praetextum, quam in potestatem eam redacturum. Scheiffius, ut fidem sibi apud cives compararet; auctor esse, ne Megensem admittere vellent, sed praefectum Petershemium constituerent. quod cum minus Protestantibus probaretur, queis compertum, illum id agere, ut Megensem astu in urbem introduceret; & mane quodam, nihil caeteris sentientibus, conaretur; Henricus Agylæus, jureconsultus non ignobilis, qui faveret Protestantibus, id effecit, ut ex iis octingenti, armis sumptis, in cohortes se dividerent, ac centuriones caperent. quo peracto, Antverpiam ad Brederodium missus, petendarum suppetiarum, Hermannus Ruterus. isque Antonium Bomburgum legat, virum acrem, & militiae, duce Lazaro Zwendio actæ, pridem clarum. qui ad diem XVI. Februarii cum in urbem advenisset, statim ejus munitionem inchoare; ac Petershemium, Scheiffiumque, sub custodia habere. Megensis, astu deprehenso, se ad vim apertam vertit, atque obsidionem incipit; aditusque, prohibendo com meatui, omnes claudit. hinc in arctum mox redacti cives, animis diffidentes, etiam turbant; & Parmensi obediendum, ac Megensem admittendum, pars censere; & dum venia adhuc locus, tempestiva paenitentia culpam emendandam esse. si expectent,

*spectent, dum commercio, quo urbs tanta solo
 alatur, intercepto, nervi omnes incidantur, fru-
 stra preces tentaturos. alii contra, libertatem,
 quam non ultra legibus possent, armis defen-
 dendam esse. neque enim hanc virum quen-
 quam, nisi cum vita, amisisse. itaque opes,
 animamque, impenderent potius; quamque
 à majoribus ipsi accepissent, posteris quoque
 suis traderent; perpetuo eorum convitio obno-
 xii, nisi extrema conarentur. sic diversos
 plebis animos cum Megensis accepisset,
 clam cum iis, quos favere sibi sciret, de
 tradenda urbe agit. ac conventum, ut
 nocte proxima, in illam partem, in qua
 ipsi excubarent, impetu facto, admit-
 teretur. idque sic patratum fuit. at Bom-
 bergus, qui non amplius urbem se tueri
 posse animadverteret, tam incertis confi-
 liorum Protestantibus, cum stipendium
 prius sibi, militique, exegisset, sustinens
 tantisper hostem, dum in tutum oppidani
 se reciperent, imminenti mox periculo se
 eripuit. ita, recepto Megensi, in Parmensis
 potestatem urbs redacta est. isque inde in
 Hollandiam, ubi magna foederati agita-
 bant, copias ducens, suo adventu eorum
 consilia perturbavit. interea temporis To-
 losanus, & cum eo ex nobilitate quidam,
 de Vlissinga, Valacriæ urbe, opprimenda
 consilium ceperant; Petri Haecquii,
 Middelburgensis prætoris, opera istic ad-
 juvandi. in hanc rem cum navibus ali-
 quot postquam Antverpia solvissent, na-
 ve illos oneraria prævertente, monitis an-
 te Vlissinganis, irritus conatus fuit. ita-
 que copias Ostervelam, prope Antverpi-
 am, retrodixit; indiesque augmentibus
 iis, se munire illic statuit, ut propinqui-
 tate sua foederatis, ac fautoribus, qui in
 ea urbe multi, animos faceret; & si quid
 inexpectatum eveniret, ad auxilium præ-
 sto esset. nam momentum in Antverpia
 magnum valde; & si hanc in partes tra-
 heret, alias urbes, ac provincias, proce-
 resque, omnibus illam respectantibus,
 facile se pertracturum, neque temere,
 existimabat. verum etiam hoc consilium,
 dissidente civitate, & magistratu, co-
 gnita regis voluntate, in Parmensem pro-
 pendente, secus cessit. nam à primo us-
 que initio, ut jam dictum, magistratus
 Augustanam confessionem profitentibus*

templum dederat, iisque supra cæteros
 Protestantes faverat; ceu doctrinam,
 quæ recepta in Imperio, ad quod mar-
 chionatus titulo urbs hæc sua pertineret,
 prohibere minime posset. quo prætextu
 nihil aliud agitabat, quam ut eos, alio-
 quin prævalituros, in discordiam addu-
 ctos coërceret. cui augendæ, hos Marti-
 nianos item, istos autem Calvinianos, no-
 minibus ad accendendum inter utrosque
 odium factis, appellabat. & hic multum
 adjutare Mathias Flacius, è Germania ad-
 vocatus; qui vir, disceptandi acer, animos,
 per se diversos, magis etiam disjungebat.
 Tolosanus Ostervelæ, in opposito Scaldi
 aggere, castra habebat; loco, & opere,
 ut putabat, satis tuta. Id Parmensis rei-
 pub. perniciosum arbitrata, mox Bruxel-
 lis Philippum Lanoium, Mandevillanum,
 & Ægidium Villenum, cum cohortis sti-
 patorum quadringentis, quibus additus
 Valentinus Pardeus Mota, castrorum
 præfectus, illuc mittit. tum cohortes et-
 iam duas Egmundani, quæ Axellæ in
 Flandria erant, & Ioannis Grevii agmen,
 accedere jubet. qui cum omnes, die XIII
 Martii, loco indicto convenissent, To-
 losanum improvise adorientes, copias
 ejus sine ullo negotio cædunt, dissipant-
 que; ipsum vero, domo quadam occu-
 pata, vim quamcunque sustinere illic
 certum, igne injecto, vivum cremant:
 ac cum eo Boetzelarium, aliosque è no-
 bilitate plures. isto casu graviter animis
 consternati Antverpienses, etsi studiis dis-
 siderent, neque inter se satis fiderent, ar-
 ma sumunt. & pars opem Protestantibus
 ferre cupit; alii rursus, & cum his præ-
 sectus etiam, veriti, ne victor miles ista
 occasione urbem forte invaderet, obni-
 tuntur: inde illis suspicantibus, procurasse
 ipsos cædem, idemque in se conaturos. itaque
 qui ex Protestantibus Calviniani appella-
 ti Meræ pontem, & urbis portas, occupa-
 re; ac tormenta, ad securitatem suam, ex
 armamentario rapere. toto eo die Auri-
 acus, Hochstratanus, magistratus, & in his
 Stralenus consul, apud cives gratia vali-
 dus, de constituenda pace laborabant. sed
 conatus, in discordiæ pertinaces, frustra
 erat. quin tumultuatum adeo, ut è turba
 quidam Auriacum, sclopo in pectus ad-
 moto,

CIC 12
LXVII.

moto, nil reveritus, proditorem appellaret. ac postridie, procurante magistratu, etiam Martiniani in armis esse; tum Hispani, Italique institores. Angli publicæ nationis suæ domi servare iussi, mandata ex usu accepturi. Catholici Martinianis, qui in ripa collocati, se adungere. milites forum curiamque, infidere. omnia terroris juxta, & metus, plena. ac Calviniani, armis; cæteri, numero prævalere. & futura publica quædam laniena videbatur. quam dum cuncti pertimescunt, opera Auriaci, Hochstratani, & Straleni, adniventibus Protestantium delegatis, civiumque prudentissimis, constituta partium securitate, res composita. & ex armis domum quisque discessere. Ut Antverpiæ, in Brabantia; sic turbatum Amstelodami, in Hollandia. Constitutum pridem ab Auriaco erat, ut à curia quidem unus, duo à magistratu urbano, totidemque à Protestantibus, ad Parmensem mitterentur; quæ probare, ac rata facere, acta ab ipso, & magistratu, in negotio Protestantium, rogaretur: atque interea nihil contra ista fieret: neve miles intra urbem supra numerum, ab Auriaco constitutum, legeretur. nihilominus, qui à curia, & magistratu, ablegati, seorsim, exclusis Protestantibus, cum Parmensi clam egere; ac peractis, quæ volebant, soli quoque Amstelodamum rediere. Protestantes, simul rem intellexissent, neque in via cum Auriaco quicquam ab ipsis communicatum; suspicati, contra se decretum aliquid, festinato subsequuti, suis cuncta exposuere. Inde turbæ; auctæ etiam, cum rescirent, clanculū conscriptum militem, & conscribi etiam tum. itaque multi ante curiam, in qua magistratus erat, convenire; & se proditos affirmantes, alter alterum excitare. alii addere, Megensem etiam cum signis decem adventare. quidam item Iustum Buyckium consulem adire, ac scitari, *quorsum miles clam allectus, contra pacta.* cum initio is negaret, *quicquam contra pacta fieri; nec quid esse, quod timerent:* hique instarent, *certo nimis id constare;* rem confessus, à Parmensi id mandatum, respondere: *atque ad securitatem urbis publicam pertinere. certum autem magistratui, pro auctoritate agere.* quo responso irritati, sumptis circa vesperam armis,

noctem totam inter ista habuere. Consul-
les, milite ante curiam ordinato, cives
quoque, quos majorum religioni addictos
scirent, per apparitores vocant, & adesse
in armis jubent; hisque forum defendendum assignatum. Protestantes pontem novum occupaverant; jamque numero supra novem millia erant: cum vix duo à magistratus partibus essent. quo comperto, ne accedere quisquam posset, fori aditus omnes obsident. tum armamentarium capiunt, & tormenta inde abrepta in forum ducunt. Consules, vim metuentes, ad blanditias sese vertunt; & Simonem Copsium mittunt, tunc collegam in consulatu, qui turbantibus persuaderet, *ut discedere ab armis vellet, ac libello potius agerent: obtenturi, quicquid justum, aut equum, foret.* & jam animi inclinabant; nisi prætor, cum militibus trecentis capere armamentarium iussus, gravius iterum concitasset. itaque, summa cum verborum contumelia repulso Copsio, pars in forum, pars in curiam, invadendum clamitare. ac patrata res fuisset, ni prudentiores quidam repressissent, dictitantes; *non in cives, consulesve, arma sumpta: verum defendendi sui. ac benigne potius agerent, quam ut sanguine civili, cives ipsi, manus impie cruentarent.* tandem electi, qui adirent magistratum, quiritantes, *ipsum turbas concitasse, quando & militem contra pacta conscripisset; & Bruxellis, spretis delegatis suis, cum Parmensi clam egisset; inde prius suspicionem, postea arma, se cepisse: quæ deponerent, si præstare pacta vellet.* itaque placuit, *uti duo è senatu, duo quoque è Protestantibus, Hagam Comitum ad Parmensis delegatos mitterentur: qui mandata ab ea facerent, & inquirerent, quid Auriaco super iis visum foret. qui si nihil statuisset, tum ad eum statim illi iter caperent; & exploratio urbis statu, quid sentiret, explorarent. interim cessarent omnia, neque quicquam tentaretur.* id per totam urbem editum, ad tubæ sonum; & discessum etiam ab armis. delegati, ut, convenerat cum Auriaco accessissent, is negare, quicquam sibi in promptu esse, quam quod pridem statuisset. quod si minime satisfactum videretur, ad Parmensem porro irent, & præcepta tranquillandæ urbi suæ ab ea peterent. ita urbani delegati perrexere; Protestantes, ceu
Auria-

Auriacum solum accedere jussi forent; Amstelodamum retrogressi. Sub hoc tempus Brederodius, quartus ipse, clam advenit; sive sponte, & negotii sui causa, ut agebat: sive, uti putabatur, advocatus. certe ingratus magistratui, contra Protestantibus lætus; qui frequentes apud eum, & consilia conferebant. tum è Frisia; habitu dissimulato, multi accedere. id Parmensi cum significatum esset; hæc Torræum, Ultrajecti cum Megensi tunc agentem, protinus ire illuc jubet; & rogare suis verbis, ac mandare, ut urbe excederet: quæ quieta, præsentem ipso, esse haud posset. quod si nollet, tum Megensem, militemque, adhiberet; & compelleret ad obsequium. Iussa exequitur Torræus, & contemnit Brederodius. turbant gravius Protestantes; in quibus qui præcipui erant; ut componi motus posset, quædam à magistratu petunt; permittenda, si tranquillam urbem cuperent. isque cum, Parmensis metu, non auderet: ipse quoque à Protestantibus, quædam petit, ad Auriaci arbitratum: qui consentit, & missurum etiam quendam ad Brederodium se promittit, per quem eum certiore de sententia sua faceret. hæret tamen Brederodius; dum mox, ad exemplum Auriaci, & consilium, urbe pariter, Belgioque toto, excederet. In Brabantia Protestantes, potiundæ jam Antverpiæ, qui consilii fundus erat, spe dejecti, cætera quoque desperantes, tempori cedendum rati, à conatu deinceps alio destitire. at Parmensi, ut in rebus lætis solet, crevit animus: inde aurei velleris equites, ac provinciarum præfides, ad religionem avitam defendendam novo sacramento obstringit; rectifantibus id Auriaco, Hochstratano, Hornanoque, & Brederodio. mox & urbes, & provincias, nobilesque, singillatim huc perducit; ceu offensam remissuro statim rege, copiasque, quas jam magnas comparasset, dimissuro; simul res prudentia sua tranquillatas intelligeret. affirmare etiam ausa, se auctoritate sua effecturam, ut militem, vel ab ipso Belgii limite, revocaret; nec passuram, ut laboris tam periculosi fructum, gloriamque reip. restituta, alter ferat. deinde, virium adhuc satis superesse, si redirent in concordiam, excludendo, aut propulsando, externo militi.

Sic persuasi, in id incumbunt, ut ipsius postulatis satisfacerent. itaque passim prohiberi conciones, mali fundamentum, coeptæ. templa quoque, & imagines, instaurari. neque omissum quicquam fuit, quod putatum ad placandam regis iram pertinere. tum quæ Protestantes templa tota Flandria exstruxissent, summo animorum impetu rursus diruta. quod Gandavi ædificatum, à militibus intra horæ unius spatium solo æquatum. ac patibula è materia etiam facta; ad quæ violatarum imaginum, templorumve, reos figerent. itaque sublatis plures eo anno; ducenti alibi, trecentique, in una urbe: præter illos, qui in agris deprehensi à latrunculatore ad supplicium rapti. ineunte mense Aprili Antverpienses, cum Parmensi cuncta è voto evenire animadverterent; ablegatis oratoribus, sic cum ea ad diem VIII transigere; *ut cessarent Protestantium conciones, ac, religione majorum restituta, templa quoque instaurarentur, priora edicta servarentur, nemo ob res ante actas vita, aut bonis, mulcetur: idque donec aliter regi, atque ordinibus, videretur. exempti tantum, qui aut majestatis rei, aut templorum violatorum, & imaginum confractarum. quorum tamen illa in gratiam apud regem, literis datis, intercedere, veniamque postulare, etiam vellet; ut ad istos pacis item beneficium pertineret.* quas condiciones cum Antverpienses accepissent, biduo post permisere, ut Parmensis, cum præsidio qualicumque, urbem intraret. inde conciones vetitæ, & migrare concionatores jussi. qui, petito commeatu, magistratui vale dicunt; acriter verbis castigantes, *cei ingratum, & mox facti hujus penas luiturum. neque enim dubitandum ipsi esse, quin insignem summo Deo contumeliam factum iret; qui, justitia rigidus præses, verbi sui ad ministros, tam indigne nunc ejectos, graviter ulturus foret.* Ita ad diem decimum Aprilis, multis illos comitantibus, urbe excedunt. Principes quidam in Germania Protestantes à Parmensi postulabant, *saltem ut confessionis Augustanae sectatoribus mansionem indulgeret; Maximilianus Cæsar, ut negotium horum motuum universum sibi componendum daret.* verum illa & huic, & istis, respondere; *non in sua id potestate, sed regis, esse.* Hæc quum ita se haberent, mox Au-

riacus, qui assertam maxime Belgii libertatem cupiebat, cum nil ultra in commune consuli posse animadverteret; resque adeo foederatae nobilitatis inclinatas, multis palam ad Parmensem deficientibus; aliis discordibus partim, aut consilio destitutis; & Albanum cum exercitu adventare certus esset; tum Francisci Alavae literas, supra jam commemoratas, cogitaret; tempestati, quam instare providebat, cedendum ratus, ipse quoque ad XI diem Aprilis Antverpia exit, iter Bredam versus capiens: rebusque ibi constitutis, inde in Germaniam abijt: relicto tamen Academiae Lovaniensi Philippo Guilielmo filio, tredecenni: quem aetate, & innocentia, tum Brabantiae, & Academiae, privilegiis satis tutum, etsi opinionis falsus, existimabat. Ejus abitus varie Protestantes habuit; & pars graviter consternari, pars non multum laborare, quod suafisset Augustanam confessionem: ideoque non fidendum arbitrari. plurimi tamen una excedere; qui, prudentiam ejus secuti, & fortunae suae patriam infelicem relinquentes, tutum alibi domicilium quaesituri, ultro in exilium ibant. Paulo ante quam discederet, delegati clam ab iis, qui rogarent; ecquid spei, aut consilii, superesset. quibus ille respondere; se, ut pridem, etiam tum auctorem esse, uti accederent Augustanis; ita auxilium e Germania promittum fore. si id nollent, ut sexcenta aliquot millia florenorum procurarent. cumque prius recusarent; conscientia prohiberi, affirmantes: alterum vero effecturos se reciperent, modo usum indicaret: isque exciperet, si emanet, nullum fore; sine fructu consilium fuit. Postera die quam Antverpia abiisset, cum senatus universus convenisset, magistratus coram exponere; jam Parmensi, interceptis concionibus, & excessu ministrorum, morem gestum. ac restare, ut praesidium intromittant; sine quo non urbs tranquilla, aut commercia salva satis esse possent. nisi faciant, iram regis metuentam; & tot milites, qui immineant. centum signa in provinciis a Parmensi jam conscripta, praeter turmas ordinarias. ab Hispania adventare Hispanorum decem millia, cum quingentis item equitibus; sex quoque Italarum millia, equitum duo: Germanorum viginti millia, equi-

rum octo. his se pares minime esse. & responsum a senatu; porro obsequi regi velle, ac praesidium quaecumque intromittere: sed Parmensem oratam cupere, quando plurimi, venia incerti, passim excederent; ne commercia, desolata tandem urbe, interciderent; apud regem operam daret, ni praeterita condonaret, saltem, postquam voluntatem indicasset, mensem unum indulgeret; quo se illi, & fortunas suas omnes, alio transferre possent. Haec Parmensi per legatos statim nuntiant. quae respondet; gratum sibi obsequium esse; ac venturam, cum praesidio. tum & mensem, quem requirerent, polliceri; praeterquam iis, quos responso superiori excepisset. Mox cohortes sedecim mittit, sub ductore Mansfeldensi; & subsequitur ipsa statim, magno procerum, equitumque mille item quingentorum, comitatu. tum familias urbis omnes, quaeque in singulis arma essent, scribi jubet; inde in vincla multos ducit, spoliatorum templorum reos, aut imaginum confractarum: & nonnullos capite punit. Exemplum Hollandiae Antverpia dedit; ac Amstelodami magistratus, cum hic, & Brabantia passim universa, Flandriaque, intermissas conciones intelligeret, postulare a Protestantibus, uti idem, avertenda regis ira, isthic facerent. hi respondent; non id posse. quippe pridem ab Auriaco, & senatu, praefectisque regionum, has permissas; dum a rege, totiusque Belgii ordinibus, aliter statueretur: ac firmata sacramento utrinque pacta. tamen, si necesse putent, se consulibus, & senatui, praefectisque regionum, rem permittere. mox jejuniis, precibusque, indicto die, opem dei, & benignitatem, implorant. iterumque biduo post convocatus magistratus; etsi Auriacus, ad quietem conservandam, conciones permisisset; tamen, quia certum esset, maximopere eas regi, & Parmensi, displicere; jamque in Brabantia item, Flandriaque, aliisque hujus Belgii ditionibus, plane omitti; rogatos velle, ut exemplum ipsi acciperent: mox cogendi, nisi sponte sua facerent. itaque tandem, cum spes nulla superesset, consentire. Brederodius, qui huc usque illic egerat, nunc ad incitas Protestantium res reductas cum videret, & admonitus ab Auriaco etiam esset, Embdam abijt; inde ad Iustum Schouwenburgicum: moxque, anno insequente, in Harenburgensi arce, diem

diem obit. Miles, qui Vianæ, aut circa, ob eo lectus, magnam partem herum statim, signis explicatis, sequi. ac propinquus Amstelodamo, cum in armis cives essent, & introitu prohiberent, Carthufiorum monasterium, ante urbem ipsam situm, & Egmundanum, populatus, per Hollandiam borealem facto itinere, Medemlaco postea solvit. Reliqua erant signa tria, sub Renessio, ac Niveldio, & Vchtenbroucquio; quæ, cum Vaertæ imminerent, à Megensi profligata: capto Renessio, & abducto Ultrajectum; ubi postea, in Vredenburgenfi arce, caput illi amputatum. Viana deinde ab Erico Brunsvicensi occupata; &, detractis statim portis, pagus facta. Nobiles quidam, in quibus duo Batenburgici, Siffridus Beima, Hermannus Galama, aliique, cum evadere navi vellent, à nauclero suo proditi, ac Mulerto, Arenbergici centurione, comprehensi, Harlingam in arcem abducuntur. Cum discessu Brederodii, qui præcipuos mercatorum, civiumque aliorum, secum traxerat, & trahebat indies plures, quum detereretur valde Amstelodamum; Iustus Buyckius, urbis consul, ut commerciis subveniret; per libellum à Parmensi supplex petit: *quando Antverpiæ perturbata quædam ipsa pridem, urbi conservanda, indulgisset; eandem gratiam nunc Amstelodamo faceret, & succurreret pereunti.* Hæc respondet; *si rediret ad obsequium, ad Antverpiæ exemplum, & præsidium à se admitteret; facturam esse, quod Antverpiæ fecisset.* Quæ de causa regi statim se submitunt, & cohortes à Noircarmio quasdam accipiunt; quod & paullo ante fecerant Brugæ, Iperæ, Silva-ducis, & Trajectum ad Mosam flumen, aliæque multæ urbes. Parmensis, constituta Antverpia, curiisque provinciarum; & Hollandiæ præfectura, dum Auriacus inde abesset, in Bossuvium translata, Bruxellas rediit. ubi, retinendis Belgis, qui diffugere, & commerciis confirmandis, blande passim ad urbes scribit, edictumque à rege proponit. quem per literas dehortatur; *ne, jam tranquillato Belgio, perduellibus castigatis, aut captivis; uribus, præsidio imposito, ad obsequium reductis; militem Hispanum mitteret. id se cunctis promississe, & promisso turbas omnes composuisse;*

iterum exoritur, si quid contra fidem à se datum faceret. Bene illa, ac pro Belgii salute, & regis etiam dignitate; qui, si obsequutus foret, etiamnum tot provincias in obsequio retineret. verum illum, qui quietem illic nollent, & imperium affectarent, in diversa jam impulerant; *imparem regendo feminam, ideoque à republica dimovendam, dictitantes.* Hinc deliberare incipit, & consilium cum Madriti, tum Segoviæ etiam habet; duplici consulentium adfectu, *utrum venia, an vindicta, uteretur.* Ruifius Gomefius Silva, Suarefius Figueroa Ferrianus, & Bernardinus Fresneda, clementiam suadere, ac *delicti pœnitentiam Belgis concedendam esse.* contra Ferdinandus Alvarezfius Albanus, Spinosa Cardinalis, & Inquisitionis præses, *coerceri rebellionem, & in auctores animadverti cupiebant.* His Philippus se adjungit, bellumque in proximum ver decernit; & exercitum, à se ducendum. Tenax illi offensæ animus; & occasio videbatur, *obnoxia jam provinciarum libertate, munire principatum, per tot privilegia hæcenus precarium.* itaque non ultra offensam clam habere. & pœnæ initium à Montinio, ac Bergensi, qui anno præterito oratum missi ad mitiganda de inquisitione edicta, in hoc tempus dilati, in custodiam abducuntur. ubi Bergensis, injuriæ impatiens, dubium mœrore animi, an veneno, vitam finit. Montinius postea extra Segoviam productus, securi percutitur; vir magni animi, & affectus in remp. Bona utriusque fisco addicta; neque profuit, quod majorum religionem tuerentur. Bergensis, uti se regi probaret, datis ad uxorem literis, imperaverat, ut quicumque in sua ditione pueri à sectariis lustrati essent, denuo etiam lustrarentur. pro Montinio, quæ adventabat, Philippi sponsa, Anna Austriaca, deprecatura dicebatur. sed, ne gratiam illi hanc invitus faceret, maturato mox supplicio, intercessionem exclusit. Iam Philippus, in Belgium iturus, de via deliberat. *Oceanum ingredi exiguo navigio, præter ejus dignitatem, cum magna classe, longi apparatus visum. & periculum in Hollandia, aut Zelandia, timebatur; ob Auriacum illic præsidem, in provinciis turbatis si non fidei ambiguum, at suspectum, ac per mare mediterraneum,*

longa via, & magnæ impensæ; & , ut per Italianam iter non difficile, ita tamen per Germaniam, propter principes Protestantes, quorum terras transeundum, minus tutum. ea propter per Sabaudiam, & Burgundiam, ac Lotharingiam ire placuit. brevior via ista erat, & periculo, etsi non molestia, vacua, cui etiam minuendæ, quia, anno inclinante, transitus per aspera montium in Sabaudia impeditus, à Galliarum rege Carolo commeatum item petit; utque à foro Iulio copias, ubi exponeret, per Provinciam, inde Lugdunensem agrum, cælo ibi mitiore, traducere in Burgundiam liceret. cumque ille excusaret, ob frequentiam istis locis Protestantium, per quam transitus militi minus tutus foret; constitutum est, per Sabaudiam iter facere. sed in ea quia commeatus inopia, ad Philibertum Emanuelem, ducem amicum, Iohannem Cunigam, & Franciscum Ibarram, mittit, ut venturo exercitui iste transitum, hic annonam procuraret. eandem ob causam Antonius Mendosa ad Lotharingum amandatus. nec legatio frustra fuit. His peractis, cum rex in procinctu staret, alii,

potestatis avidi, suadere ne iret. castigandos esse Belgas, ipsum natura nimis benignum: insuper, spectare pœnas, principi indecorum esse. igitur sententiam mutat; & legatum, cum exercitu, ac plena potestate, destinatumque dispicit, cui negotium id committat, alii Carolum filium suadent; cuius, ceu legitimi principis, reverentia facile Belgas ad obsequium revocaret. alii Medinacoelum; alii Albanum, militiae clarum: cuius virtutem, coërcendis perduellibus necessariam, magis extollere, qui remotum ab aula æmulum cupiebant. & obtinere isti, valde indignante Carolo; qui, benigne in Belgium affectus, tranquillari illud mallet, quam puniri. Mox Neapoli, & Sicilia, Sardiniaque, evocatæ legiones veteranæ, & duplicatæ leves omnes armaturæ; additæque ex Hispanis turmae duæ, Lopesii Sapatæ, & Sanchii Avilæ. sclopetariorum equitum item *ii*, Petri Montani, & Consalvi Monteri. in Suevia, & comitatu Tirolensi, Albericus Lodronius cum delectum peditum Germanicorum habuisset, signa *xii*, è militibus *ccc* singula, scribit.



I O A N N I S M E V R S I
 G V L I E L M I
 A V R I A C I
 L I B E R I V.



Hoc paratu, ad diem x mensis Maji, cum filio utroque, Frederico, ac Ferdinando, Barcinone Albanus solvit; & febrī pariter atque arthritide correptus, curandæ valetudini, Nicææ cum iv trimeſibus ſubſiſtit, cæteram claſſem Genuam præmittit. inde ſubſequitur, viribus refe-ctis; & ſeptimo die, quam diſceſſerat ex Hiſpania, Genuam appellit. ibi vexilla tironum ſelecta iv veteraniſ miſcet, in Belgium ituris; & Alexandriam proſectus, Gabrielem Cuevam Alburquercium, Mediolanenſis ducatus præſidem, obvium habet. mox Mendozam ad Pontificem ablegat, renovando conſilio, ſe auctore cum regina ante biennium Bajonæ habitato. deinde, militem luſtraturus, Ambroſii fanum contendit. id provinciæ ſubalpinæ eſt oppidum, ad Cenſium montem ſitum; quo Ibarra, advecta annona, convenire exercitum jufferat. In hoc ſigna ^{xlix} erant, ſub queis peditum Hiſpanorum paullo minus novena ^{cio}, quorum primi ductores, Alphonſus Vlloa, Iulianus Romerus, Sanchius Lodonius, & Conſalvus Braccamontius. & Vlloa ſigna ^{xix}, reliqui x quiſque ducebant. hiſ in fronte ſclopetarii majores xv additi, pugnæ maximum momentum, ut comper- tum. equites Hiſpani, Itali, Epirotæ, in ^{xii} turmiſ, ^{cio} cc. Luſtrato exercitu, & à morbo recreatus, Aſtam venit; inde porro Poërinum. ubi quædam cum Sabaudo collocutus, Ambroſii fanum, quo exerci- tum præmiſerat, iter capit: mox, Ceni- ſio Alpibuſque ſuperatiſ, Monflorium, in Burgundiæ limite. Exercitum omnentriſariam diviſerat. primum agmen, ipſe ducere; medium, filius Ferdinandus: ul- timum Cetonæ marchio, Chiapinus Vi- telliuſ, belli egregiuſ. In itinere magnæ ^{cio} ^{lxvii} moleſtiæ, per abrupta, & convalleſ dif- ficillimas, quas Arva ſcindit, ſtreperum flumen, in Iſaram, ubi ponte jungitur, ſe exonierans. ad hæc alia difficultas quoque objecta; quippe ſterili admodum loco, ſine quiete continuata diu itinera militem de- fatigabant; fame omnino moriturum, ſi eodem in hoſpitiõ die ampliuſ ſubſtitiffet. Dum ſic per Allobrogeſ ducit, pertimere ſibi Helvetii, & vicini Genevenſeſ; qui auxilia foederatoſ, pariter anxioſ, oratum mittunt; item in Heduoſ, ad Condæum, *ut periculo communi, arma capiendũ, opem ferret.* ſed hunc metum ipſe Albanuſ ſtatim exemiſ; cum, itinere feſtinato, in Belgium tendit. Dum in Burgundia eſt, adjun- xere ſeſe copiiſ ſclopetarii ^c, cataphra- cti ^{cccc}, à Philippo conſcribi juſſi. iis præerant, comitatuſ præſeſ Vergiuſ, & nobilitatiſ principes, Chevereaulxiuſ, Mommartinuſ, Clarovalliũ. Monflorio digreſſuſ, Fontenaium, in limite Lotha- ringiæ poſituũ, duodecimo die attingit. Hinc cum villam Theodonis perveniſſet, in principatu Lutzeburgenſi, à Parmen- ſi obviam miſſi Barlamontiuſ, & Noircarmiuſ, mandatorum, quæ à rege ac- cepiſſet, exemplar petunt. eo exhibitõ, cum tranquilla omnia in Belgio eſſe il- li affirmarent, mox Germanicum equi- tatum, qui in limite præſtolari, ſuo au- ctoramento ſolviſ. Obviuſ ibi Egmun- danuſ, & adventum dicis ergo gratula- tur. hunc ut eminuſ venientem conſpica- tur, ad præſenteſ ſe convertent, clara vo- ce; *en hereticum*, inquit, *magnum!* audiebat ille elogiũ, vixque animuſ perturba- tum componebat, cum, benigne mox ex- ceptuſ, dictuũ ambiguũ in meliorem partem capit. Lodronii legionem Ant- verpiam præmittit; & Belgarum ^{xvi} ſi- gna excedere jubet. Bruxellã, ſalutandæ

Parmensi, Ibarram destinat. & cum cætero ipse milite die XI Kal. Septembris urbem intrat. neque mora, quin præsidia legionibus hic distribuit. ac Sardoam Anguiano, Neapolitanam Gandæ, Langobardicamque Liræ; Ferdinandum autem filium, cum quam maximo equitatu, Diestæ imponit: solam Siculam sibi servat, & hospitia assignari à metatoribus illi curat. tum Parmensem in palatio magno comitatu adit, ac mandata regis explicat; quibus illi armorum summa, & religionis arbitrium, item jus in magistratus castigandos, vel mutandos, denique potestas vitæ, ac necis, data: ipsa tantum obire res civiles iussa; &, ne quidquam controverti unquam posset, in negotiorum dubiis, uni illi interpretandi jus concessum. hinc à rege literas profert, quibus scriberet, *iussa etiam secreta dedisse, non promenda, nisi in occasione.* hæc quæ essent, percunctanti; renidens ille, *oblitum se in præsens dicere: sed, cum tempestivum foret, in memoriam revocanda.* fat contemptim id responsum videbatur; sed offensam prudens foemina, & provincia decessura, dissimulare. calumniæ de ea apud regem fuerant, *conniventia, & lenitate muliebri, fovisse turbas, severissime compescendas.* has refellere absentia sua statuebat; &, tam dispari successore, sæpius desideranda, in meliore Belgarum affectu solatium ponebat. Statim iussa Albanus agit, & responsum ad libellum anni proxime elapsi regis nomine etiam parat; tum Caroli Cæsaris, & Philippi, de religione cujusque inquirenda, edicta reponit; deque Ordinum conventu spem conturbat. provinciis, quæ rex mandasset, per literas nuntiat. simul ad obsequium hortatur, & sacrorum veterem cultum. etiam diploma regium, auctoritatis firmamentum, typis vulgat. Arcanum mandatum erat, *punire procures, fidei incertos.* hoc Parmensi cum ingratum existimaret, clam habere Philippus iusserat. & colloquio fat compertum, cum asseveraret ipsa, *si clementer haberentur, constantes obsequii omnes fore. experiundo didicisse, Belgarum ingenia cogi non posse. si blande agat, siæ inter se certaturos; si vim intendat, pro libertate quidvis ausuros.* Verum ille institutum porro urget, ac urbano magistratui claves adimit. cunctis immi-

nui jus suum indignantibus, Gandavenfes, quibus plus animi, per provinciæ præfectum Egmundanum, de injuria queri ausi, responsum accipiunt; *conquiescerent: se, quod regi expediret, consulturum.* Postquam isthæc pro libidine ita gesta, Ordinum amoto imperio, XII viros rebus judicandis instituit; qui, se præside, imminuta curiarum auctoritate, & Senatus item Belgici, contra omnium provinciarum privilegia, de perduellibus, ac sectariis, cum plena potestate cognoscerent. huic Senatui destinati initio erant promiscue provinciales, & extranei; Arenbergicus, Barlamontius, ac Noircarmius; Hadrianus Marius, Gelriæ cancellarius; Artesiæ præses, Ioannes Porta, Iacobus Hesselius, Ioannes Vergas, Ludovicus Delrio, Belinus Biesius, Ioannes Bosius, cognitor regius; & Iacobus Torræus, qui ab actis esset. Albani vicem præses Vergas affideret, propudium hominis, &, qui, ob illatam vim propinquæ virgini, Hispania exul ferebatur. cujus sævitiam ipsi quoque Hispani testati, *dignum Belgii carcinomate cultrum* affirmare. Primo trimestri comparere ipse Albanus, ac jus solus pro libidine sua dicere; ceteris tantum consulendi potestas esse. qua injuria mox nonnulli com meatum postulare; alii, tyrannidem istam detestati, sponte sua emanere. itaque vix tres reperti è duodecim, qui sententiis damnatorum subsignarent; Vergas, Delrio, ac Torræus: tam insigni omnium odio, ut hi *TVRBARVM, illi SANGVINIS SENATVM* appellarent. cumque initio decretum esset, litem nemini intentare, quam nobilibus foederatis, tunc absentibus, profugisque, & concionatoribus, quosque illi confistorianos dicerent, tum imaginum direptoribus, cæterisque perduellibus; alia his capita mox adjungunt, quibus qui obnoxii essent, ii majestatis rei, bonisque omnibus excidisse, judicarentur: idque interpretatione tam diffusa, ut vix quisquam criminis isti non propinquus videretur. Hic Senatus, ista auctoritate munitus, decreta Hispanica exequi paullatim cœpit. Auriacus, Egmundanus, Hornanus, Hochstratanus, Bergensis, & Montinius, multo maxime regem offenderant; neque poena differenda. quam ob rem negotium Alba-

nus simulare; ac Bruxellas proceres omnes, de summa rerum consulturus, evocare. conventum ad v Eid. Septembris in Culemburgica domo indicit; quam palatio à Parmensi occupato, ipse insederat. ubi postquam convenissent, Senatuum ignarum armis obsidet; & de arce urbi Antverpię imponenda, dum consultat, die exempto, vesperi demum dimittit. inter exeundum autem, ut minore res tumultu gereretur, seorsum emissos, Egmundandum Sanchius Avila; & Hornanum Hieronymus Salinas capit. Egmundanus, animi egregius, cum gladium ponere jubetur, quo tam fortiter aliquoties pro rege usus, nequicquam ordinis sui jus obtestans, ægre discinxit. Hornanus autem, circumstantes de eo percunctatus, respondente nemine, oculos in cœlum attollens, & suspirans; *nempe, inquit, æquum erat, cuius me consiliis credidi, ejus ut fortunam sequer.* Captivis appositus miles Hispanus. Re patrata, per Barlamontium, & Mansfeldium, Parmensi nuntiat; *hoc fuisse in regis literis intellectu subobscurum; & explicari istius temporis haud consultum. factum, ut, si turbaretur, derivata in se invidia, ab odio populi, quem rex ipsi commisisset, & periculo, immunem præstaret.* Animum foeminae, cum ingenio sexus sui, tum potentia imminuta, multo magis irritabilem, pupugit ista excusatio: qua illudens, tot rebus gestis perspectam fidem in dubium traheret: & provincia decedere jussę, tanquam etiam tum præfectæ, insultaret. Nec his contenta Albani ira, ultra perguit. Mox Ioannes Casembrotius Backerselius, ut consiliorum, ita fortunæ pars herilis, carceri datur. & Lodronius Antonio Straleno, consuli Antverpiano, opibus juxta gratiaque inter suos eminenti, in Machliniensi via manum injicit; bona in commentarium referri, ædesque obsignari, mandat. inde capti plures alii, neque loco, neque sorte, inter se pares. Carolus Mansfeldius, qui initio foederatis se adjunxerat, exemplis territus, sive patri innuente obsecutus, clam ex aula se subducit; minime tutum arbitratus, aut offensi regis gratiam, aut præfecti severissimi amicitiam, experiri. Hochstratanum casus fervavit. nam in aulam dum contendit, Albani jussu, consilia sua collaturus, læ-

so forte per viam cruce, emanendi causam invenit. Ingens Belgas metus cepit; utque tutam innocentiam habere liceret, hi trans mare in Britanniam, illi in finitimam Galliam, ac Germaniam, isti ad urbes Asiaticas, passim fugiunt, sedemque ibi novam ponunt. Erant item, qui Vesaliam se reciperent, Cliviæ urbem, Rheno flumini adjacentem. Verum id Albanus postquam accepisset, Cliviensem, datis literis, adhortatur; ne subjectos regis sui, perduelles, domicilio, aut patrocínio, adjuvaret. qua de causa convocati à magistratu, cum in capita quædam objecta convenissent, jamque urbem impetrassent, non contentus Clivienensis, per legatos capita illis nova offert, ad quæ singuli responderent. ea quia multa essent, tum permultis, linguæ ignaris, minus etiam intellecta, ut expendi apte possent, cum describi, & exemplum sibi dari, postularent; ac legati, injussu ducis non id fieri abs se posse inquietes, denegarent; respondere. *non se quicquam innovatum in religione cupere; verum iisdem, quibus Vesalienses ceteri, concionibus usuros. neque perduelles esse, neu adversum regem turbas concitasse. cujus criminis si quis accusare vellet, magistratus Vesaliensis, cujus nunc in potestatem transissent, judicium accepturos esse. porro promptos duci, & magistratui suo, fidem omnem, & obsequium, exhibere.* Hoc responsum, scripto mox repræsentatum, legati accipere noluerunt; promittentes nihilominus, cuncta ad ducem relatuuros, qui rescribere magistratui, *uti profugis urbe sua interdiceret, juberetque intra mensem emigrare. hæc tempestas commorandi summa foret.* quo mandato, tam prærupto, consternati homines miseri, supplicare duci instituunt; *benevolentia sua famam effecisse, ut se, fortunaque suas, ipsi crederent. quam ob rem orare enixe, ne hanc spem tot miserorum profligaret; neve, graviter afflictos, magis premeret. daret pacem, & libertatem, conscientis; idque omnino existimaret, vota pro salute ejus habituros. quod si impetrare haud possent, saltem abiturum ne precipitare cogeret, ac trimestre largiretur.* Post has preces, quanquam ægre, venia mansionis data. Captivos proceres sub custodia militum Gandavum mittit, in arce urbis asservandos; jussu prius Egmundano tesseram à præfecto reposcere, &

Alphonso Villoæ tradere, qui cum præsidio illic esset. nobilitas reliqua, pars Vildordæ, pars Bruxellis custodita. postea Antverpiam Albanus veniens, in suburbio Kiliano, meridiem versus, diruto muro, ac turre antiqua, cui porta Cronenburgica nomen erat, arcem ordinat, arduo opere, & impensa quaterdecies centum CIC florenorum. quorum CCCC CIC Antverpiensibus imperata; ex centesima, & vicesima, decimaque, repetenda. præponitur fabricæ Paciottus, simili in Taurinis opere artis clarus. operæ IIC CIC laborem continuantes brevi tempore extruxere. circum propugnacula V, ex his uni à se DVCS, alterique FERDINANDI, tertio autem TOLETANI, quarto ALBÆ nomen ponit. quintum, in memoriam artificis, PACIOTTVM vocat. inde equitibus CCCC comitatus ipse ingressus, opus inspicit, Gabrieli Serbellono præsidium mandat; tormenta bellica, urbi erepta, illic locat: magistratum denique lectos, aliaque, quæ præsidio necessaria, curare jubet. in urbe cum legione Germanica Lodronium relinquit. eo facto Bruxellas repetit. Interim, commota denuo Gallia, Carolus rex auxilia ab Albano poscit, ex foedere debita, quod Bajonæ cum regina clam contraxerat. Legatur fano Quinctini præfectus, cum tribus aliis è primaria nobilitate. nec irrita legatio fuit. quin Albanus, ceu pacatis Belgii rebus, ipsum se ducem offerre. sed suspectus Gallis favor, nimis obvius; &, *venire in regni penetralia talem, exploratio, non auxilium*, putabatur. ea propter gratias agunt, & respondent; *magis tutum, si auxilia alteri tradat. nam ut ipse ea ducat, Belgiumque nunc relinquat, neutri regum expedire.* tum designat Arenbergicum cum equitibus CIC IC; peditibus CIC CIC, Hispanis ac Belgis; qui, ut patriæ tempestatibus se subtraherent, in militiam sese dederant. Constitutis Belgii rebus, adfuturus jam Philippus credebatur: ac initio sic statuerat; sed in aula, ac regno, turbæ retinuerunt. Carolus filius, ceu novarum rerum studio, in custodiam conjectus; & Elizabetha uxor, accita morte, intercepta. tum Maurorū in Bætica compescendi motus. Albanus, ubi comperisset, plurimos Bel-

gas, in Galliam profugos, contra regem arma cepisse, edicto eos, mense Septembri promulgato, revocare animum inducit. moxque Octobri proximo iterat; vetans; *ne quis patria excederet, aut extraneo etiam principi militaret. qui negligeret, huic crucem, bonorumque publicationem, promptam.* in præsentibus passim sævit, & brevi tempore per carnificem interfecti amplius CIC IC CCC. Hinc, qui ultro solum verterant, se beatos arbitrari; exiliumque, ac paupertatem, graviore aliorum tunc miseria, multo æquius tolerare. XIV Kal. Ianuarias regius cognitor, Ioannes Bosius, publice in iudicium vocat Gulielmum Auriacum, Ludovicum Nassovium, Antonium Lalanium Hochstratanum, Gulielmum Bergensem, Florentium Pallantium Culemburgensem, Henricum Brederodium, aliosque: & Bruxellis, intra sextam septimanam, adesse jubet. Auriaco beneficia memorat, quosque honores inde Carolus; hinc Philippus, contulissent; tum, objecta ingratitude, perduellionis reum varie agit. Hochstratani, & cæterorum, eadem fere accusatio. Parmensis, comteatu accepto; ordines Belgii, literis ad V Eid. Decembres datis, valere jubet; *in regem fidem, in ipsos affectum*; testata serio. simul hortatur, *ut majorum religionem, & regis cultum, quam constanter tuerentur. Animo angere, ob biennii elapsi turbas; quas nonnihil tamen ipsa, Dei gratia, operaque subditorum, collocato per obnoxia oppida milite, tranquillasset. nec restare aliud quicquam, quam ut, malis pœna inhibitis, rex de cæteris pro arbitrio constitueret. huc consilia contulisse. sperare autem, eam curam adhibiturum, qua felicitatem priscam in provinciis restauraret. & optare, quam cepisset coram illis potestatem, etiam deponere posset. sed mandato prohiberi; & nolle regem, se absente, conveniri.* Non multo post Italiam petit, prosequente paullum Albano. Et reliquit desiderium ingens sui in Belgarum animis foemina, potestatis exercendæ temperans præ successore. rex provinciæ bene pridem administratæ gratias egit, aureorum tricena CIC florenorum, annua vicena addens. alii quadragesima memorant. Captivi proceres, mox aucti, angere omnes; & exempla tam illustria nemini veniæ spem permittere. Sabina Bavara, Egmun-

dani uxor, casu adeo violento consternata, dato Nicolao Landæ negotio, virum carcere liberare nitebatur. conatus irrita, saltem ut aurei velleris equitem, aut Brabantia baronem, haberi supplicat. & libellis pluribus agit, ut collegis, pro antiquo ordinis jure, judicandus traderetur. usitatum id fuisse, & Novocastello, Montagæ, Romonio, Gruythusio, Ravesteinio, Haultbordino, aliisque factum: quos & ipsos perduellionis reos à principibus ex statutis ordinis sui judicatos. neque aliter quenquam habitum, nisi prius, de sententia principis, collegique, ordine motum. quo si excidisset, tamen, per Brabantia privilegia, in qua rex se sacramento obstrinxisset, quæque reum è provincia exportari prohiberent, dandum judicem ordinarium. Fœminam principem, pro marito recte, & ordine, supplicantem, improba distinctione Albanus lusit; & regem dividens, non ceu velleris aurei præsidem, sed supremum Belgii dominum, causam cogniturum ait. ac deinceps Landam abstinere jubet. Hic Sabina, de liburnicis paratis fama, metuens, ne è Brabantia pridem avectum in Hispaniam mox transferrent, orare Ordines provinciæ, darent operam, ne injuriam Albanus faceret. illi rati, æqua adeo postulantem deferri non oportere, intercedunt; ne migraret leges populi, neve datam à rege fidem violaret. isque respondet; ex equo, & bono, curaturum: nec in nomina tam illustria fideique, & meritorum in regem ante id tempus clara, temere quicquam commissurum. Eadem niti, una cum Hornani matre, apud Cæsarem, Imperii principes, equitesque ejus ordinis, in Hispania, Italia, Germania, alibique. interim custodia nihilo liberior fuit. & xv Eid. Novembris, jussu Albani, Vergas, Delrio, Pratiusque, Hornanum adeunt; ac, sine ulla exceptione, responderi ad interrogata postulant. si detrectet, actum iri in contumacem. id quadriduum exemit. dein anno MDLXVII ad diem xv Eid. Januarii, coram Francisco Montefio, & Antonio Avila, LXIII accusationis capita Pratius tradit, quibus intra v diem respondere teneretur. idem Egmundano factum. Auriacus, futuri prudens, Dillemburgum, in Germaniam, se receperat. Hochstratanus, in Vbiis erat. uterque scripto crimen remonent. fidei semper in regem certos, omnia turbis componen-

dis pertentasse. falso in ipsos culpam verti, Inquisitioni potius imputandam. verum illum Hispanorum astum esse; qui, libidine dominandi, antiqua regionum jura convellere annisi, ansam quaerent sumendis armis, & Belgarum opprimenda libertati. hinc creatos novos episcopos, & concilium Tridentinum promulgatum, impulsore Granvellano; qui, proceribus Belgarum infestus hostis, prosapia obscurus, potentia illustrissimum quemque supergressus, eaque ambitiose usus, remp. omnem pervertisset. non judicium declinare; si idoneum, & secundum equestris ordinis jura, daretur. Aliorum, in eodem hoc reatu, par responsum. Interim in Auriaci filium, Philippum Buranum, impetum faciunt; misso Verga, qui Lovanio eum abduceret, ubi studiorum causa tunc agebat. nec ætatis innocentia, aut implorata à Rectore Academia privilegia, tredecenni profuerunt. passim etiam in vincula acti provinciarum, urbiumque, advocati, syndicique. omnes crudelissime habiti. inter hos Jacobus Endius, Hollandiæ advocatus, sævienti Albano miserrime objectus. virum gratiæ, fideique, inter suos perinsignem, Bossuvius, per Auriaci absentiam provinciæ præses, ad coenam vocaverat; eaque finita abiturum, apud se detinuit. inde in illius domum Sandium mittit, ipsi ab epistolis; & Gulielmum Berendrechtum, actuarii curiæ adjuvam: qui & schedia, & scripta omnia, in indicem referrent. inde noctu per prætorem, addita militum aliquot custodia, captivum Bruxellas mittit. illic, confectus mœrore, anno post in carcere periit. innocentiam viri Ordines tueri nisi, Antverpiamque, ubi Albanus cum Senatu suo esse, ablegarunt è primaria nobilitate Assendelfium, ac Mathenesium, & primariarum aliquot urbium consules; additusque Ioannes Treslongus, vir forensis eloquentiæ tunc laudatus, posteaque primus in supremo Hollandiæ senatu præses. is cordate bonam causam tuebatur; ac oratio nimis libera pene exitiosa fuit. quippe in cubiculo domus totum diem affervatus, nemine ad colloquium admisso, cum silentii juramento vix dimissus; tanto cæterorum metu, ne prehenderentur etiam, ut, mutatis statim hospitibus, re infecta, urbe excederent. Sub hoc tempus rex Philippus, de

re Belgii animi incertus, universam ad Inquisitores defert, ex sententia eorum deinde acturus. iique xiv Kalendas Martias respondent; *Belgas omnes, cujuscunque loci, aut ordinis, & divinae, & humanae, majestatis reos esse, solis his exceptis, quorum in probationibus mentio esset. hos aperte Dei, ecclesiae, & regis sui, reverentiam exuisse; illos, cum reprimere sectas, turbasque omnes, debuissent, per initia minus validas, tolerando vires istis addidisse. eidem culpa nobilitatem affinem videri, quae, praetextu publicae tranquillitatis, populum per libellos supplices concitasset.* ratum regi hoc consilium. qui Albano, ad diem III Kalendarum datis literis, imperare, in sectarum ac perduellionis reos de praescripto S. Inquisitionis uti quaestionem habeat. isque, ne deinceps quicquam per mollitiem quorundam, in sententiis ferendis peccaretur, abrupti rigoris iudices ponit; qui ex placito consilii, quod jam ante SANGVINIS appellatum dixi, noxam, & poenas, aestimarent. horum licentia cum in innocentissimos quosque grassaretur, nec, tam laxa sanctione, quisquam omnino eximius esset; angere sane vehementer, quotquot dignitate, aut opibus, antestarent. nemo non periculum suum arbitrari. & augere etiam metum miserorum tot spectacula; in praesentes, absentesque, graves poenae, & bonorum publicatio. Tam abrupto hoc rigore passim plurimi patria exacti; parsque in Flandria occidentali silvis sese abdidere. unde facta deinde manu erumpentes, in sacerdotes, monachosque, noctu invadunt, comprehensis bona eripiunt, & immanitate ea, quam passi erant, nares foede, auresque, obtruncant. quibus coercendis miles postquam frustra missus esset, rusticos vicatim Albanus sui quemque curionis curam gerere, ac bona erepta, à loci iudice aestimanda, restituere edicto jubet; & cavere pro eorum vita deinceps, fortunisque, sine ullo privilegiorum obtentu. Auriacus, intellectis Albani consiliis, tam inique se ac filium divexari indignatus, apud Caesarem, Electores, caeterosque Imperii principes, de injuria ac vi queritur, & intercedi apud Philippum regem orat. Caesar, animi valde aequus, litteras, & legatum, mittit,

pro Auriaco oraturum. etsi frustra. quippe respondet Philippus; *rerum Belgicarum negotium Albano abs se creditum esse. huic se Auriacus sisteret, perbenigne audiendus.* verum ille, qui saevitiam Albani nosset, non id tutum arbitrari. igitur ad Imperii proceres, & propinquos, se recipiens, iterum offensam repraesentat; *se defensione sua prohiberi, bonisque everti. filium in Hispaniam abductum, conculeatis & Brabantiae, & Academia Lovaniensis, privilegiis.* tum injuriae privatae publicam addit; *priscam Belgii libertatem oppressum iri. passim arcibus, munitisque locis aliis, Hispanos imponi; Belgii, & Germaniae hostes. alibi arces novas fieri. miseris Belgas, dum, tutendae libertati, Inquisitionem avertere annituntur, in arumnas graviores incidisse. nec discrimen Belgii tantum isthic verti; sed, subactò prius illo, in Germaniam, solo proximam, & culpa, iram Hispani transferendam. itaque in communi causa operam darent; hominibusque, praeter jus & fas oppressis, ne auxilia, maximum libertatis suae firmamentum, denegarent.* Inclinati hac oratione quidam, religione, aut genere, juncti, ei militem promittunt. interim apologia innocentiam testantur. Sub hoc tempus nobiles aliquot saevitiam Albani ulcisci statuunt. forte quadragesima erat, & suadebat pietatem anni tempus. ad eamque exercendam Groenendalium, in nemore Sonio monasterium, proficisci cogitabat. id gnarum aliis, occasionem consilio dedit. Risoirius, & Carlous, è gente Vander-Notia fratres, duces erant. Carlous, ut periculo temporis se eriperet, in hoc ipso monasterio latitabat. parati pedites I 5, equites fere I 5 0 0, plerique in castello Ohanio occultati. & patrata res fuisset, nisi insidias miles quidam prodidisset. is domesticus pridem Licquii, ad ipsum defert; ille porro ad Albanum. qui, indicio fidem negans, ceu aucturum nullum crederet, vix differre destinatum pietatis exercitium persuadetur. quidam è conjuratis miles, de cohorte Egmundani, comprehensus fortiter quaestionem excepit, neque conscium ququam prodidit. Ineunte quadragesima, eorum supplicia, qui audierant conciones, Albanus parat; itaque passim in urbes mittit, qui in vincula noctu oppressos secum ab-

abducerent. verum plurimi, suo metu, motu amicum, mutatis locis, è periculo evasere. & è prætoribus ipsis nonnulli, tam aperta iniquitate, officium suum detrectabant. inter alios talis Leidæ Ioannes Berendrechtus erat. adventabat in hanc urbem è mandato Arnoldus Sasboutius, cives aliquot *LXXX* prehensurus. ac fecisset, nisi vir honesti animi homines simplices, publicatis pridem à Parmensi literis, & clementia regis fretos, circumveniri indignum ratus, clam præmonitis fugam, aut latebras, suafisset. alibi tamen non sine effectu imperium fuit; & oppressi perquam multi, varia morte perierunt. Ultrajectinis porro instat, ut concilii Tridentini decreta recipiant. missique præses Machliniensis, & decanus Bruxellensis, Archiepiscopum adjuturi. sed ecclesiasticus ordo hic discrimen aliquod facere. *fidei catholica professionem, errorum reformationem, cetera omnia, libenter admittere; at de jurisdictione extraordinaria capita, aliaque, ambigui sensus, ea nullo modo posse. interpretationem factam à Parmensi ante biennium; illa se usus esse.* cumque urgeret Archiepiscopus, deprecatum Bruxellas mittunt; quibus severe Albanus respondet, *morem omnino gerendum; idque ita regem velle. nam quæ nuper à Parmensi indulta ferrent, ea iniquam temporis conditionem extorsisse.* ad responsum literas addit; & mandata Archiepiscopum exequi jubet, clerum ilico parere. Auriacus amicos, & exercitum, in Germania parare; cum foederatis clam consilia sua habere; &, vix expectante Albano, impressionem pluribus simul locis moliri. tum à profugis, qui in Anglia, Clivia, & alibi, instaurando bello opem, ac pecuniam, corrogare: Ludovico quoque fratri, & Gulielmo Bergensi affini, mandata dare, providerent, ne resp. detrimenti quicquam caperet. Theodorus Sonoius cum fiducia literis foederatos passim adit, rogatque, ut præscripto omnes loco, ad *XIV* Kal. Maji, adesse velint. & stitere se nonnulli; aliis consilii ancipitis exitum opperiri placuit, animumque pro fortuna inclinare. dum hæc fiunt, Ludovicus Nassovius militem, à se collectum, navigio imponere apud Embdanos satagebat. verum illi, etsi clanculum faverent, tamen palam,

Albani metu, prohibebant. In propinquo *CIO IO* arx Wedda erat. hanc statuerat occupare, & in agrum Groningensem, reliquamque inde Frisiam, & Hollandiam Borealem, copias mittere. id consilium cum Embdani evertissent, nihilo tamen segnius agit; & Sonoium ad Vefalienses mittit, quibus sponforibus arma plurima compararet. neque cessare Bergensis; qui, collecto passim milite, Crispinum Zeltbrugium in Gelriam mittit, ac Zutphaniensem agrum. isque Herenbergam capit; & præsidium, à Megensi impositum, pellit. sed, auxilio ab Albano festinato, ne quid hostis, debellari per initia adhuc facilis, mora sese communiret, missa statim legione Longobardica; duce Sanchio Lodonio, non tueri locum potuit. In Gugernis quoque copiarum convenerant. jamque erant *CIO CIO*, sed sine armis. hæc cum incremento etiam expectabant; sed in alieno solo nimis temere securi, præter spem opprimebantur. Conventum Albanus intellexerat; quem turbandum statim ratus, Sanchium Lodonium, quinque signis legionis suæ assumptis, Namurcum proficisci jubet: ejusque copiis Sanchius Avila, Nicolaus Basta, & Petrus Montanus, suas adderent. Avila quidem stipatoribus præfectus; Basta equites Epirotas, Montanus sclopetarios ducebat. hi deflectere via jussi, Trajectum Mosæ iter capiunt. ibi, viæ fatigati, cum se paullum recreassent, ex Eberstenii legione *IV* Germanorum signa sibi adsciscunt. cum his Ruremondam movent, munitam in Cliviæ Gelriæque finibus urbem, ad Ruræ & Mosæ confluentes. id dolo pridem foederati, atque aperta vi, aggressi, frustra fuerant. itaque suburbium, ac templum, populati recedentes, cum tumultuario ponte Ruram flumen transmisissent, Wassenburgum, inde Herculenum versus, viam habebant. Avila, gnarus ubi agerent, cum equitatu propere urget, Lodonium cum peditatu subsequi jubet. Hic coacti pugnam inire foederati, aciem ordinant: sed, non bene instructi armis, & adventu Hispanorum inexpectato consternati, cum magna clande pedem referunt, ac Dalemum se recipiunt. idque mox, ad *VII* Kal. Maji, actis per Lodonium copiis, impetu facto,

ex-

expugnatur. venire in hostium potestatem signa septem. cæsi mille, & ducenti. Villerius, ac Dueus, capti; mox Bruxellas abducuntur. ex Hispanis XL cecidere. Franciscus Verga, in conflictu eo egregius, vulneratus. Lodonius, re præclare gesta, cum v signis Ruremondam urbem ingressus; laqueo captivis aliquot gulam frangit. hinc digressus, peste oborta, Venlonæ, ac Graviæ, militem imponit. signa item alia v, Vilvorda missa, & Tornaco, per vicina loca distribuit. Ad famam cladis miles, qui circa Bergensem, perterri, ac dilabi. eodem metu Wesalienses perculsi, concessa prius viris I 0 arma abnuere. idque Sonoium irritum conatus fecit. inde, cum rumor increbesceret, novas in Gelria copias cogi, Albani jussu, profecti contra eas Megensis, provinciæ præses, & Andreas Salazarius, arcis Panormitanæ in Sicilia præfectus. his Consalvus Braccamontius signa octo è sua legione jungit, Silva ducis advocata; & præsidium Aldenardæ. Cæsar Avalus, marchionis Piscariæ frater, ad Graviam adesse, cum tribus equitum turmis, jussus. urbs in Gelriæ, Cliviæque, collimitio ista sita, ac foederati occupant: sed, obsidionis metu, paulo post deseruerunt. Inter hæc plurimæ Albano molestiæ. ac sub nundinas Francofurtenses Fridericus Palatinus aureorum centum quinquaginta C I 0, militum in Belgio stipendiis destinata, Manhemii detinet, ubi in Rhenum Nicer illabitur. ob id factum regis sui nomine multum queri Albanus, Italique mercatores; literas commendatitias ab Emanuele Sabauda afferentes. Allegare Palatinus decretum Imperii, à novennio promulgatum; *ne pecuniam è Germania exportare quisquam audeat. insuper fraudem vectigali factam esse.* tandem, implorato etiam Maximiliano Cæsare, prius merces, mox pecunia quoque dimittitur. hanc rem clades magna excepit. Ludovicus Nassovius, infeliciose initio, animum in fortunam obfirmans, collectis copiis, Frisiæ incumbit. in promptu ipsi equites pauci; pedites instar V I I C I 0, armorum titulus, *patria, & conscientiarum, libertas;* vexillaque inscripta, *AVT RECUPERARE, AVT MORI.* Weddam, Arenbergici arcem, situ ac mu-

nitione peridoneam, per delectos I statim capit. militem omnem Groningam convenire jufferat. illic, & vicinis locis, aliquot dies commoratus, Damum petit, Ommelandiæ oppidulum; ubi copias suas junxit frater Adolphus: inde, ordinibus ejus provinciæ advocatis, per Tiallingum Eissingam, jureconsultum, arma postulat, ac pecuniam; subsidia belli, si benigne dare nolint, per vim tamen impetranda. cum rogarent, ut Groesbequio consulendo tempus daret, qui, absente Arenbergico, vices præsidis obtinere, ut obstringeret sibi studia, non gravate id indulgit. In metu erant, ne, subsidiorum faciles, in provincia undique aperta, & prædæ obnoxia, iram regis concitarent. ac responsum consulentibus, *ne quid temere pactum irent. at pecuniam, in discrimine manifesto, damno avertendo, darent; eo magis, cum nequicquam recusarent.* nam Groesbequius paulo ante Wittewerum, ad primum inde lapidem situm, festinanter c c c c aliquot ducens, militem necdum auctoratum, & inermem magna parte, opprimi facilem arbitratus, omnia contra expertus fuerat. Interim Nassovius, allata pecunia, copias suas auctorare; monitusque per Groesbequium Albanus, Arenbergicum mittit, provinciæ præsidem; recens advenam, pace in Gallia constituta. addit huic Braccamontium, tum Sardoam legionem, Germanorum signa quatuor, Curtiique Martingiam unam. his accedere Carolus Brimeus Megensis jussus, qui equites Hispanos & Epirotas c c c c, pedites C I 0 I 0 ducebat. Arenbergicus per Hollandiam iter maturat; &, Belgarum signis v advocatis, Groningam prius, inde Wittewerum tendit, v i tormenta bellica minora secum trahens. vixque advenerat, cum Nassovius, gnarus, Megensis absentiam haud exiguum victoriæ momentum, antequam jungeret, hostem invadit. Loco idoneo sclopentarios C I 0 disposuerat; per quos acriter velitatum, dum pugnantes nox dirimeret. inde Weddam castra movet. ac postridie fugam eum agitare Hispanus ratus, ne evaderet, ab ardore persequendi non prudentia ulla ducis retineri. quin convitia etiam in cunctantem jacere; ac *sectarium* dictitare, & regi suo pa-

rum fidum. ille autem, loci gnarus, auctor esse, ut *Megensem exspectarent, vix diei unius itinere separatim: cuius vires si adjungerent, sine discrimine victoriã fore.* sed consilii, quam animi, meliorem impetus militis in præceptis abripuit. itaque insequitur, prælii aleam experturus. cum Winschotam attigisset, proximum Damo pagum, eminus aciem bene ordinatam, & pugnare certam, prope Heiligerleu videt. paribus utrinque animis pugna committitur. sed Nassovius, explorato, Arenbergico vix c c c Martinengi equites esse, Germanos c aduersum mittit. ex insidiis sclopitarii c c c c latus invadunt, atque dissipatos fundunt. multos prælium, plures loci paludes hausere. Arenbergicus, fortiter pugnans, gloriosa morte occubuit; & cum eo ex Hispanis viri illustres, Alvarus Osorius, Ioannes Perefius à Soto majore, Petrus Caprarius, ordinumque ductores v r i. è gregariis c l o l o c cecidere. qui evaserant, Heiligerleum se recipiunt. id in propinquo monasterium, dum expugnatur, Adolphus Nassovius, inter primos animose oppugnationem juvans, sclopi ictu interficitur. postquam cladem, captis castris, ac direptis, prædam ingentem victor habuit. & Arenbergico Heiligerlei, Nassovio Weddæ funus factum. Illa strages Groningensium animos perculit; ac magistratus, turbarum metu, in Walburgis arma ponere cives jubet. postridie Megensis adest, cum Chiapino Vitellio, adducens equitum turmas v, peditumque signa viii, adhæc in urbe iv erant, præsidio relicta. itaque jam satis tuti oppidani videbantur. Ludovicus Nassovius gnarus, recentem hostium consternationem egregiam rei gerendæ occasionem, ut victoria uteretur, non cunctanter copias Groningam ducit, & coenobium proximum capit. illic dum interdum leviter dimicatur, suffosso equo, Martinengus in discrimen summum venit. Megensis, ictu sclopi faucibus, eo ex vulnere postea obiit. quam cladem ulturi sui, expugnato mox coenobio, præsidium omne contrucidant. Arenbergici cæde, & exercitus strage, asperior Albanus, ocus Namurcum Hispanos fere omnes, Trajectum Mosæ c l o c l o pedites, equites l o, proficisci jubet. Maximiliano

Hennino Bossuvio, Hollandiæ præfidi, c l o l o aliorum locorum tutelam mandat. inde LXVIII. ad poenas animum vertit, Belgioque ob religionem profugos edicto revocat; non redeuntes, graviorum metu, perpetuo exilio, bonaque eorum fisco addicit. cumque audiret novos motus, majoresque etiam indies pertimesceret, ne qui porro quicquam auderent, suppliciis omnes deterrere animum induxit. Igitur extremo Majo, Gulielmo Auriaco, Ludovico Nassovio, Antonio Lalanio Hochstratano, Florentio Pallantio Culemburgensi, Gulielmo Bergensi, & Henrico Brederodio, qui citati non adessent, exilium indicit. & Bruxellis dirutas ædes Culemburgensis solo æquat. nam illic congregati proceres, de tutanda libertate consilia ceperant; & libellum porrecturi, hinc processerant: unde poenam meruisse item visæ. in area columna ingens marmorea posita, quæ quadruplici inscriptione facti causam testaretur. Hæc post annos aliquot fracta, tam manifesto Albani odio, ut abducta quisque frustra, aliquod præclaræ operæ testimonium, ostentaret. Kal. Iuniis in captivos gladium expedit. eoque Bruxellis percussus è primaria nobilitate viri octodecim, Gisbertus & Theodorus Batenburgici, fratres: Petrus Andelotus, Philippus Wingelenus, Maximilianus Cocus, Philippus Triestius, Ioannes Bloisius Treslongus, Bartholemæus Vallæus, Arturus Batsonus, Harmannus Galama, Siffridus Bejema, Iacobus Ilpendamus, Firminus Peletarius, Constantinus Bruxellus, Ioannes Rumaltius, Ludovicus Carlerius, Petrus Waterlezus Altzius, & Philippus frater. atque ex his Batenburgicus uterque, Andelotus, & Cocus, qui proficiæ dignitate antecellerent; extra portam Scarenbergensem, ad sacellum hierocomii, sine oculis bini uno tumulo conditi. cæteri ad palos fixi, & suspensa supra capita. cum ad mortem ducerentur, ne querela aliqua justa, vel alloquio generoso, spectantis populi misericordiam, aut virtutem, atque Albani etiam odium, excitarent, pulsata magno strepitu tympana audiri quenquam prohibebant; intermissa, si silentium, aut majorum

in morte fidem, promississent. denique, turbis inhibendis, circumposita morientibus Hispanorum signa 1 x. Postridie, eo ipso in loco, simili supplicio affecti Villarius, ac Dueus; infelici ad Dalemum pugna capti. prætor etiam Anguiani, Quintinus Benedictus, ac Cornelius Menius, eloquentiæ in concionibus claræ. Tot nobilium supplicia proceribus prælusere. 111 Non. Egmundanus Hornanusque curru Gandavo advehuntur; illuc antea, sub diversa custodia, in carcerem missi. captivos equitum turma una, peditum signa decem, ducere. in advectos sententia mortis postridie fertur. crimen utriusque par intentatum. *negligentes fidei sua interurbasse; fæderique subscripsisse. S. Inquisitioni, sub pretextu defendendæ libertatis, restitisse; nobilitatem factiosam patrocínio adjuvisse, ac provinciam minus recte administrasse: tum sectariorum audaciam, magno religionis Catholice detrimento, impie dissimulasse.* Causa Albano exitii maturandi, odium maxime in Egmundanum; ut dignitate, & meritis, parem, ita gravem. tum nutantem clade nupera Friariam denuo confirmare, armisque Nassovii cum omnibus copiis quamprimum occurrere, oportebat. inde metus, ne oppressa per vim provincia, abducto milite, per absentiam tumultuaretur; & effracto etiam carcere, tantis belli sui ducibus uteretur. quam ob rem, sublati illis, nihil sibi metuendum, ac terribilem se futurum, existimare. Venire in urbem iussus erat Martinus Riethovius, Imprensis episcopus; isque, audita Albani sententia, cum rigorem precibus flectere supplex vellet; ille indignatus valde, *nuntium se in præsens voluntatis suæ, non deprecatorum, accivisse ait; itaque iret; iussaque Egmundano exponeret.* igitur, invitus quamquam, frustra tentata clementia, sub noctem mediam nuntium captivo defert. qui initio attonitus, interrogare, *an nulla gratiæ spes restaret.* cum Riethovius negaret, & nequicquam impensam operam memoraret, *ea propter advenisse, ut præstaret morituro extremum pietatis officium: ergo, inquit, gratias Deo, & Albano; quod eiusmodi conciliator mortis mihi nunc obtigerit.* inde animum obfirmans; *atqui nec tam me nocentem, aut offensum adeo regem, arbitrabar. cui quando sic*

videtur, unum oro, ut in me deponat iram; uxorem autem, & ætatem liberorum, plane innocentiam, misereatur. inde ad regem, & Albanum, literas scribit; enixe petens, *pro tot meritis, ut suorum innocentie parceretur. se in regem fidei certum, & obsequii, semper vixisse. quicquid contra videretur, à necessitate expressum. sat virtutem ipsi olim approbasse. à qua nuper si aliquantum deflexisset, injuriam temporis, quam malitiam suam, fuisse. quando tamen ita omnino statuisset, mortis legem patienter tolerare; idque egregie voluntatis testimonium putaret.* Cum scripsisset, obsignatas Riethovio tradidit; additis precibus, ut recte curaret: quod ille non gravate recepit. inde consilium petenti, quod mox in pegmate sequeretur, idem suadet, *sermone ad populum abstinere. neque enim à multis intellectum iri, ob frequentiam circumstantium Hispanorum: etiam verendum esse, ne quis verba forte non bene intellecta male interpretaretur.* inter has curas noctem egit. Postero die, pervigilio Pentecostes, à Iuliano Romero, & Francisco Salina, ad supplicium producit. euntem comitabatur, is quem dixi, Martinus Riethovius, pio alloquio solaturus. erat in foro exstructum pegma, injecto nigro panno velatum; & in eo pulvilli ferici nigri 11, ac spicula totidem. item abacus, in quo posita crux argentea. subter quaestor Spellæus, cum lictore; quem à pedibus fuisse fama erat. circum 119 Hispanorum signa stabant, ne quid populus benignior turbaret. adhæc 111 alibi disposita. unum omnes urbis plateas, reliqua 11 palatium servabant. sub meridiem in pegma ascendens, & inambulans paululum, *utinam pro rege, inquit, & rep. mortem hanc oppetere mihi licuisset.* tum Romero interrogato, an spes nulla gratiæ esset; cum is negaret, dentibus frendens, projecto in terram indignanter pallio, togaque, post pauca cum Riethovio verba, in genua procumbit: crucemque argenteam, quæ in manibus, subinde venerans, fortiter lictorem excipit. abscisso capite, pannus trunco, & effuso sanguini, injicitur. tum productus item Hornanus, multiplicem Dei offensam passus, ac bene astanti coronæ precatus, cum peccasse in regem suum, hoc quo rogabatur modo, pernegaret, in pulvillum subjectum itidem inclina-

clinatus, gladio percutitur. capita utriusque, per horas 11 spiculis impacta, triste populo spectaculum præbuerunt. tum loculis plumbeis condere corpora ministris permiffum. & folenni pompa illud ad Claræ, hoc ad Gudelæ, deponitur. Postea Sottegemum, suum in Flandria oppidum, Egmundani; Campiniam Brabantia Hornani avehitur. Vidit supplicia hæc, uti fertur, capto loci alicujus secreto, Mondolcetus, qui tunc regis Galliarum negotia illic procurabat; & regi illico nuntium misit: *ejus se spectasse necem, cujus virtute bis concussa Gallia universa contremisset.* nimirum clades innuebat, egregia Egmundani virtute, prius ad Quintini fanum, inde ad Grevelingam acceptas. Insignia luctus, more in magnatum funeribus usitato, pro foribus aulæ domestici statuerant; verum ea, Albani jussu, statim amota: nec lugere palam licuit. Ingenti mœrore perfusa civitas. & plerique detestari abruptum rigorẽ; omnes æque infelicem procerum sortem miserari. quin nonnulli tincta effuso sanguine sudaria, odii, & vindictæ, olim irritamentum, asservare. maxime autem dolere miles ereptum sibi Egmundanum, virum animi excellentem, & clarissimum belli ducem. quin & populi pars magna, ad occisi loculum effusa, dum in Claræ fano esset, cum lacrymis oscula certatim dabat. Interim in Frisia gnavaus operæ Ludovicus Nassovius; indiesque, fama victoriæ, auctæ copiarum. jamque cum equitatu Germanico Iustus Schouwenburgicus accesserat. quo rerum statu Groningani Ioachimum Panferum legere signum subsidiarium jubent: sed id mox Bartholemæus Entesius Hareni oppressum noctu aggressus, captis plurimis aut interfectis, dissipavit. In Germania ab Auriaco, & Hochstratano, item laboratum fuit. sed iis varia impedimenta. & Sonoius, Ioanne Basio ac Reinero Cantio adjutantibus, etsi via ab Erico Brunsvicensi obsessa, Nassovii ad Groningam copiis 100000 sclopos curat. inde Franciscum quoque Boshufium, qui, instructus 6000 navibus, in Amasia commeatum prohibebat, in fugam propellit. dum hæc fiunt, ne mora Nassovius robur contraheret, Albanus ipse in Frisiam proficif-

ci statuit. ac Chiapinum Vitellium cum 10000 cohortibus præmittit, prælio abstinere jussum. addit Germanos 10000, qui sub Erico Brunsvicensi Daventriam conveniant; & 6000 alas, duce Roblesio: item militem, ab Hiergio lectum. ac mox ipse secuturus Hispanorum 17000 signa legionis Neapolitanæ Gandavo advocat; relictis tantum arcis præsidio 11 vexillis. alia 20000 è Longobardica, Siculaque, Bruxellis, ac Trajecto Mosæ, Silvam ducis ire jubet: & Noircarmium, data levis armaturæ præfectura, equites 10000 in Burgundia parare. Croio, ac Blondo, mandat; ut, curato Valentinianis præsidio, in Hannonia, & Atrebatibus, peditem recenserent: Cressonerio, ut Machlinia, ubi publicum provinciarum armamentarium, tormenta bellica 15000 submitteret. inde Silvam ducis iturus, eo consiliarios omnes, de Frisiam auxiliis consilia daturus, adesse jubet. quamvis enim hujus belli gloriam sibi destinaret, tamen, ceu distractus varie, ideoque ne ipse iret impeditus, voluntatem dissimulabat: vel, ut vano hoc rumore negligentiosem hostem, ceu ab futuro ab exercitu imperatore, facilius vinceret: vel, ut per adversa rerum apud regem majus operæ pretium faceret. itaque Bruxellis 5 Kal. Quintiles profectus, cum postridie Antverpiam venisset, è Londronii legione sex cohortes urbi imponit, arci duas, sub præfecto Serbellino. inde Silvam cum universa manu tendit. Hic cum nuntium accepisset, de expugnata per Bergensem Herenbergam, Londonium mittit. isque cum equitum Epirotarum ala 1, & cataphractis 1, ac machinis 5 profectus, locum, à præsidiariis jam desertum, sine negotio ullo recipit. tum Daventriam ire Ibarram item jubet, curandæ annonæ, & navigiis conquirendis; quibus transmitteret peditatum, Isela, Mosæ, Vahali, & Rheno, tunc distentum. quæ res, etsi auctis aquis, imbrium frequentia, sat feliciter festinata. Igitur tandem Daventriam venit, obvio equitum 3000 Germanicorum ductore, Ioanne Bernardo. ibi Lopesio Acunæ mandat, ex Hispanico levis armaturæ equite alam scriberet; Baptistæ Montano, Aurelio Panormitano, & Georgio Macucæ, tantum-

dem ex Epirotis facerent, Italisque, pridem in Gallia exauctoratis. postridie Coverdiam movet, inde Groningam. apud Coverdiam eum Vitellius cum equitatu Brunsvicano excepit; & mox in itinere Megensis. Groningam advenit pridie Id. Quinctiles, cum Priore Melitenfi. Id gnarus Nassovius, Gemingam versus, ad Amasiam flumen, castra movet; locum metatus, advehendo è Frisia Orientali com meatui satis oportunum. illic opperiri hostem certus, aditus omnes propere munit: ac parte ab una fossa ingenti, ab altera se Amasia tuebatur. & in via passim emissaria, pontesque, disjecerat; uti insequentem hostem impediret. Interim cum navibus captis Delfsfiliam Sonoius appellit; & intellecto, Nassovium, Groninga digressum, ad Gemingam castra posuisse; postquam Cnocum attigisset, haud procul Embda, nec majores naves flumen ferre posset, lembo vectus, ad eum properat: jussusque annonam procurare, ocius facit. dumque id agit, ab Vnico Manninga, præfecto Embdano, per Gulielmum Niveldium Arentsbergium admonetur, uti sub arcis urbisque moenia naves duceret, sua opera tutam illic stationem habituras; oblatoque opportune beneficio usus, minoribus Gemingam missis, majores illic reponit. Albanus pleno ad proelium impetu ferebatur; ac tametsi impediret, abruptis ubique pontibus, & restagnantibus aquis, difficilis via, tamen XIII Kal. Sext. Nassovium affecutus est. Mane erat, & multa nebula obscurus aër, quam mox clarior sol discussit. & explorato per Sanchium Avilam, quo res loco sitæ essent, ipsum mittit, ac Monterum, cum nonnullis sclopetariis pugnae initium facturos; ac post illos cæteram aciem succedere jubet; sic distinctam, ut in fronte Hispani essent, inde Germani, post hos Belgæ: quos sequebantur CCC cathaphracti, & Ioannis Bernardi ala I. omnes agmine quadrato singulatim incedentes alter alterum sequebantur. nam & iter angustum esse, & plerumque aqua mersum, per quam miles umbilico tenus interdum ambularet. erat canalis, in Amasiam se exonerans, ponte stratus. hunc dejicere, & aggere effosso, aquas immittere, Nas-

soviani moliebantur. sed hos Avila, Salazarus, Verga, Mendosa, aliique è nobilitate plures, aggressi fortiter, opus inceptum deserere coactos, intra castra compulerunt. in hoc quando ingens pugnae momentum esset, Nassovius, recuperandum omnino ratus, illico sclopetariorum IVCIO his submittit. II, sociorum turpem fugam correcturi, acrem denuo pugnam instituunt; verum animo, quam fortuna, meliore. nam Hispani, initio pauci, acriter locum occupatum defendentes, auctis per auxilia animis, mox in fugam hostem fatiscentem vertunt. illo conflictu Gabriel Manrices Osorius cecidit. Iulianus Romerus, & Sanchius Lodonius, qui in prima acie erant, victis instant. quos sequuti sclopetarii CIOCC, sub Roderico Sapata, & Didaco Carvaiali. Nassovii copiae in agmina II distributæ. ac dexterum quidem latus eques, sinistrum Amasia flumen claudere. frons obversa hosti esse; & tormenta ante eam. his explosis, cum ad manus veniretur, Hispanorum paucitate audentiores Nassoviani, extra fossam temere prouunt. sed repulsi à Lopefio Figueroa, suo pavore reliquos percellunt. ac trepidantibus cum equitatu Avalus incumbit; Mendosa, & Medivilla, cum sclopetariis. inde totas copias Albanus inducit; ordinesque, jam turbatos, penitus profligat. reliquæ prælii Avalo mandatæ, & Martinengo, qui fugientes usque ad IVC milliaria persecuti. hac in pugna Nassovium destituit suorum virtus; qui in ipso principio refractarii incondito clamore stipendium postulabant; nihil ducis sui monitis, nihil proprio periculo moti. ipse certe, animi egregius, ut socordiam cæterorum excitaret, fortitudinis exemplum alacriter dabat; & omnia militis munia capeffens, incumbentem hostem aliquandiu sustinuit. sed cum frustra victoriam tentari, tam obstinata suorum ignavia, seque cum paucis in acie restare, animadverteret, explosis supremum sua manu machinis omnibus, non tam victus, quam desertus, proelio excessit; parvoque navigio in objectam Frisiam orientalem evasit. Iustus Schouwenburgicus in initio proelii, ubi turbare militem animadvertit, cum pleroque equitatu se subduserat.

Tanta

Tanta vero omnium ignavia erat, ut, ab-
jectis turpiter armis, pecudum instar ma-
ctarentur, aut in flumine mergerentur. A
meridie in vesperam continuata cædes; &
vix nocte dirempta, postridie renovatur.
viæ cadaveribus, & armis, oppletæ. In
quodam Amasiæ æstuario insula erat, in
quam se Germani aliquot receperant. hos
Figueroa, Hiergius, & Roblesius, ad in-
ternecionem cædunt. Univerſim vii fe-
re c10 cæsi. capta item signa xx, &
impedimenta omnia. inter quæ & Hoch-
stratani, qui biduo ante, ad Auriacum pro-
fectus, à castris abierat. ex Hispanis vix
LXXX desiderati. Geminga, ac Reidani
pagi, misere direpti. abacta pecorum ali-
quot c10. rustici passim crudeliter vexa-
ti. fœminæ, ac virgines, ad libidinem ha-
bitæ. cujus rei Albanus ut invidiam amo-
veret, legionem obnoxiam auctoramento
solvit. Frisiæ orientalis comes, Embdani-
que, valdè anxii, ne, obtentu hostium per-
sequendorum, invaderentur, per opposi-
tum Amasiæ aggerem subditos cum armis
disponunt. urbisque præfectus, qui non
ita pridem navium tutelam in se recepe-
rat, per adverſa fidei negligens, Sonoium,
ac navarchos cæteros, ad se vocatos, tor-
vum obtuens, acriter increpat; *ipſos pari-
ter, navesque raptas, ac Nassovium, ærumna-
rum causam præbere.* & mox, securior Al-
bani discessu, abire jussis, damnum alibi
acceptum objiciens, naves, prædamque
omnem, detinuit. Victor Albanus, tan-
quam hostem fugientem insecuturus,
transmittere Amasiam in animo habebat.
verum navium egenus, relictis antea Gro-
ningæ pontibus, qui per loca aquosa non
sat tempestive advehi poterant; tum &
crebris nuntiis monitus, adventare cum
ingenti manu Auriacum, mutata senten-
tia, retro pedem Delffiliam flexit. ubi, co-
gnito loci ingenio, portum maris oppor-
tunum arbitratus, urbem condere omnino
statuit; eo magis, ut commercia Embda-
norum, qui sectariis palam addicti, inter-
verteret. itaque statim fossa ac muris de-
signatis, urbem futuram Marsburgum ap-
pellat; & per Groningensem episcopum,
Ioannem Cnivium, templo locum conse-
crari simul curat. His peractis, Gronin-
gam tendit; ubi convenire Ordines, &

adventum præstolari suum, jubet. mox vi-
ctoriam ad Gemingam qui Philippo nun-
tiaret, Andream Salazarium; Pontifici,
Carolus Merlū mittit: Ioannem Hoiūm,
Monasteriensem episcopum, per literas
certiorem facit. tum de Frisiæ orientalis
etiam comite, atque Embdanis, qui Nas-
sovium comiteatu adjuvissent, valde que-
ritur. Cum Groningam advenisset, Om-
melandiæ ordinibus, ac senatui urbano, in-
quit; *inobedientia ipsorum, & sectarum nu-
per introductione, publicisque concionibus, ac
sacrorum prisco ritu conculcato, lesam regem,
adhæc multos è nobilibus, qui in urbe, aut pro-
vincia, contra avitam religionem, regiamque
majestatem, cum Nassovio conspirasse. quin cum
perduellibus cæteris arma quoque conjunxisse.
quam in rem cum rex pecunie vim ingentem,
Arenbergicus vitam suam, ipse autem laboris
tantum, ac molestia, impendisset; bono jure, ceteri
armorū vi subactis, privilegia adimi posse. eam
ob rem statuisse, ne hoc malum negligentia inva-
lesceret, statim occurrere; idque sibi demandasse.
idcirco velle, uti Cnivium, pridem à rege, &
pontifice, destinatum, præfulem acciperent. vi-
sum insuper, de religionis causa nova edicta pro-
mulgare; ac, rep. ordinata, innocentium salu-
tem, & securitatem, arce munire. de cætero au-
tem Megensi, qui successor Arenbergico in præ-
fectura datus esset, Cnivioque, sacrorum anti-
stiti, morem gererent.* Ad hæc omnes, jus-
dicentem in armis veriti, graviter animis
consternati. & arcem quidem Paciottus,
ac Vitellius, similem Antverpiensi, verum
ambitu minore, statim delineant, quam-
vis in annum proximum dilatam. Cum-
que deinde constitutum intellexissent, ut
in urbem mox Delffilia mutaretur; mul-
tis precibus, ac Megensi adjutante, & Al-
bernosio, qui Albano ab epistolis, gratia
apud illum insignis, ægre tandem impe-
trarunt, ut consilium, magis ipsis, quam
Embdanis, noxium, omitteret. tamen pla-
cuit, ut inceptum à Nassovio propugna-
culum perficeretur; ac Marsburgum, de-
stinato urbi nomine, diceretur. quod ob-
tinuit, quam diu potitus Hispanus præsi-
dium ibi loci tenuit. Hisce rebus exacto
biduo, per Amstelodamum, & Ultraje-
ctum, rursus in Brabantiam tendit. Ac-
cum Amstelodami agit, in tribunos, &
Sardoæ legionis centuriones, Arenbergi-

canæ cladis pridem auctores, animadvertit. Hinc digresso Ultrajectum, advenit filius, Fridericus Toletanus, pedites bis mille & quingentos ducens, ac stipendium in aliquot menses. quem cum peditatui mox præposuisset, & exercitum lustrasset, peditum triginta millia, equitum sex, sub signis comperit. tum laudata urbani magistratus fide, ut terrorem populo injiceret, Diemenam, magnis opibus foeminam, magno natu, annorum octoginta quatuor, quia hospitium concionatori præbuisset, gladio percussit. quæ in pegma ad supplicium producta cum esset, ad carnificem se convertens, ceu jocata in ætatem, cui reverentia, aut venia, debebatur, virilis animi foemina quærit; *an bene gladium acussisset, nam lentam sibi cervicem esse.* Ut primum Bruxellas rediit, de Straleni, ac Backerselii, causa cognoscere aggressus, ex senatus sui sententia utrunque supplicio affecit. ac Stralenum, ob egregia pridem merita, venia dignum ipsi iudices pronuntiaverant. sed immitis animi virum, quem in Belgas proprium odium, regia voluntate munitum, crudelem fecerat, nulla meritorum ratio retinebat. additur poenæ Alfonso Lous, Hornano pridem ab epistolis, & consiliorum particeps. dein edicit, *ne cum profugis, ac proscriptis, literas quis, aut pecuniam, commutaret; atque in istis si quid regem, aut rem publicam spectaret, morte infami, & bonorum publicatione item, luiturum. si nil tale appareret, tum de causa iudici arbitrandum fore. qui eorum quenquam sciret, is aut manum ipse injiceret, aut indicium magistratui loci faceret.* nobiles quoque, qui in foedus nomen dederant, anno L X V I, in provincia latitantes, dolo aggressus, ut proderentur, gratiam facti publicis literis denunciavit. quibus tamen, per sævitiae tot exempla, nemo temere fidem habuit. contra multi, quibus vindex patriæ libertatis animus, variis scriptis, ac libellis, odium populi adversus eum concitarunt. inter cetera clam vulgata octodecim capita in schedis Vergæ præsidis reperta, quasilibet criminum species complexa; tam immani interpretatione rerum, ut Belgarum nemo fere extra noxam haberetur. ac prolata tredecim alia, à Granvellano; in quibus consilia erant, de constituendo Hispani

per hoc Belgium dominatu. sed licentia huic edicto mox occurrit, benignum animum, & bonam fidem, specioso valde elogio apud populum testatus. Interim Auriacus, comparatis in Germania magnis copiis, amicorum passim opera, oratores ad Cæsarem mittit, qui excusarent; *huc necessitate adaectum; rogarentque, ut dignitate in familia Austriaca princeps, miserari potius vellet, quam irasci; atque afflicto graviter Belgio, unde ipse oriundus, subveniret. florentes olim has provincias, tranquillasque moderatione Ordinum, Hispanorum nunc adventu perturbatas. Inquisitionis nomine proceres pariter, & quoscunque opulentos, divexatos, nec sævitiae, aut libidini, avaritiæve, modum factum esse. sæpius supplices, semper rejectos; deprecatoribus aut delusis, aut occisis. hac de causa, cum frustra apud regem preces tentarentur, versa in iram desperatione sua, arma sumpsisse, extremam vitæ, ac libertatis, tutelam. quæ deponere paratus esset, simul vim Hispanus omitteret. oratum etiam demisse velle, ut pro miseris apud Philippum patruelem intercedens, una ea ratione tranquillari Belgii turbas posse ostenderet, si, remoto milite extraneo, & gravissimo Inquisitionis metu, libertas publica redderetur.* Auriaci preces non neglexit prudens, ac benignus, princeps; & ceu universi Imperii negotium esset, sine mora cum Philippo agendum statuit. & legatio ut momentum ex personæ dignitate aliquod caperet, Carolo fratri, ob privata tunc negotia in Hispaniam proficiscenti, rem commendat. qui, natura pacis amans, & distracto Belgii motibus patruele, adversus Turcam minus præsidii Imperio fore animadvertens, non gravate in se recepit. itaque in Hispaniam profectus, cum negotium serio ageret, respondet Philippus: *nullo modo integrum esse, ut Albanum, aut Hispaniensem militem, revocaret. se consilium id cepisse præter principum fœderatorum conscientiam; cujus ne tam cito pœnitentiam ostendat, fame maxime interesse.* Ac sequenti deinde anno, ut invidiam amoveret, quam gravissimam apud Imperii ordines contraxerat, scripto publico facti rationes dedit. Ludovicus Nassovius, post pugnam Gemingensem, collecto undecunq; milite, ad Auriacum fratrem concessit. qui, etsi turbatis recentis cladis consiliis, copias coactas sedulo movere

movere, quas Belgio liberando ducebat. ad harum stipendium ecclesiae Belgicae re-
 formatae, procurante Marco Perezio, ccc
 cio dalerorum polliciti erant; exhibenda,
 cum primum exercitum collegisset. ex-
 tremo Julio, cum jam in procinctu esset,
 libello edito, belli contra Albanum susce-
 pti causas exponit. *gloriam Dei, ac commo-
 dum regis, proposuisse; item Caesaris, filiorumque,
 qui Philippo sanguine proximi: nec se aliud agi-
 tare, quam ut scævientem Albanum cervicibus
 innocentis populi, & per vim oppressi, depelle-
 ret. ac rogare universos, ut favore, atque auxi-
 lio, institutum tam praclarum adjutum velint.*
 in castris ejus Germanorum peditum signa
 XLIV erant; quae ducebant, Nicolaus
 Hadstadius Alfatus, vir antiqua nobilitate,
 & belli clarus: Vitus Schonerus, Balthasar
 Wolfius. equitum autem VII CIO, sub
 Hassie tribuno, Friderico Rollenhauseno,
 militiae in Gallia actae egregio; Theodoro
 Schombergio, Iusto Schouwenburgico,
 Alberto Nassovio, Burchardo Barbio, O-
 thone Malsburgio, Hermanno Rudesalio,
 & Adamo Wellio. XVI Gallorum turmis,
 & sclopetariis CIO CIO, praerant Fran-
 ciscus Hangeftus Ienlisus, Ludovicus
 Lanoius Morvillerius, Ioannes Ragnerius
 Sternæus, Arcturus Valdræus Movius,
 Anglurius Autricurtius, & Rantius. pedita-
 tum Poietus ducebat. ex Belgis aderant,
 Nassovium secuti, Antonius Lalanus
 Hochstratanus, Batemburgicus, cujus
 fratres pridem Bruxellis gladio percussi,
 Warrouxius, Risoirius, Carlous, Hame-
 lius, Boxtelius, Lonnervallius, Ohanius,
 Opdamius, Sonoius, alii. mox etiam Gu-
 lielmus Marcanus Lumæus accessit, cum
 instructo equitatu; qui, affectu in Egmun-
 danum, Hornanumque, non se comam-
 positurum adjuraverat, nisi morte utrius-
 que vindicata. tormenta illi bellica x, cam-
 pestria VI, majora IV. vexilla quorundam
 inscripta erant; PRO LEGE, REGE, ET
 GREGE. aliis effigies pelecani erat, san-
 guine pullos nutrientis. nonnulli in galeis
 rosas ferre, vetus Britannorum insigne,
 ceu reginae Elizabethae auxilium testati.
 Cum his copiis sub initium Septembris,
 caelo pluvio, expeditionem instituit; habi-
 toque ad Romersdorfiam in Treveris de-
 lectu, Rhenum trajiciens, Viti fanum, suae

ditionis pagum, devenit. ubi paulum com-
 moratus, à Cliviensi commeatum postula-
 re. quo negato, Arenberga à Nassovio fra-
 tre capta, & praesidium Hispanorum ob-
 truncatum. Eppena quoque, Duram inter
 & Agrippinam; arx Carpenfis, Hormeso-
 na, Withemumque: atque in Rheno octo-
 decim naves, in quibus merces multae Itali-
 cae, quas deinde institores redemere. tum
 pecunia Aquisgrano imperata, & cohor-
 tes ad Noitemum aliquot caesa. Quae cum
 nuntiata Albano, is, consiliorum incertus,
 cum haerentem illic videret, ac in Galliam
 modo iturum, modo Belgio, aut Luxem-
 burgenfi agro, imminere existimaret; ne
 quid Sequani paterentur, etsi ex foedere
 ad tutelam eorum Helvetii tenerentur,
 curata praesidi Vergio pecunia, si usus fo-
 ret, postridie Noircarmium, ac Mondra-
 gonium, cum copiis omnibus ad suppetias
 adesse jubet. tum Roblesium cum sua le-
 gione submittit. Antonio Berrio, Didaci
 Carvaialis signifero, cum Hispanis L, arcem
 Limburgensem mandat. ipse, munitis ad
 Trajectum Mosae castris, defensionem pa-
 rat, ac flumen ponte sternit; facilius excur-
 surus quocumque, & itinera vel obsessurus,
 vel vastaturus. utque eum fluminis transitu
 prohiberet, vadosis locis murices disper-
 ferat. Habebat peditum sedecim millia. ex
 his Belgarum signa quindecim, Hispano-
 rum quadraginta. Philippus Lanoius Bel-
 lovacus sex ducebat; Carolus Arsilius, &
 Iacobus Briacus, ille Landrecii, iste Ma-
 rienburgi praefectus, singuli quinque. Hier-
 gius decem, Mondragonius quinque; to-
 tidem Roblesius: cui etiam destinatum
 Ruremondæ praesidium. viginti Germa-
 norum Albertus Lodronius, & Philippus
 Ebersteinus. adhuc fossorum ingens ma-
 nus, è propinquis Eburonibus: item tor-
 menta, naves, commeatus. Auriacus in
 proelium pertrahere Albanum omnibus
 modis nitebatur. sed prudens belli impe-
 rator, cunctando frangere hostem certus,
 dubiam aleam detrectare. Sciebat enim,
 tam varium militem, sine stipendio, non
 concordem, aut obsequentem, diu fore.
 dein timebat, ne Germani, queis cum ho-
 ste eadem religio erat, aut à proelio absti-
 nerent, aut in eo destituerent. deinde ne-
 que in proceribus ipsis Belgicis plus fidu-
 cia;

ciæ; qui, quandoquidem metu magis, quam adfectu, obsequentes, victore Auriaco, facile in partes ejus transitori putabantur. iis de causis cunctante Albano, quod præviderat, seditio militum in Auriaci exercitu orta, gravi eum periculo involvit. quippe, dum pacare laborat, ad latus gladii capulus decutitur. Malsburgius, aliique, à turbantibus occiduntur. composito tumultu, in Eburones castra movet; &, auxilium à Leodiensibus sperans, Laurentii ac Margaretæ suburbia, & Afrodi-um pontem, occupat. sed Albanus, agri vastitiam interminatus, oppidanos, satis cæteroquin pronos, deterruerat. ac quantumvis pars adjutum omnino vellent, tamen metu, & Groesbequii episcopi opera, qui ad securitatem urbis signa pridem sex conscripserat, conatus oppressus est. Igitur spe cum excidisset, varie exercitum circumductans, ut incertum Albanum teneret, tandem ad diem Non. Octobris ad Stochemum, non longe Maseca, Mosæ admovens, vadum tentat, muricesque injectos tollit. inde equitem densatum, agmine usque ad ripam adversam continuato, in flumine consistere jubet. quò commento impedito ejus impetu, cum inferius jugiter defluens mox decreveret, peditique pervium etiam esse inciperet, exercitum universum transmisit; obstupescente rem inopinatum Albano, adeoque trepidante, ut quidam existiment, si è vestigio recta in eum copias duxisset, hostem, plane imparatum, & consternatum, oppressurum omnino fuisse. atque ipse quidem recenti terrore utendum censebat. verum miles, viæ fessus, & trajecto flumine madens, pugnam abnuere. ac cum mox refectum duceret, frustra fuit. quippe Albanus, militem intra castra tenens, mora, quam pugna, vincere malebat; certus fore, ut per imminentem hiemem, sine suo comœatu, & stipendio, copiarum ultro dilaberentur. Ergo cum neque hoc succederet, explorare Tajectinos statuebat, misso tubicine; quem Albanus comprehensum, ne consilia oppidani clam miferent, in furcam egit. Postquam sæpius velitatum, nec ad pugnam provocari Albanus posset, exiguo comœatu, in Tungros movet, Eburonum oppidum, satis

munitum; ubi exclusus, fanum Trudonis retrogreditur, insequente semper Albano, & postremum agmen vexante. hic pugnatum acrius fuit, atque egregium virtutis specimen Marcus Toletanus dedit. inde Thenas contendit, ab Hiergio occupatas; quem Albanus noctu præmiserat, ut vel laborantem Brabantiam, tutaretur; vel nutantem, in officio contineret. ipse Albanus in propinquo castra munit. post quadrimum prope Tilmontium divisas copias Auriacus partim ultra flumen ire jubet, partim collem occupare. quem munire dum festinat, Albanus, per suos interturbans, eum extorquet. ideo, relicto ad dextram Tilmontio, propter Geteram, in Brabantia & Eburonum collimitio, iter faciens, trajicere exercitum conabatur. id Albano postquam exploratum esset; Fridericum Toletanum, ac Chiapinum Vitellium, cum *IV* CICCO sclopetariis, equitumque aliquot turmis, transeuntem invadere jubet: ipse cum cætero exercitu subsequitur. cumque angustum iter esset, silvisque obsessum, Montedoca, & Salinas, cum sclopetariis *IO* angustias occupant; Fridericus, & Chiapinus, cum Gallorum, Belgarumque, & Hispanorum, aliquot signis, ac nonnullo equitatu, silvas circumjectas infident. sed eo die, declivi sole, etsi urgente valide proelium Hochstratano, res dilata est, propter imminentem noctem; quam utrimque, exiguo tantum colle distincti, in statione transegere. postero die incedere agmen Auriacus jubet. atque Albanus, quo tenderet ignarus, ordinata ocus acie, levem armaturam præmittit; quam cum omni peditatu Fridericus Toletanus sequebatur. extremo in agmine sex Germanicorum equitum turmas locat. inde leves armaturæ, colle occupato, unde in hostem despectus esset, captoque signo, pugnam inchoant. ac præmissis reliquis copiis, cum Germanicus equitatus appropinquaret; visum Chevereaulxio, sclopetariorum equitum duci, ut, quamvis absente adhuc peditatu, in postremum agmen invaderent; facili victoria, postquam hostis amne Getera separatus. sed consilium perquam utile dum Albanus, loci imperitia, differt, & exploratorem mittit, egregia occasio pœne elabatur. itaque Avila,

Avila, & Braccamontius, cum delectis mille ducentis, angustias occupare; Gaspar Roblesius, cum legione Belgica, hostem adoriri jubetur. Acri aliquamdiu pugna, tandem victor Albanus evadit, exigua suorum clade, ex Auriaci copiis supra duo millia cæsi. Lonnervalius captus, postea Bruxellis gladio percutitur. Post hanc stragem auxiliis Gallicis Auriacus se Iodoniæ jungit. ea erant ^{cio cio cio} pedites, ^{io} equites. quibus copiis non tam vires, quam annonæ penuria aucta. facta ac cum istis per Luxemburgensem agrum itinere, & direpto monasterio Andagiensi, incendioque Huberti fano, urbibus passim adversis, castra indies fere mutans, prælii occasionem frustra quærit. itaque comatus egens, & stipendii, cum ex ^{c c c} dalerorum ^{cio} vix ^{xii} accepisset, exorto tertium in Gallia bello civili, adungere se Condæo statuit, maxime Gallorum instinctu. id dum profequitur, ac Quenæum jam venisset, agro Cameracensi imminens, subsequente usque Albano, in eum conversus, profligatis decem Germanorum signis, octo autem Hispanorum, & levis quoque armaturæ turmis tribus, acceptam pridem cladem ulciscitur; inque eo conflictu Rodericus Lopesius, Sanchius Avila, & Franciscus Toletanus, vulnerati. Cæsar Avalus, interfectus. inde arcem Cameracensem aggressus est; quam egregie, etsi graviter consternatis oppidanis, Mollinius defendit. In Galliæ limite Cossæus erat, cum bis mille sclopetariis, & peditibus bis mille ducentis. ac, quamvis rex negotium dedisset, uti Auriacum Gallia arceret, tamen is, supra Quinctini fanum Somona transmissis, Sueffiones venit; & adventus sui causam per legatum, Fanellium Serium, regi exponit. qui prævertens, per Casparum Schombergium quærit, *quid in Galliam cum ingentibus adeo copiis advenisset. ac mirari vehementer, pro militia prisco more, non præmissum feciale. quod si, uti rumor ferret, in Germaniam transitum peteret, eum minime negaturum, modo ne pro hoste ageret.* ad hæc pridie Non. Decembris Auriacus respondet; *consilii sui certum pridem regem fecisse. neque vero tam recordem, aut rerum imperitum, esse; ut cum rege tam potente armis experiri velit. quin, si ita videremur, quantascunque duceret copias, pro ipso militaturas; cui honorem, & obsequium omne, offerret. sed eorum, qui ob puram religionem, quam amplexi, infestis plurimis, in exitio presentissimo versarentur, ut periculo subveniret, necessarium existimasse. itaque orare, ut, pro digna sua majestate clementia, misertus hominum, quibus summi Dei gloria, vitæ quies, & fidele in regem obsequium, in primis cara, promulgata semel edicta violari ne permetteret.* Rex Schombergio demandaverat, quo libentius copias Auriacus reducere vellet, ut stipendium militi offerret. isque, dum id sedulo agit, ductorum animis, quos novisset, exploratis, proposita rerum difficultate, ad defectionem multos clam sollicitat. ita ad expeditionem segnior paulatim miles; & aperta mox querela, *male duci, infesta anni tempestate, sine stipendio, adversus regem, quem injuria nulla obnoxium reddidisset.* cumque Auriacus porro instaret, ut Condæo se adungere maturarent, præfidenter pernegabant; & *se tantum contra Albanum auctoratos, obtendebant. præterea cur se, nulla omnino spe stipendii, perditum irent. quod cum exhibere haud posset, aliquot jam mensibus debitum, saltem patriam, è qua eduxerat, reddere vellet. unum id facile, rege nondum lacesito.* Hoc diffidio concitato, Schombergius recedit. at Auriacus, gravius discrimen metuens, si persisteret, concedendum tumultui ratus, in Germaniam iter vertit. ubi exauctoratis copiis, coacta è supellectile pecunia, ut prompta in posterum studia haberet, pro militia trium mensium equiti solvit. in reliquum stipendium principatum Arausiensem oppignorat, intra proximos ^{xii} annos liberandum. inde se Wolfgango Bavaro Bipontino, in Galliam eunti, cum ^{cio} ^{cc} equitibus jungit. Exauctoratos magnam partem aspera anni hiems confecit. reliqui aut Bipontino nomen dederunt, aut, in Galliam retrogressi, regi militarunt. Hic belli exitus dupliciter Auriaco infelix fuit. nam & Angliæ regina, Caleti recuperandi occasionem rata, consilia cum eo communicare, & opera uti, constituerat. sed, dum famulus legati, qui in aula regis erat, Cardinali Lotharingo literas ad ipsum prodit, isque responsum contrarium reddit, commutanda scriptione elapsum tempus hoc consilium

lium

lium penitus evertit. Igitur depulso hoste, securus Albanus, in hiberna militem dimittit. Romeri legio Bruxellis datur, & Machliniæ. Lodronii Antverpiæ, & Valentinianis. Alfonso Vllloa Graviam, Bertinium, Silvam Ducis, & Trajectum Mosæ accipit. Groningæ Caspar Roblesius Billius, Daventriæ Mondragonius imponitur: Bommeliæ, Ultrajecto, & Gorcomio, Sancius Lodonius. Tum ex arce Cameracensi, quo infecutus Auriacum erat, x Kal. Decembris Bruxellas literas ad Senatium mittit, reique gestæ seriem, ac successum, exponit. deinde regi, & principibus item cæteris. Belgis passim supplicationes mandat, occulto plurimorum dolore, etsi palam lætitiâ ostenderent. Item decursus ludicrus ordinatur; quo Haurechius cruce graviter sauciatus. Vbi procerum populique voluptati ista dedit, ad se ornandum animum vertit. igitur, tot victoriis clarus, gloriæ suæ apud posteros monumentum, per Iacobum Jongelingum in Antverpiensi arce statuam ponit, è tormentis, pridem ad Gemingam captis. ea forma, ac statura, ipsum referre; nudo capite, brachioque dextro inermi. cæterum corpus, armis indutum. sub pedibus calcabatur homo gemino capite, manibus quatuor; in quarum prima, fax accensa; in secunda, malleus fractus; tertia, clavam nodosam; quarta, securim tenebat. è collo ejus, appensa bulga; è qua serpentes proferpebant, subter larva conspiciebatur, ad cuius aures mendicorum gemina paropsis. inde scriptum, IUNGELINGI OPVS EX AERE CAPTIVO. inferius paullo, in lamina, topho innixa, FERDINANDO ALVAREZ A TOLEDO ALBÆ DVC. PHILIPPI II HISP. REGIS APVD BELGAS PRÆ-

FEC. QVOD EXSTINCTA SĒDITIONĒ REBELLIB. PVLSIS RELIGIONE PROCVRATA IVSTITIA CVLTA PROVINCIÆ PACEM FIRMARIT REGIS OPTIMI MINISTRO FIDELISS. POSITVM. Vniuersi operis altitudo pedes xv. Ab una parte, ara erat; inscripta, DEO PATRVM NOSTRORVM. ab altera, opilio spectabatur, ad pascua gregem educens: quem lupi, ac leones, fugerent. item aurora, noctis tenebras dispellens, cum inscriptione Græca, ΑΛΕΞΙΚΑΚΟΣ ΗΩΣ. Vtrisque, tanquam belli spolia, variæ armorum species cingere. in basi autem scriptum, PIETAS. Hujus statuæ invidia ingens apud plurimos; etiam Hispanos, qui deberi regi potius arbitrari: cujus armis, ac stipendio, omnia gesta. & de ea conjecturæ quoque variæ, prout animi quisque affectus. ac effigiem bicipitem, quæ subiecta, Egmundanum, Hornanumque, nuper cæsos, pars putare; alii Auriacum, & Nasfovium, Belgio exactos. erant, qui interpretari ordines Belgii, in nobilitatem & plebem distinctos; quos, erepta libertate, conculcabat. Arscotanus, vir liberrimæ in aula urbanitatis, & gratiosæ, cum Albano eam aliquando spectans, ac rogatus quid videretur, per risum illulisse dicitur; *eorum vultus, quos calcaret, iræ manifestos, si resurgerent, vindictam minari.* idque dictum oraculi instar multis habere visum fuit. & Antverpienses postea, recuperata libertate, opus istud confregerunt. alii memorant, à successore, Ludovico Requesensio, tolli jussum. Sub id tempus etiam Haurechius, suo vulnere, aut veneno, in vinum ejecto, diem obiit III Eid. Decembres; dolente Auriaco, rebus afflictis eripi virum, animi, & consilii, insignem.

I O A N N I S M E V R S I
 G V L I E L M I
 A V R I A C I
 L I B E R V.



Nitio anni cum Auriacus in Germaniam recessisset, cœu tranquilliore imperio usurus Albanus, nunc id tempus existimabat, cum obsequii faciliores Belgas habiturus esset. itaque passim exploratum quosdam mittit, si qui cum eo consilia contulissent, aut se turbis miscuissent. tum ut subditos in officio retineret, de variis passim arcibus agitat. & Amstelodamenses, non ferre id commerciorum rationem questi, florenorum ducentis milibus immunitatem redemerunt. Groningæ quoque, & Flissingæ, opus interceptum. alibi perfectum. inde episcopos, dato singulis administrandæ diœceseos præscripto, sedibus novis imponere aggressus est. Caroli Brimæi Megensis opera, qui Arenbergico in Frisia successerat, curia adjunctante, etsi Ordinibus repugnantibus, Cunerum Petri Leopardiæ constituit. qui, vel odio populi ingratus, vel impar dignitati, mox ludibrium publicum fuit. plus molestiæ Ioanni Cnivio Groningæ obtigit. sed is prudens, modicusque exercendæ potestatis, gratiam sibi conciliavit. monasteria duo, Wittewerum, & Adewartum, maxime adversa habuit. atque illud quidem mox Pontificis, & Albani, minis cessit, in ecclesiam cathedralem S. Martini mutatum. istud vero fortius restitit, opulentum admodum, neque impensæ ulli parcum. cumque episcopus luxum monachorum argueret, necessario corrigendum; & hoc potissimum telo pugnaret: rogatu ipsorum, abbatifque Clarocampii, venit, propulsandæ injuriæ, è Burgundia Morimontius, supremus ordinis Cisterciensis inspector, vir auctoritatis primariæ, & virtutis, ac doctrinæ, clarus. isque, ut præterita corrigeret, amoto abbate Arnaldo Lautzio, Arnoldum Kemningum, Muntii ad Amariam abbatem, administrum ordinat, qui defuncto mox successit. inde, ordinibus adjuvantibus, acriter se Cnivio opponens, tandem effecit, ut assignatis florenorum ^{VI} ^{CIO} annuis, contendere porro desisteret. Nec hic desuit cura Albani; & postquam de episcopis egisset, concilii Tridentini decreta ubique promulgare instituit; ac, quanquam interdum objecta difficultas, imminutis alibi provinciarum, urbium, aut monasteriorum, privilegiis; nemo tamen, metu ne à majorum religione descivisse videretur, se opponere ausus fuit. varia deinde edicta facit, urbesque præcipuas privilegia omnia sua consilio sanguinario exhibere jubet. tum interdicit, *ne quis Belga in extranea Academia, præter Romanam, aut professionem, aut studia, exerceret; neu notarii, actuarii, aut tabelliones aliqui, de rebus turbas præteritas spectantibus acta publica ulla scriberent. qui negligeret, is exilio sempiterno, & bonis omnibus, mulctaretur. uxores etiam, quæ maritos profugos secuta essent, ne redirent; nisi pœna subjacere ipsæ vellent, quam in eos constituerat, qui consilia miscuissent cum perduellibus, aut eorum necessitati subvenissent. copias quoque nullus scriberet; nisi regis, aut suo, permissu: & nec nomen miles daret, nisi mandati prius literas inspexisset.* tum ad pœnas se convertens, passim captos, aqua, igne, cruce, aut gladio, varie puniendos tradit. tam ingenti populi terrore, ut, dilapsis fere omnibus, brevi tempore vastum pene, ac desertum, Belgium fieret; & opificia antea multo frequentissima, aliorum transferrentur. profugorum plurimos Britannia excepit; ob communem sacrorum cultum, libertatemque conscientiarum, gratum hospitium: & Oceano interjecto, ac favore Elizabethæ, tutum omnino adversus vim Albani perfugium. hi, cum Belgii jactura, in Anglos hospites varium lanæ

CIO IO
 LXIX.

lanæ artificium transtulerunt; tanto numero, uti urbes, paullo ante infrequentes, & collapsas, restaurarent. in quibus Norvica, Sanduica, Colchestria, Maidfconna, Hamptona, & aliæ: sic ducentis ante annis, nimia inundatione in eandem insulam acti, ejus incolas, agri tantum, & pecoris, gnaros, pannos texere docuerunt. Porro Albanus passim delegatos mittit, qui deposcerent ad supplicium absentes reos, & à magistratu loci opem quærent; quam nonnulli, offensæ timidi, præstiterunt. alii, quibus paulo plus cordis, privilegia obtinentes, se difficiles præbuere. Inter cæteros id mandatum Arnoldo Sasboutio, curiæ Hollandicæ senatori ordinario. ac cum exequi Leidæ vellet, & senatus deliberasset, magistratus recusavit; indecorum arbitratus, alieni iudicii ministrum videri. idque Sasboutio repræsentans, privilegia bina ostendit, capitali sententiæ alibi latæ, & honorum publicationi, contraria: unum, datum à Gulielmo, Hollandiæ comite, anno C10 CCC XV: alterum vero à Ioanne, Brabantia Duce, anno C10 CCCC XVIII. prius illud *soli iudici urbano sententiæ in cives suos ferendæ jus* permittit: alterum statuit, *ne quis civis, vel gravissimi criminis reus, plus florenis LX mulctaretur. insuper veterem consuetudinem allegare, ne quem, nisi criminis sui manifestum, morte afficerent; nisi reum extra vincula, & tormenta, consistentem nacti essent.* sic Sasboutium dimittunt. Albanus tamen, sine ullo privilegiorum respectu, in captivos quosque grassari; adeo contra jus fasque nitens, ut, tutelam si dedisset, iudicemve ordinarium, multi facile causam obtenturi fuerint. Vnum memoriæ posteritatis est tradendum. quidam Bruxellis captivus, ob commune temporis crimen, indicta causa, nec à iudice condemnatus, juris contemptu, an errore, cum cæteris ad supplicium ducitur. postea autem, cum disquireretur crimen, ac sistendus reus foret, non duntaxat interfectum, sed & nulli culpæ affinem, comperiuntur. quam ob rem perculsis iudicibus, ut firmaret animum Vergas, *nil omnino esse, inquit, cur tantopere angerentur; innocentiam animæ viri profuturam.* Groningæ, debellato Nassovio, quatuor Germanorum signa in præsidio

ab Albano discedente posita erant. ea cum superbe agerent, ad querelam magistratus mense Februario Billius permutare illa iussus, sex Gallorum introducit; minus quidem populo invisa, sed quæ gravius tamen incumberent, imperatis in septimanam C10 CC florenis: quorum tamen necessitatem mox Ordinibus Ommelandiæ imposuit. consules quoque, ac senatum urbanum omnem, magistratu abire vetitum, annos octo continuavit; fabis nigris albisque ereptis, quibus uti in electione soliti. Postea in Frisiam Occidentalem mittitur Carolus Quarræus, curiæ Brabanticæ affessor, de turbis proximis quæsiturus, & in obnoxios animadversurus. ibique dato regio cognitori negotio, Groningam profectus, Albani mandatum magistratui exponit, dari sibi collegam postulans, ne imprudens contra privilegia loci quicquam faceret, aut despectos ipsi se existimarent. Datur munus Ioachimo Vbbenæ, consuli, satis præter animi sententiam, tam præfenti civium odio. & initio, cum quibusdam operis suis, Ioannes Barnenda, urbis fabricensis, capitur. qui Franciscanorum templum magistratus pridem jussu purgaturus, collifarum imaginum reliquias inde sustulerat. id crimen capitale erat. quod quantumvis publica auctoritate commissum, poena tamen à ministris exigenda videbatur, cum invidiam magistratus declinaret. qui industrie, futuri providus, mercedis causam inter urbis rationes dissimulare quæstorem jusserat. id Barnenda ubi mox compertum habet, effracto carcere, cum duobus criminis fociis, periculum evadit. alii, varie divexati, & per tormenta culpam fassi, gladio feriuntur. ea re ingens populi odium magistratus concitavit, cunctis æque indignantibus, *quod imperia ipse sua, & civium obsequium, præter se punitum iret.* & auxere viduarum, ac pupillorum, assidua lamenta; quibus minuendis, ceu commiseratus esset, ex ærario alimenta clam assignat. Quarræus, diligens mandatorum, profugis diem dicere pergit; & nisi intra tres septimanas præfentes se Albano excusent, vita pariter, fortunisque, exuendos. in his plurimi à primaria ejus loci nobilitate. qui conati privilegiis se tueri, per quæ *extra pomerium quenquam, aut*

territorium, evocare non licebat; literis scriptis magistratum exhortantur, operam apud Albanum daret, ut eorum ratio quaedam haberetur. sed cum ille, offensæ metu, segnius publicæ libertatis causam ageret, per libellum ab Albano patriæ leges, iudicemque ordinarium, supplices petunt. ad quæ ille respondere; se presentibus jus dicturum; si emanent, seu in contumaces statim actum iri. ergo iterum citati, ubi nemo compareret, tanquam perduelles forent, ipsi pœnæ capitali, bona fisco addicuntur. Igitur vim manifestam ad Cæsarem, & Germaniæ principes, deferre placuit; quando vetus imperii membrum provincia esset, ejusque tutelæ adhuc nuper à Carolo V commendata, anno seculi XLVIII. verum neq; id successit. Cum Quarreus discessisset, statim Roblesius ad arcem instaurandam animum vertit; quæ superiore anno à Vitellio, & Paciotto, ita designata erat, ut è propugnaculis quinque, in finitimos Tubantes tria, in urbem duo obverterentur. circum autem fossa, centum pedes lata, duceretur. sed, deficiente impensa, rursus opus intermissum. Hoc in Belgio rerum statu, Bipontino, in Galliam paranti, cum fratre utroque, Ludovico & Henrico, comitem se Auriacus jungit. idq; Albanus non ignarus, ut obstringeret sibi regem, suppetias ei Petrum Ernestum Mansfeldium mittit, cum II equitum millibus, peditum signis XXV. Sub id tempus, III Eid. Febr. egregio inter tot probra justitiæ exemplo, Ioannem Grovelsum Spellæum, summum rerum criminalium administrum, concussionum reum, in furcam agit. cui aliquando, extrema quæq; comminanti, Gemma Frisius, studiorum valde clarus, exitum vitæ hunc prædixerat. Pontifex Romanus, Pius V, virtutis collaudandæ, Albano enses inauratum, & galearum gemmis ornatum, rite consecratum, mittit; non nisi ab episcopi cujusdam manu, post peractos sacrorum ritus, accipiendum. adferebat munus tam insigne Carolus Ebulus Neapolitanus, oblatumque exquisita ceremoniam in manum tradidit Archiepiscopus Machliniensis. ac honorem læta Albanus ludis, spectaculisq; publicis, est testatus. Non ita pridem, firma, ut videbatur, Belgii pace, ab Anglia tur-

bas Elizabetha dederat. navis è Cantabria una, & minores aliæ quatuor, merces pretiosas multas, ac pecuniæ vim ingentem, advehebant. cumq; has piratæ Galli persequerentur, in Angliæ portus confugerunt. & neque illic tuti nautæ, incumbentibus etiam Gallis, ac discessum observantibus, legato Hispanico, Gerardo Espesio, periculum suum exponunt. isque statim reginam accedens, rem narrare; in illis navibus exercitus Belgici stipendium esse, Albano tunc pernecessarium. & orare, in suis portibus ut periculum prohiberet; deinde commeatum daret Antverpiam usque, aut vectoribus arma saltem indulgeret. nec gravate, æquitatis, & amicitiae tuendæ, constans princeps postulatis acquiescere. sed responso, dum Albano nuncium mandat, tardiore, à Cardinali Castellionæo edocta, mercatorum Genuensium, non Philippi, pecuniam esse; cui Albanus, solvendis stipendiis, manum injicere statuisset; ipsa prævertit, suosque in usus educere jubet; ac Londinum, in ærarium, citis quinquaginta novem clausa, deferre. ea ducenta aureorum millia excedebat. Vbi factum Espesius legatus intellexit, graviter de injuria questus, à regina responsum refert; in Philippi gratiam factum, ut rapinam imminentium tunc Gallorum prohiberet. quando autem compertum haberet, mercatorum Genuensium, non regis sui, pecuniam esse; extenuato valde ærario, salva dominorum gratia, honesta usura mutuam sumere decrevisse. idq; jus principibus semper usitatum. ita dimissus, ocius rem Albano nuntiat. is iræ præceps, ut fortuna fere excelsa juxta, & læta, offensæ facilis, non dissimulandam injuriam regis sui arbitratus, nec consultis prius Ordinibus, nec considerato discrimine commerciorum, sine quibus opes Belgii non constarent, comprehensos per provincias mercatores omnes Anglos in domo publica Antverpiæ sub custodia habet, bona describit, & deinde hastæ subjicit. idem à rege in Hispania decretum. vicissim in Anglia Elizabetha, ut indemnes suos faceret, Belgas quoscunq; retinere, bonaq; sequestrare, permittit. inde jure à se factum, scripto edicit; cui Espesius, se perstrictum in eo sentiens, aliud opponit. inde in Hispaniam ablegat, de Alba-

ni qui injuria conqueratur. *causam omnino nullam esse, cur in Belgio regni sui mercatores, aut eorum facultates, attinerentur. se quidem id pecunia fecisse, quam Hispanicæ naves advexerant, in suos portus à piratis Gallis actæ. eam autem Genuensibus, ad quos pertinere crederet, post aliquot menses cum usura reddituram. nam ut in ullam regis pecuniam manus injiceret, nunquam in mentem venisse; & legato quoque ejus, ut æquum erat, declarasse. adeo tamen humanitatis, veterisque amicitie, oblitum Albanum, ut Anglos suos adeo proterve invaderet. quod si ille hanc pecuniam exhiberi omnino vellet, quamvis Genuensium propriam, tamen illico facturam; dum suos modo in Belgio subjectos, bonis omnibus restituitis, Albanus dimittat; & amicitiam, integris utrinque commerciis, rectius deinceps colat.* interea Albanus, erroris poenitens, cum, translatis Hamburgum commerciis, nihil Anglis, plurimum Belgis noceri videret; ad reginam Christophorum Affonvillium mittit. quem illa, sine mandato regis, admittere nolens, neque ut legatum habens, contemptim ad Senatum rejecit. cumque indignum id is censeret, irritus legationis, domum rediit. ea re irritior Albanus, pridie Kal. Apriles edicit, *ne quis, donec aliter cautum, ulla cum Anglis commercia habeat: naves quoque, nisi armatae, Oceano abstinerent.* delinquentibus poenam addit, publicationem bonorum. &, ut ratum edictum foret, delatores etiam statuit; quis è bonis publicatis pars dimidia proemium foret. verum munus odiosum, præter exules quosdam Anglos, nemo ferre adire voluit. inter hos erat Ioannes Storius, jureconsultus, sub Maria inquisitoris officio functus; homo egenus, &, mutata religione, odio in suos præceps. datusque vicarius, Gulielmus Parkerus; qui mox certa gratiæ spe, dominum prodidit. quippe in navem introductum, mercibus Anglicanis onustam, dum explorat, nullo fraudis alicujus metu, magister navis, Cornelius Eickenus, egregio pro patria facinore, expansis velis in Angliam avectum reginæ sistit; ubi, fracta laqueo gula, tanquam patriæ suæ hostis, pro sperato ingenti præmio poenam invenit. Albanus ad diem XIII Kal. Majas convocatos Bruxellas Ordines hac oratione compellat. *nescium nulli, ideo se à rege missum, ut pro-*

vinciarum motum componeret, ac quietem deinceps certam constitueret. hac de causa, simul temp. attigisset, in auctores turbarum inquisitos animadvertisse. ac maturius illud factum voluisse, ut regi suo satisfaceret, & gratiam cæteris conciliaret, quorum illi simplicitatem circumvenissent. sed præclarum hoc consilium homines seditiones perturbasse, quorum arma ut propulsaret, maximam anni partem sub pellibus egisse. quando vero consideraret, plurimum illos in mutata religione momenti posuisse, quam plerumque ingens populi insolentia, & contemptus magistratum, sequeretur: ideoque contra leges, per quas antea resp. tranquilla, nefaria consilia agitasse; nihil ipsum prius habuisse, quam ut ex mandato regis reddita quamprimum antiqua religione, leges quoque, ac statuta, restitueret. idque etiam præstitisse, ab episcopis, & cæteris sacrorum præsulibus, adjutum egregie. quam in rem cum rex, impensæ nulli parcus, ararium graviter attrivisset, deinceps ipsi providerent, ne deessent paci publicæ, ac subsidia necessaria destinarent. multa cohortibus ordinariis, & reliquo militi, stipendia restare. locorum communitiones, militarem annonam, & tormenta bellica, magnam pecuniæ vim exigere. plurimum esse, quod mercatoribus deberetur. nihil in casum præsto esse. perpendisse diligenter, quibus subsidiis usa quondam resp. fuisset; nec convenientius quicquam, justiusve, deprehendisse, quam quod suo in provincias has adventu rex Ordinibus proposuisset. id quia haud intellectum minus processisset, nunc operam dedisse, ne quis, veluti ambiguum nimis, aut obscurum, detrectare merito posset. quamobrem placere, ut rerum mobilia, quotiescunque venum irent, decimam; quæ soli essent, vicesimam penderent: utraque autem indistincte semel centesimam exhiberent. &, quo singula commode fierent, modum præscripsit. Ea petitio Ordinibus permolesta accidit: & grave alii, divitias suas; alii probrosum putare, paupertatem profiteri. universis invisa exactio. tamen centesimam à plerisque metus expressit; quam mox Gelri, Frisique, redemerunt. in decima vero, & vicesima, cur non item acquiescerent, causas, libello comprehensas, repræsentarunt. ac communis fere omnium querela fuit, commercia interverti, potissimum reip. nervum. seorsim etiam Brabantii, Hollandi, Zelandique, sibi gravissimam decimam questi, cum ob hanc rem reli-

quamque

quamque piscium capturam; tum propter salem, vinum, pannique texturam; & merces, Balthico mari advehi solitas. quin tributum potius annum postularet, quamvis supra veterem modum, pro fide in regem, & obsequio, libentius solvendum. quod vicesimam attineret, eam plane ferri non posse. quippe usu saepe venturum, uti ob eundem agrum, domumve, intra annum vertentem sexies centesima solveretur. Harum rationum Albanus, animi obstinatus, nullam admittens, decimam, & vicesimam, urgere non destitit. non certum sibi remp. pessundare, sed felicitatem ejus firmam, stabilemque, reddere. ea de causa indulgere, ut onera sua per libellos testarentur, benigne deinde arbitranda. inpraesens vero velle regem, uti postulata concedant; si recusent, aut cunctentur, aliud quicquam tentaturum. nihil esse, cur ita grave existimarent. in Hispania usitatum, ubi una sua Alba annis singulis quinquaginta aureorum millia redderet. Provincialium causam prudenti moderatione Viglius praeses ita tuebatur, uti nec obnixi sese viro propositi rigido opponeret; considerandum diversum regionum statum. Hispaniam, late diffusam, agri cultu, & feracitate soli, aestimari: in limite nullos vicinos; montibus tantum, & mari, terminari. Belgium contra angustum esse, pannificioque, ac commerciis, censeri: deinde pluribus populis circumfundi; ad quos ea, si tributis onerentur, commigrarent. id prudenter Philippum Burgundum, Belgicae felicitatis auctorem, praevidisse. eoque diligenter cavisse, ut portoria, ac tributa, levia essent, vilisque annona. & externis mercatoribus hac de causa privilegia indulgisse. nunc, si contra ipse nitatur, arceri peregrinos, expelli indigenas, ac commercia interverti. si exstruere arces vellet, ararii rationem haberet: neque adeo necessarium, novas fieri; quam, quae olim in limite fuissent, reparari. nunquam tributa provinciales continuasse; tantum rogas, quas appellant, concessisse: quales vel requirerent principes, vel facultates suae ferrent. quis in pace, nimia exactione, nulla in aliquem belli casum subsidia relinquere, nullo modo expedire. subventum agricolis vellet, ne propterea mercatores oppressum iret. porro de redditibus Albae, ut longe maximis, ita plurimum gratulari. ita Ordines, amplius deliberaturi, in provincias quisque suas retrocedunt. interrim, datis ad praefides literis, instare propo-

sito singulos jubet. se quidem ea moderatione usurum, qua in objectis difficultatibus equum esset. id in sua manu situm. & vel omnia omittere posse, si commerciorum ratio flagitaret. nonnullis quoque interminari, nisi concederent, vim adhibiturum. atque regi sic videri. motibus nuperis obnoxios esse, hancque culpam prompto nunc obsequio luendam. Hannonios, Atrebates, ac Namurcenses, ejus noxae immunes, ut exemplum ipsi caeteris darent, blanditiis, & promissis ingentibus, impellere clam tentavit. reliquis praefidiorum metum injecit, idcirco territi nonnulli, ut evaderent iram ejus, & tot militum imminentem insolentiam, quibus animus per stipendia debita ferox, & occasio tantum praedae quaerebatur, ea lege tributum promittunt, si provinciae quoque caeterae id exhibeant. orant praeterea, ut expensis querele momentis, clementer statuatur, quod publice utile sit futurum. Hollandiae nobilitas, & primaria urbs, Dordracum, prima assenserat; cui mox reliquae civitates accesserunt. tantum initio recusare Amstelodamum; & seorsim causas suas allegare: subscripturum nihilominus, si ab aliis acquiesceretur. major vero difficultas apud Ultrajectinos fuit. ii Albano responsum mittunt; serio omnia petitionis suae membra expendisse, neque modum invenire potuisse, quo satisfacerent. exiguam admodum provinciam esse; e qua, ubi quam latissima, duabus horis exire liceat. mediam partem ingenio loci sterilem valde, alteram vix cum magna impensa fructum ferre. proximis xl annis, quibus in Caroli Quinti potestatem transisset, praeter alia quoque tributa, aes alienum centum florenorum millia contraxisse; cujus usura etiamnum premerentur. insuper praeteritis turbis valde afflictos in tutelam cogere militem debuisse, cujus stipendio exhaustum ararium. inde desertam civibus urbem, & commercia imminuta, ne in pace quidem frequentia. agrum etiam subjectum, in transitum copiarum apertum, amicisque pariter & hostibus expositum, fortunis plurimos evertisse. huc accedere maxima agricultura incommoda; exesa passim a muribus sata, aut aggeribus ruptis mersa: ac mortalitatem pecoris. nunc si tributum intolerabile porro flagitet, publicam paupertatem fore. olim regem Philippum, florentissima adhuc provincia, cum centesimam rebus

soli, mercibus autem quinquagesimam indixisset, intellecta territorii angustia, & tributi ordinarii gravitate, tantum xxviii florenorum CICID in octennium distributa, imperasse. ac sperare, indulgentiam tam laudatam sibi hoc tempore in exemplum propositurum. quia tamen, adfectu in Belgium, quietem ejus, ac religionem arvitam, maximis omnino impensis conservasset, ut agnoscere beneficium viderentur, septuaginta duo millia florenorum in sexennium proximum offerre; ita tamen, ut duodecim, jam expensa c florenorum CICID, ut obsequium fidemque in regem tueri liceret: quam ut porro testarentur, concedere paratos, quantum nulli principum suorum unquam fecissent. ea propter, praeter xii illa CICID qua solvissent, alia adhuc c offerre, sexennio proximo persolvenda. sed cum vir propositi rigidus, ne sic quidem placatus, nisi parerent, datam à rege potestatem, & arma, non obscure minaretur, tertium deprecatores mittunt. eam sibi spem fuisse, ut honestam orationem obtinerent, praesertim tam ingenti pecunia; quam, obsequii in regem primum, nunquam antea concessam, in summa ararii necessitate, decrevissent. supra illam nihil posse. seorsim etiam quinque collegiorum praefules repraesentabant, suorum bona, sine summi pontificis consensu, sub commercio laicorum nullo modo comprehendendi. & in bulla de caena domini, eos qui tributa permittunt, non minus quam ipsos exactores, usu sacrorum prohiberi. item proximo cum Carolo V tractatu, quando jus in illum rerum temporalium transferretur, à tributis gravioribus expresso pacto immunes habitos. nequaquam ignaros, datum regi à pontifice, ut dimidiam bonorum partem ditionum suarum ecclesiis imperaret. quae res quando gravius ipsos, quam secularium quendam premeret, enixe injuriam manifestam deprecari. Aegerrime hanc exceptionem Albanus tulit, & bullae ejus allegationem; quam de oppressoribus loqui inquebat, non de veris ecclesiae patronis, inter quos locum sibi minime postremum deberi. inde, accito Antverpia typographo, cum Senatu permittente, excusam intellige-

ret, graviter illi succensere, moxque certior, factum negligentia Torraei; prius eum aliquamdiu in publicum prodire vetat, deinde in annum munere femovet. Ut autem Ultrajectinos cogeret, quorum exemplo alii quoque jam recusabant, legionem Longobardicam illuc mittit; in qua x Hispanorum signa erant: quis promiscue, nullo ordinis ullius respectu, hospitia sua cives darent. neque excusaretur quisquam, praeter episcopum, templi Martiniani Decanum, & Wyckerflotium, ad Mariam Canonicum; cujus frater regi à cubiculo erat. Eorum effrenis insolentia eo gravior civibus incubuit, quia, si non mandatum Albani, certe destinatio fuerat; idque illis minime ambiguum impunitas flagitiorum magis prodidit. sed immite consilium constanti patientia fregerunt; & extremo Novembri, cum praesidii angustiam ipse miles quereretur, signa duo Amersfortiam sunt translata. quia vero gravem omnibus decimam, & vicesimam, videret; ut invisita nomina mutaret, differre propositum velle ostendit; si pro iis universim in annos singulos sex sequentes vicies centena CICID promitterent, initio facto à die x Kalend. Septembris, quo vicesimam, decimamque concessissent. insuper, cum tantilla pecunia sumptibus vix sustentura videretur, post sexennium, altera centesima arario subvenirent. huic rei deliberandae mensam dedit. & initio aequior quibusdam visa fuit; sed expediendiaratio, gravi pridem aere alieno, perdifficilis censebatur. alii opinari, temere consensus dici, quamdiu Ultrajectini detrectarent; cum non aliter promississent, quam si omnes acquiescerent. erant etiam, qui vicesimam, decimamque, leviolem existimarent, per tot profugos, & dissidium Anglicanum, detritis vehementer commerciis. nonnulli privatim amplius rato abs se exigerebantur. quippe olim institutum, ut pecuniae, à principibus rogatae, Flandria trientem solveret, Brabantia quadrantem; Hollandia Flandrici tributi quadrantem; Artesia, Hannonia, ac caetera provincia, sextantem singula penderent. quibus temporibus bellum contra Galliam gestum, placuisse, ut limitanea tributi expertes haberentur: nunc pacatis, valde iniquum, ut Flandria trientis necessitas, Brabantiae quadrantis

drantis maneat. rectius tributum omnibus legitimum distinctum iri. contra Artesii, Hannonii, Insulani, Duaceni, Orchienfes, ac Namurcenses contendebant, à majorum instituto nil omnino recedendum. His diffidiis difficilior rerum status, ac provinciarum diversa studia novas postea turbas dederunt. quin augente Albani odio, plurimi mutationem exoptabant; etiam illi, qui majorum religionem sequebantur. publica passim querela erat, & perpetuæ servitutis ingens metus. ac plerique ita sibi persuadere; *post decennium bonis omnibus evolutos, nondum tamen à tributo iniquissimo liberos fore.* angebat magis, quod, suspecta cujusque conscientia, curas animo occultare, nusquam profiteri ausi, cogebantur. quippe empti delatores, qui colloquiis sese hominum inferentes, innoxia sæpe verba proderent. In tam justa populi querela, aut occulta indignatione, deploratas Belgii res ad Auriacum defert Paulus Buius, tunc Leidensis urbis syndicus, post Hollandiæ advocatus; qui aliis ab Hollandiæ Ordinibus Bruxellas legatis collega datus, cum redirent domum cæteri, simulato Antverpiæ negotio, & quibusdam aliis locis, clam Dillemburgum diu noctuq; iter festinat; ibiq; Auriacum allocutus, iniquam Albani pertinaciam, & Belgarum communem offensam, multis exponit. inde biduo quam venerat discedens, suosq; quantocius subsecutus, non multo tardius in Hollandiam redit. atq; ex eo tempore crebra illi cum Swetano, ac Callagio, consilia; & occulta nonnunquam in Albinianis, ubi ædes Callagius habebat, colloquia fuerunt. ex orientis diffidii famâ ingens profugis spes affulsit, brevi fore, ut, mutatis rebus, patriæ, ac fortunis, redderentur. Auriacus vero, nova de Belgio liberando consilia agitans, omnia rerum momenta expendit, prioris propositi fortunam correcturus. & ut certior successus esset, cunctandum aliquantis per ratur, interim Lancelotum Brederodium, Veenhusium, Albertum Egmundum Meresteinium, Adrianum Menningum, Bartholemæum Entesium, Embisium, Ruichaverium, aliosque, naves bellicas parare jubet; classemque universam Adrianus Bergesius Olhanus

duceret. qui, dum mare passim infestat, tempestate in Flevum actus, naves prius sexaginta, quæ è Dania, Sueciaque, adveniebant; mox alias XL aggressus, expugnavit: mercibusque direptis, terrore ingenti commercia concussit. eadem aliis quoque mandata. insuper ipse, nullius laboris parcus, passim omnes, quos causæ suæ favere crederet, orat, atq; obsecrat; *oppressam graviter libertatem provinciarum ne desererent.* per literas quoque ubivis locorum profugos hortatur; *tam egregiam voluntatem ut pecunia adjuvarent, sine qua frustra quicquam tentari, nec patriam liberari posse.* In hoc proposito præclaram illi operam dabant Didericus Sonoius, Albertus Vchtenbroucquius, Adrianus Swetanus, Iacobus Wesenbecius, Ioannes Bafius, Reinerus Cantius, alique. quin ut tuto commutare literas possent, inventæ arcanorum notæ; quæ neque interceptæ consilia proderent. Elizabetha, Angliæ regina, *Henricus Philippi* dicebatur. Daniæ rex, *Petrus Petri.* Navarræ, *Antonius Iacobi.* Ferdinandus Albanus, *Paulus Abblasius.* Gulielmus Auriacus, *Martinus Gulielmi.* Megenfis, *Vultur.* Didericus Sonoius, *Daniel Santenus;* aut, *Nathanael Calcariensis.* Albertus Vchtenbroucquius, *Adolphus Sonnius.* Drunæus, *Gerardus Trajectinus.* Dein uribus quoque, ac provinciis, novata nomina; & appellata Hollandia, *Aes. Enchusa, Triton.* Horna, *Pollux.* Medemlacum, *Castor.* Alcmaria, *Pluto.* Amstelodamum, *Saturnus.* Edamum, *Hercules.* Monachodamum, *Rhadamanthus.* Brila, *Vulcanus.* Ager Vornensis, *Aeacus.* Delphi, *Apollo.* Haga, *Iupiter.* Leida, *Mercurius.* Woerda, *Satyrus.* Dordracum, *Ianus.* Gouda, *Mars.* Roterodamum, *Aeolus.* Delfshavia, *Achelous.* Muda, *Phæbus.* Flevus, *Titan.* Texela, *Boreas.* Ultrajectum, *Proserpina.* Durostadium, *Thetis.* Gelria, *Chalybs.* Transiselania, *Stannum.* Bommelia, *Ida.* Daventria, *Venus.* Zutphania, *Ariadne.* Campi, *Iuno.* Zwolla, *Pallas.* Arnhemium, *Io.* Noviomagum, *Ino.* Groninga, *Astræa.* Embda, *Brunsvicum.* Hamburgum, *Hedelburgum.* Dillemburgum, *Dantiscum.* Wesalia, *Hafnia.* Ac hæc XII Zodiaci signa totidem anni menses erant; dies gradus nuncupabantur. Albanus interea, graviter Ultrajectinis succensens, quorum pertinaciam

ciam provinciis aliis exemplo esse ægerri-
me ferebat, cum insolenti valde præsi-
dio assensum extorquere frustra sperasset,
medio Decembri ad causam dicendam
coram Senatu adesse jubet. id cum con-
stanter aliquoties fecissent, multorum
precibus, qui gratia in aula, & auctori-
tate valebant, offensam mitigare conan-
tur. insuper ad centena millia, quæ obtu-
lerant, alia quinquaginta addunt. sed ille,
neque sic placatus, sine exceptione pa-
rere iustos, *etiam ante actorum veniam suppli-
ces postulare voluit, & arbitrium expectare.
aliter nec jus remissurum, nec præstidia deductu-
rum.* quod ubi ipsis intellectum, etsi judi-
cum haud occulta iniquitate, patientiæ
obstinati, *jure porro experiri; neque, inte-
gra conscientia, infamiam tantam in se, suos-
que, admittere statuunt.* In cæteris provin-
ciis id effecerat, ut è vicies centenis C10,
in biennium proximum dandis, singulæ
partem ratam promitterent. paucis ali-
quot, quæ Philippi dominatum pridem ac-
ceperat, permessa redemptio, ac Gelri qui-
dem, quingenta quinquaginta C10; Frisii,
CXXV111; Transiselandi & Tubantes, XCIV;
Groningenses, LX; distincta in certos an-
nos penderent. Linganis decem C10 da-
lerorum imperata. per hæc annus exspi-
ravit. Indies vero crescente in Albanum
odio, vix ultra obscurus adfectus erat; &
clam agitari plurima, palam per occasio-
nem mox tentanda. sed Auriacus, explo-
rato, pridem per ærarii inopiam se confi-
lii frustra fuisse; quosdam etiam parum
fidei constantes: qui, simul in Belgium
cum exercitu advenisset, urbes se aliquot
tradituros, aut auxilio adfuturos, promisi-
sent; iterum incerta casuum experiri haud
consultum arbitratus, symbolam prius
ubiq; rogare; mensibus singulis, & septi-
manis, colligendam: etiam in ipsis Alba-
ni provinciis, ubi terrore cuncta oppleta.
A Sonoio iussi hanc operam concionato-
res quidam præstare, qui ignoti per Hol-
landiam, & Ultrajectinum agrum, versa-
bantur; & occultis domiciliis apud reli-
gionis suæ socios usi, vim pecuniæ satis
magnam corradebant. quippe in commu-
ni negotio, vindicandis conscientiis, pa-
triæq; libertati, instituto, nulli magis effi-
caces: cum homines forte haud indiferti,

si non eloquentia sua, at pietate, facile ani-
mos commoverent. & fuerunt, qui, affe-
ctu in Auriacum, patriamque, se quoque
ipsos, sanguinemq; suum, offerrent. Idem
mandatum Leidæ acceperat Petrus Adri-
anus Wervius, & cum eo Georgius Epo;
qui cum illic, tum Dordraci, Roteroda-
mi, Delphis, Hagæ, alibique, symbolam
non contemnendam impetrarunt. In Fri-
sia è selecta nobilitate, Petrus & Asinga
Ripperdæ, ac Pompejus Vfkenfius, ad di-
em Kal. Febr. Sonoio nuntiant, *nulli se an-
tea fæderi obnoxios; neque quemquam, uti
esset, petiisse: tamen bonis spoliatos, ceu commu-
nes noxæ forent. itaque patriæ suæ ergo, & liber-
tatis, deinceps, ad vim propulsandam, Auriaco
auxilia ferre certos. quæ tametsi nulla ipsis tunc
in promptu, in proximam tamen Pentecosten
sclopos trecentos parare velle.* Interim ad rem-
pub. ordinandam Albanus fertur, ac Dor-
draci monetæ præfectum, aliumque, adul-
terandæ administrum, in carcerem conji-
cit. & illi quidem, poena capitalis indicta;
huic, ob imprudentiam ætatis, multorum
interventu, gratia facta. utque porro frau-
dem prohiberet, Id. Martiis edicto ca-
vet, *ne moneta quis argentea qualicumque ute-
retur, nisi quæ Philippo auctore cusa, aut signa-
ta esset.* Res utilissima publice visa, magis
privatim ipsi quæstuosa. Inde ad religio-
nem animum advertens, *libris vetitis plane
abstinere jubet; & Theologis Academiæ
Lovaniensis dat negotium. ut, notatis au-
ctorum locis, quæ majorum pietatem lederent,
indicem facerent;* editum postea, hac cauti-
one, *ne in eo, sine præfecti, aut senatus, aucto-
ritate, quisquam aliquid mutaret.* Additur
curæ isti Arias Montanus, vir egregia li-
terarum fama; qui, mandata à Philippo
Bibliorum editione, recens ex Hispania
advenerat. Tum typographis quoque, &
ludi literarii magistris, leges præscribit.
Cameraci, & Machliniæ, synodos habet;
in quibus episcopi multa decrevere, se-
cundum concilii Tridentini statuta: à qui-
bus discedere quenquam, fas non esset.
item de judiciis criminalibus multa con-
stituit, in speciem non iniqua; quæ nullo
privilegiorum, legum, immunitatum, aut
consuetudinum, respectu, tantisper obser-
varentur, donec de iis, scripto repræsenta-
tis, plenius cognovisset. formulam quoque
sacra-

sacramenti proponit, iis sequendam, qui ad iudicium officium, aut aliud aliquod munus publicum, promoverentur. Per hoc tempus, cum comitia Spiræ Nemetum Maximilianus haberet, profugi Belgæ, communicato cum Auriaco consilio, de vi, & oppressione, Albani conquerentes, Cæsarem, atque Imperii principes, supplices orant, *ut suo nomine apud Philippum intercederent.* idem Culemburgensis, Bergensis, Hornana, & Batemburgicus, fecerunt; debitum Imperii clientibus patrocinium implorantes. ac faventes è principibus multos sane habuerunt; qui & causam adjutare, & orare etiam Cæsarem; *quando pars imperii Belgium esset, misertus erumnarum, pacem religionis, qua Germania frueretur, ipsis quoque procuraret. jam semel apud Philippum egisse, nec propositum tam laudabile destitueret. pergeret pacis istud studium præ se ferre; ac suaderet porro regi, ne vim ullam conscientis in negotio fidei faceret: neve vita, ac fortunis, subditos supplices everteret.* Et inclinabat in rem æquam Maximilianus; cum legati ab Albano, & Catholicæ religionis reliqui principes, optimum Cæsarem in contraria omnia agerent; *licere regi, in rebelles pro arbitrio animadvertere: neque hanc curam ad Imperium pertinere.* Tunc sententia in Ultrajectinos lata; qua suffragium in comitiis clero iuxta, ac nobilitati ereptum. magistratui urbano, aliisque civitatibus tertii ordinis, etiam privilegia omnia. qui, hoc quasi fulmine percussi, ad regem provocant, idque Albani iram accendit. Igitur deprecatum mittunt in Hispaniam Gulielmum Veuselium, ad D. Petri Decanum, antiqua pietate, & præstanti eruditione, virum; quamvis periculosa legatio crederetur, recenti exitio cum Montinii, tum Bergensis, aliorumque. isque cordate factam ab Albano injuriam regi supplex repræsentat, sed Albanus, sprete provocatione, per literas Ultrajectinis nuntiat; *etsi post sententiam latam, omnium in provincia munerum penes regem potestas esset; tamen singulis magistratuum prorogare, donec aliter factò opus videretur. interim providerent sedulo, ne quid in jure dicendo, aut civibus regendis, resp. detrimenti caperet.* tum provinciæ quoque præsidem, ac senatum, comitia deinceps ulla habere, aut

*ordinum munere defungi, vetat; Franciscum Bothium, ærarii quæstorem, rationes publicas Bruxellas transmittere, pecunias vero fisci quæstori tradere jubet. Hujus quoque rei certio rem regem faciunt, & quoscunque faventes sibi in aula ejus existimabant. interim, quia intoleranda Hispanici præsidii ferocia vexabantur, omnino satisfacere Albano, & placare iratum, student. sed illi rei Florentius Thinius ter ablegatus, re infecta domum rediit. & obtulerant, si comitia antiqua daret, ac præsidium evocaret, florenorum centum octoginta millia. Rex Philippus, pontificis consensu, & consilio Albani, ac senatus, Madriti anno superiore diploma dederat xvi Kal. Decembres, quo barbarum veniam Belgis promittebat; sed tam lata exceptione, ut paucorum beneficium videretur. illud, hætenus dilatatum, nunc Antverpiæ promulgat, xvi Kal. Sextileis. In foro maximo, ante curiam, theatrum ligneum erectum erat, aliquanto sublimius, panno oppansum. in summo, folium magnifice instratum; regis locum repræsentans. in hoc confedit, fastu nulli legatorum in id tempus usitato. ad utrumque latus, depressiore paulo sedili, foeminae duæ Antverpianæ, præstanti forma; quod indicium populo erat, *jam placatum regis animum, ac clementer ipsum deinceps esse habendum.* prodeuntem ad gradus usque stipatores deducebant; forum miles obsidebat. ita cum magno armorum terrore pacem pronunciat, gratiamque delictorum, minus acceptam, quia paucis adeo utilem, omnibus dubiam. quamobrem rari confidere ausi domum redierunt, homines nullius fere loci, quos tenuitas fortunæ, numeri; infrequentia, tutos præstitit. Mense Augusto Anna Austriaca, Philippi matrimonio destinata, in Belgium venit. proficiscentem fratrum minimi Albertus & Wenceslaus, & selecta nobilitas, comitabantur. Deducendam Cæsar dederat Ioanni Hoio, Monasteriensi episcopo, & Boruffici ordinis præfecto. Sub adventum profugi Belgæ Emerica exacti; ubi tunc Arscotanus, ac Noircarmius, erant, honoris ergo, obviam missi. Cum regina Noviomagum appulisset, solenni ritu in Albani manum traditur. illic*

Gelriæ, Hollandiæ, Ultrajecti, Frisiæ, Transiselandiæ, Groningæ, Ommelandiæ, ac Tubantum, obvios legatos habet; matrimonium novæ nuptæ gratulantes, tum egregia quoque munera offerentes. inde, Albano deducente, Antverpiam abiit; ubi regio plane apparatus excepta, à cæteris Belgii sui provinciis, ultra Mosam, & Scaldim, positis, vota itidem, ac munerata, accepit. Hinc profecta in Zelandiam, classem Flissingæ conscendit; ducente Maximiliano Bossuvio, maris præfecto. In Hispaniam abeunti comites ab Albano dati, Ferdinandus Toletanus filius, Rodericus Toletanus, & Christophorus Mondragonius, cum legione sua eam ob causam Daventriam evocatus. Ipse Albanus, cum & antea successorem dari sibi à Philippo postulasset, id potissimum nunc agebat, ut novam dominam ad regem maritum deducere liceret. sed obtinere comitatum non potuit. Dum hæc fiunt, sedulo Auriacus de restituendo Belgio agitare. pridem naves plurimæ, ejus jussu, mare commerciis infestum reddebant. nunc de urbibus quoque capiendis cura erat. itaq; clanculum per Sonoium Enchusam sollicitat: isque pene rem perfecerat, occupatis civium plurimorum animis; cum abortum tamen aliquod improvise impedimentum, summo, quod mirandum valde, consilii secreto, in sesquiannum differre coegit. Interim symbolæ in Hollandia boreali, duorum maxime concionatorum opera, per pagos plurimos institutæ; & conventicula item crebra, nullo Albani metu, habita. Illi ad populum comitare frequentissime, & periculum alternare: literas ferre, ac referre; quæ interceptæ, ne arcana consiliorum revelarent, de frumento, aut commercio aliquo simili, agere visæ. id vero commercium urbes erant, Horna, Enchusa, aut Medemlacum. pariter in australi Hollandia de Dordracō occupando, Brila, Roterodamo, Delphis, agitatum. in Transiselandia, de Daventria, Campis, Zwolla. Sed consilia hæc, impedita, aut non tentata, irrita in hunc annum conatu fuere. Quia autem naves bellicæ insolentius piraticam exercebant, ut infamiam belli sui emendaret, dato illis præfecto Lumbresio, edictis pluribus licentiã

adstringit. inter cætera, laudabili virtutis exemplo, *procul ambitione omni, & avaritia, boni tantum publici curam habere jubet; neque militem, nisi fama integrum, legere: criminiq; aut licitori, non obnoxium.* tum concionatorum singulis item navibus imponit; qui pietatem, & sacras preces, exerceret. Non multo post, diversis temporibus, naves circiter quinquaginta, varie onustas, invaserunt. Ductores dati, Lancelotus Brederodius, Adrianus Menningus, alique. Valentinianis tria Germanorum millia in præsidio agere; & stipendium, diu debitum, per tumultum flagitantes, Lodronio, ac ductorum nonnullis, vincula injicere. idque Albanus indignatus, stipendii parte per legatum, & venia, data, in auctores clam inquiri. mox Antverpiam, in spem reliqui, evocatos, cum haud longe ab urbe abessent, immixtis Hispanis, separata tumultus capita ante arcem gladii, aut laquei, poena afficit; cæteros exauctoratos, sine stipendio ac comitatu, Belgio excedere jubet. hoc Septembri mense gestum. Novembri proximo, cum gravissima tempestate rupti aggeres, plurimum passim per Belgium aquarum exundavit; multiplices hominum, ac pecoris, strage. merfa passim templa, domusque, & ager pene universæ Frisiæ; vix urbibus salvis, quæ aquis undique circumfessæ. tristis rerum facies erat; pluribusque interceptis, nonnullos ædium quarundam tecta, aliaque fastigia, aut trabes innatantes, servarunt. In tam magna calamitate egregium pietatis specimen Caspar Roblesius Billius dedit, provinciæ præfectus, qui Groningæ tunc agebat. quippe præclaro in miseros affectu, passim nutantibus, aut excelsa quæq; complexis, navigia submisit, quibus à morte præsentissima tristissimas fluctuum reliquias reduceret. insuper, reip. misertus, quæ aggeribus, aut cataractis, reparandis justo gravius premeretur, anni sequentis tributum remisit. & homo Lusitanus, antea odio gentis invisus, tam insigni beneficio, animos omnium sibi obstrinxit. Vix æstimari clades possit; & periire in sola Frisia hominum fere xx c. nec immunis Flandria fuit. Grevelinga, Dunkerka, Neoportum, Ostenda, Watervlietum, alique pagi, experti. concussæ vehementer Brugæ. everfa

everfa cataracta Gandensis, quæ Sassa vocatur; & Gandavum ipsum usque, ad Cæsaris portam, aqua excurrit. Minus periculi Brabantia habuit, si Antverpiam excipias, & pagos aliquot, Scaldi vicinos. In Zelandia, præter reliquam pecorum, aggerumque, cladem, hominum CIO CIO CIO absorpta. Gravissime vero Hollandia quoque laboravit. Roterodami, ac Dordraci, aliisque in urbibus, ad tertium pedem aqua plateas supergressa est. ad Parendrechtum; & in insula Crimpenfi, septem locis disiectus agger, incredibile quantum hominum, pecorumque, abripuerit. Pagos, mari adjacentes, eadem procella invasit; ac potissimum Scevelingam, ubi everfæ ædes CXXVII. naves, in littore stabulantes, statione sua ejectæ, per plateas, ceu Oceano, ferebantur. & ingressa templum aqua, supra tertium pedem alta, in ipso sacrario gravem è ferro cistam subvertit. Immane damnum Amstelodamum etiam accepit; & qui Mudam ducit agger, tredecies perforatus. Partem cladis provincia Ultrajectina sensit, & Hollandia Borealis, insulæque adjacentes. Zypæ è CIV ædibus vix relictum quicquam fuit. Caninam silvam, miraculum loci, rupto exteriori aggere periclitantem, interior moles, tam immanis, vix servavit. Certe Belgio luctuosus iste casus; & qui, præter cæteram jacturam, hominum supra centum CIO interceptis. Hispani justæ sanctorum iræ rem ascribere; quorum imagines temere Belgæ violassent. sed simplicius ipsi Belgæ judicare, nec vindictæ eos cupidos arbitrari: nulli tamen dubium erat, irati ob peccata Dei indicium esse. Multum hæc res consilia Auriaci perturbavit. nam de Enchusa capienda, aliisque Hollandiæ urbibus, cogitabat; jamque in Amasia flumine naves, copiæque, paratæ; & in Angliâ item Lumbrefius classem instruere. sed, quia tempestas aliquot naves valde afflixerat, & egressæ ripas aquæ incertum nautis alveum fecerant, dilatatum necessario propositum. mox objectum aliud quoque impedimentum. Ioannes Basius, qui literas ad senatum, & mandata, allaturus expectabatur, vix IV Non. Decembris Embdam venit. quo tempore, Euro flante, obortum ge-

lu intensum fuit. & Lancelotus Brederodius, qui, negotio in se recepto, cum quibusdam navibus præcesserat, Texelam insulam occupaturus, ejecta ex imo mari glacie, irritus profectiois, ægre rediit. Entesius, Menthedæ, & Ruichaverius, quo evasissent, aliquamdiu ignoratum. ac Ruichaverius, in Flevum delatus, naves quinque; obvias invadens, redemptionem vectoribus imperavit. Hinc Embdanus, ceu illato ditioni suæ damno, offensam prætendens, naves XI detinuit, ac cum iis nobiles Frisios, Mepsum, & Iensemam, abbatemque Heumelium, quem è Frisia captum abduxerant. insuper Theodoro Bremano vincula injicit, & arctam navibus custodiam apponit. Hoc rei eventu, ut impensæ minuerentur, retentis navibus, militem dimittere placuit; sed non spem occupandæ Enchusæ, quæ in occasionem dilata. Adhuc clam consilia erant, neque quicquam ad Albanum emanaverat; eoque enixius occultata, ne ille, aliqua suspitione, interea præsidium imponeret, ac successus spem eriperet. Embdani factum Sonoius Auriaco per literas exponit; interimque ex Haio & Vnico Manningis fratribus, uno Embdæ, altero Nordæ præfectis, *rem à Cesare mandatam intelligit, & Embdanum dilaturum etiam fuisse, nisi certo per Monasteriensem episcopum comperisset, eas Albanum invasurum; aut, gelu impeditas, exusturum. ideoque, quum primum salva existimatione posse videretur, prævertendum existimasse. maxime, si conventu proximo circularum rata Auriaci mandata haberentur. graviter conquestum Albanum, quod piratas adjuasset. & libellos septem traditos, quis deberet respondere. insuper, non observatam usquequaque militia disciplinam; & nulla ductorum reverentia, in amicos, pariter atque inimicos, incursum. ac potissimum Basii culpa id evenisse; qui promiscue, in paucas sepe septimanas, auctorasset homines per egestatem flagitiosos, quique arma in prædam verterent: cumque sacri Imperii subditi, de illato sibi damno conquerentes, reddi bona postularent, his ferociter respondisset; alios, ne responderet, eluisset.* Mense Decembri Hermanus Ruterus, pridem institor boarius, vir audacia insigni, folis tribus comitatus, Lovestenum, arcem prope Gorcomium sitam, in Bommeliensi insula,

insula, ad Mosæ & Vahalidis confluentes, sub vesperam habitu Franciscano ingressus capit; ac, præfecto cæso, aliquamdiu tenuit; dum speratum à Bergensi auxilium adesset, quod gelu impeditum. interim cum xxiv commilitonibus locum munit. Ad rei nuntium missus à Roderico Tolentino Silva Ducis Laurentius Perea cum sclopetariis cl, & hastatis x. isque ubi ad arcem advenisset, deditioe postulata, cum negaret Ruterus, adductis tormentis, vim tentare. Suorum virtutem egregia oratione Ruterus accenderat; certumque omnibus, *extrema pati: & honestam potius in armis mortem, quam infamem licitoris manum experiri.* Primo adventu, cum promuro nullæ excubiæ agerentur, petitis è loco vicino scalis, duplice, quæ interjacet, fossa clanculum superata, præfidiarios intra arcem Hispani compulerant. inde, impetu facto, cominus utrinque pugnatum est. tandem per appositas scaldas ex altera parte irrupere, obvium quemque obtruncantes. Ruterus se in conclave recipere, sparso in aditu pulvere tormentario, ac, romphæa acriter pugnans, irruentes sustinere: ita ut viri fortitudinem ipse hostis miraretur. ad extremum, edita ingenti strage, vulneribus obrutus, injecto in pulverem igne, ambustis oppugnatoribus, gloriosa morte occumbit. mortui caput, Silvam allatum, patibulo affixum fuit. capti è sociis decem & septem, atq; Antverpianam abducti; moxque ex his suspensi quindecim, duo in rota excarnificati. Consilium Ruteri erat Gorcomium etiam; ac Worcomium, fluviosque occupare. & è civibus nonnulli conjurarant; qui valde angi, ne proderentur. verum id, Ruteri morte, apud quem chartarum indicia nulla omnino deprehensa, occultatum. Adjoverat negotium inter primos Hadrianus Hovelius, vir consularis, tunc in Cliviam profugus, & Vchtenbroucquo, Wesenbecio, Sonoio, Cantio, aliisque, arcanorum particeps. Circa id tempus res ridicula plane accidit, in qua animi moderati signum ab Albano datum. Lovanii declamator quidam ejus laudes, ceu ob Belgas, Germanos, Italos, Gallos, atque Mauros debellatos, putide satis, & ad auditorum nauseam, memorabat. qui cum hominem

ingratæ eloquentiæ incondito strepitu ex-
plosissent, idque affine contumeliæ vide-
retur, angi animis Academiae professores,
utque offensam declinarent, Elbertum
Leonium, & Ioannem Wamesium, pri-
mi loci nominisque jureconsultos, Bru-
xellas deprecatum mittunt. hi cum fa-
ctum multis verbis excusare niterentur,
edito ab astantibus strepitu vicissim tur-
bati, ab Albano dimissi fuerunt. neque is
ulla ultra ira contumeliam vindicavit.
Anno sequente, explorato quid Sonoius,
& Haestrechtius, molirentur; apud du-
cem Clivensem, ac senatum, per literas
queritur, *homines noxios, & turbarum contra
regem irritamenta, in sua passim ditione tolera-
ri.* Megensis quoque, Gelriæ præses, sena-
tui nuntiat; *captivos aliquot pridem per tor-
menta fassos, Vlstæ expugnationem, & Heren-
bergæ, Sonoium, ac Drunium, adjutasse; illum
vero, etiam pecunias, bello contra regem geren-
do, corrogare. ideo petere, uti pœna crimen affi-
cerent; aut, si negligent, se, quod factum opus
esset, curaturum.* Inde veritus Clivensis, ne
consilium invadendæ Emericæ, ubi age-
bat Sonoius, Albanus caperet; Stephanum
Stenium, urbis prætorem, capere Sono-
ium, ac Drunium, jubet. isque noctu po-
stridie Eid. Febr. quinque licitoribus co-
mitantibus rem aggressus, neutrum in
ædibus comprehendit. Sonoius, urbe for-
te absens, à Maria Malsena uxore moni-
tus, ut periculum evitaret, aliquantisper
emanit: graviter apud Cancellarium,
Gulielmum Leium, aulæ præfectum, &
Ioannem Laurimannum, questus; *se indi-
genam, & equestri dignitate, nulla principis
sui offensa, præter jusque fasque opprimi. permit-
tendum omnino fuisse, ut anni isto seculo decimi
beneficio juxta alios frueretur. hanc vero tam
justam querelam ad ordinem equestrem comitiis
proximis deferre statuisse.* Intercedere etiam
Hermannus Nuenarius; litterasque ad se-
natum universum, ac Cancellarium, &
nonnullos senatorum seorsim, scribere;
quibus effectum, ne quid sequius in Sono-
ium, in præsens quidem, tentaretur. Mense
Martio naves grandiores xxx, quarum
viii commeatum à Ludovico Nassovio
acceperant, piratæ invadunt. In Flandria
Miegenus, & Blommartus, per Petrum
Ryckium clam officia sua deferunt,
copiis

copiis in agro Aldenardenſi comparandis auctōramentum poſtulantēs. *in promptu magnam prædam, tanta opulentiffimarum abbatiarum, aut monaſteriorum, per agros circumjectos frequentia. Ronſæ S. Hermetis capulum c florenorum circæ æſtimari. in propinquo ingens nemus, ubi occultari copia poſſent, tum illic parari faciles, tum Schorſſæ, Marcæ, Meldæ, Edichovii, Quarmonſii, & Sulſecæ, quibus locis conciones clandestinæ habebantur. his accēſſuros quoque alios, qui Gandavi, Tornaci, & Aldenardæ, clam patriæ libertatem agitarent.* ſed hic conatus, eſſi dato ab Auriaco auctōramento, ſine ſucceſſu poſtea evanuit. Petrus Arlerius itidem ſecreto, jūſſu Auriaci, de Camporum, Daventriæ, Swollæ, Zutphanæ, aliarumque urbium, deditione cum civibus earum agere; quæ non ita difficilis foret, ipſo mox cum magno exercitu adventuro. atque ut is conſilia eo dirigere poſſet multo certiore eventu, pecuniam, aut obſides darent. Sonoius, & Vchtenbroucquius, Ultrajectinorum animos tentant, hortanturque; *conſiderarent graviſſimas ærumnas ſuas; quas jugo excuſſo, cum libertate commutarent. id præſtare, quam tam dura ſervituti obnoxios ſeſe, ac poſteritatem, habere. ab Albano nil aliud agitam immanni tributorum indiſtione, quam ut, omnibus in extremam egeſtatem dejectis, reſurgendi poſtea poteſtatem adimeret. in prociñctu Auriacum eſſe, qui Hiſpanis urbem, arcemque, eripere velit; & rationem pridem oſtenderit, libenter ipſe obſequuturus, ſi quid rectius, aut facilius, excogitaſſent.* Ejuſdem mandato Nicolaus Camerlinus, in Hollandiam profectus, Iacobum Duvendordium Warmondanum, Othonem Egmundum Kenenburgium, Benthufium, alioſque è nobilitate pariter ac cives, rogat, in ſua idem provincia facerent, ubi cum exercitu Auriacus aſſet. Hæc conſilia, non ſine ingenti periculo agitata, ita tamen clam Albanum fuerunt, ut egregio poſt eventu imprudentem plane oppreſſerint. ſed Ultrajectinis, arce munitiffima, & præſidio valido, inſeſſis, audacia defuit. omnia extrema patiebantur, concuſſiones, contumelias, ſupra, latrocinia. quodvis flagitium impune erat. ſæpius apud Albanum queſti, cum nihil agerent, tum ad regem eccleſiaſtici querelam deferunt; utq; ſemel tandem liberentur, ſupplicent. *cio 10 ſed ab eo ad Albanum rejecti, fruſtra ſe lxxi. eſſe animadvertunt. jam xx totos menſes quidvis paſſi, nec ſpes ulla miſeris reliqua; cum tanquam è machina Deus ſubito caſu oppreſſos liberat. Augeri indies naves bellicæ Auriaci, & ingentem ſæpe prædam mari abducere. eam ob cauſam metuens Albanus, ne in littore locum aliquem occuparent; cohortes aliquod deſinente menſe Martio Leidam inde, & Alcmariam, ire jubet. moxque reliquas, poſtridie Non. Maji evocatas, Delphis imponit. & quia navibus bellum inceptari, ipſe ſuas item inſtruit. Ex his unam, egregie armatam, Sigebertus Franciſcus Medemlaccenus, & Eligius Rudanus, Auriaco tradunt. qui explorato, augeri quōtidie Belgarum in Albanum odia, iterum cum illo experiſtatiuit; & auxilium ab amicis per Imperium totum petit, varieque claſſem parat. qua inſtructa, magni aliquid præſtitiffet; ſi, quod enixe operam dabat, imperia ejus valuiſſent. ſed homines, odio & licentia juxta feri, leges, & ductores, ſpernere; veteremque diſciplinam conculcare. eoq; effectum, ut militia tam corruptæ præfecturam nemo in ſe, dignior paullo, admittere vellet. Sperans autem, ſi quem alibi à quoquam principe, reſtaurandis navibus ſuis, portum impetrare poſſet, tum ſe melius rem navalem correcturum; connivere, & pœnam differre, coactus fuit. Etiam à principibus quibuſdam per legatos adverſus vim Albani auxilia petiit. in Gallia fratre, Ludovico Naſſovio, uſus eſt. in Daniam, & Sueciam, Didericum Sonoium, Hermannum Merium, & Ioannem Cluſium miſit; vetitos tamen, Daniæ regem quicquam rogare: niſi id legato Gallico, Carolo Danzæo, videretur. hique cum Hafniam viii Kal. Junias appuliſſent, ut jūſſi erant, Danzæum conſulunt. iſque edocet, *nihil à Dano exſpectandum; qui Petro Oeckſio ab arcanis uteretur. nec ſpem eſſe, qui jam intra regnum agenti extraneo militi commeatum denegaret, eum aliunde adveniēti conceſſurum; maxime cum pridem etiam, firmandæ veteri amicitia, ab Hiſpano legatus adſuiſſet. inſuper armare naves, quæ adverſus piratas quoſvis mare ſuum, cujus fines quam latiffime ipſe extenderet, tutarentur. quam-* obrem*

obrem auctor esse illis, ut discessum maturarent. quem adjutans, navi Rupellanae eos imposuit. itaque aucti in Sueciam, Stocholmum, ubi aula regis, postridie Kal. Iunias venerunt. cumq; ab urbe rex abesset, unaque cum eo Pontus Gardius, cum quo consilia communicare iussi erant; Sonnebenum, Gardii pagum, quo vocatum ad epulum regem post biduum adfore intellexerant, abierunt. ubi quid venissent effatos, ceu minus idoneo epuli tempore, Stocholmum rursus, quo rex brevi reversurus, discedere suadet. solum Clusium apud se retinet. iv Eid. missus à Gardio Ioannes Moinius ipsis nuntiat, certum de legatione regem; sed discernere nihil posse, nisi gnarum, quo loco res Moscoviae essent: & bellum illa, an pacem, ageret. ab ea sua consilia pendere; nec militem alias necessarium dimitti integrum. difficile insuper, annonam navibus procurare. Cum fratre Carolo tamen conferre, ejusque affectum clam explorare velle. & quando nuper ab Hispaniae rege, atque Albano, legatus amicitiam orasset, tutius fratri persuasurum, ut negotium totum in se reciperet. Pro hoc beneficio prolixè Gardio gratias agere Moinium rogant; & nonnulla, utiliter apud regem differenda, suggerunt. ac si, palam Auriacum juvare, anceps putaret; quod periculi minus haberet, fratre Carolo uteretur. ad hæc literas ad Gardium addunt. Interim cum Sonnebeno Gardius rediisset, nec rem diligenter satis accurasset, per Moinium conqueruntur. illud sibi, frustra que tempus eximi, in negotio tanti momenti, & maturando. id postquam ei relatum, ut culpam amoveret, xv Kal. Iulias Swertzium eos ad regem abduxit. illic admissos rex interrogat, clam, an palam, audiri vellent. cumque, clam malle, responderent; iusso secedere comitatu, præter Mareschallum, & Gardium, literas ab Auriaco exhibent. quas cum legi ipsi orarent, rex respondit, legationis testimonium se agnoscere; jamque ante edoctum esse, ab Auriaco oratores advenire. tum, latine allocutus, si quid vellent, paucis enuntiare jubet. itaque, data fandi copia, supplices exponunt; virtutem ipsius effecisse, ut rem æquissimam, & orbi Christiano utilem, Auriaci mandato orare auderent. non dubium esse, quin de Albani, primi antea Maurorum

inquisitoris, in Belgas crudelitate audisset. advenisse cum magnis copiis Hispanorum, & militum exoticorum, quibus oppressas Belgii provincias adeo graviter vexaret, ut nullum servitiae genus esset, quod non passim intentasset, nullo populi, aut procerum, discrimine. tyrannidi autem, ut tanto licentius grassaretur, violatae religionis culpam prætexere. atque hoc crimine regi suo omnino imponere. quin, firmanda tam iniquae dominationi, in urbium plerisque præsidia, aut arces, posuisse; contra Belgii jura, ac privilegia, qua rex à majoribus tradita sacramento confirmasset. Igitur coactum summa necessitate optimum principem, quando sapius tentatus Philippi animus nullum rationi, aut precibus, locum faceret, occurrere Albano; & restaurandae libertati, arma adversus tyrannum sumere. quando autem animus ejus erga rempub. Christianam, & cura, in aperto essent, eamque ob causam facilem afflictis, ac benignum, fore confiderent; supplicatum advenisse, ne desereret justam adeo piamq; causam, quæ ad omnes orbis Christiani principes pertineret. quippe Albanum, subactò Belgio, cetera quoque, quamvis longe dissita regna, eodem religionis prætextu, invasurum. idque ex fœdere Bajonensi anni LXXII satis manifestum esse. Ad hæc verba rex respondet, & amare se Auriacum, & calamitatem Belgii deplorare. ratum autem, Philippum regem, principum aliorum monitu, clementius multo acturum fuisse. quod quando aliter evenisset, cum Carolo fratre deliberaturum, sine quo nil constituere posset: ac responsum intra octiduum Stocholmum missurum. interim, si videretur, ad eum proficiscerentur, & consilia conferrent; nec id sibi ingratum fore. Illis dicentibus, etiam hoc Auriaci mandatum esse, atque ad ipsum literas ferre, rex rogare argumentum; cumque responderent, commendatitias tantum esse, honeste dimissos è familia sua nobilem, arcisque præfectum, comitari jubet. jamque in procinctu erant, cum per aulae præfectum mandat, si quid ultra iussi essent, ipsi exponerent: aut, si mallet, per literas significarent, quo rectius negotio animum adverteret. igitur ad regem scribunt, cum antea legationem summatim tantum enarrassent, id nunc pluribus facere certos. ac demum submisso orare, si palam ipse auxilia mittere non consultum existimaret, Carolo fratri partes traderet; qui, illustri virtutis exemplo, egregiam famam

famam in prima aetate ad exteros transmitteret. idem proximis Galliae bellis quosdam Germaniae principes fecisse. quod si neque hoc expedire regni sui rebus videretur, hominibus extraneis, quorum certa fides, consilium permetteret, à quibus naves impetrarent. tum militem quoque peregrinum, & portum Elsburgensem, concederet. x Kal. Iulii Novicopium ad Carolum venerunt; ac postridie ad eum admissi, eadem, qua apud regem fratrem, oratione utuntur. notam orbi Albani tyrannidem, cui obijcere se Auriacus pararet. sed cum vires egregiae voluntati impares essent, auxilia oratum ablegasse, quem bene sibi velle, & reip. Christianae ex animo studere, confidebat. Laudare orationem Carolus; & gratum esse Auriaci iudicium. jam diu Albani superbiam, ac ferociam, fama accepisse, & Belgii arumnas commiseratum. quas si quid levare posset, cum rege fratre consulturum, ad quem iter instituebat. Cum recessissent, eo ipso die redire iussi, ac mandata plenius referre, postridie apud Carolum verbis pluribus legationem repetunt. ac seorsim plus duabus horis Sonoius cum eo colloquium habuit. Cum Stockholmium venissent, Carolum illic expectaturi, Gardium iterum, & Carolum Mornæum Varennum, accedunt; quibus ante discessum, datis ab Auriaco literis, negotium commendaverant. ibi cum Mornæus diceret, constare sibi voluntatem, nec bono publico quicquam anteferre; Gardius interpellavit, vidisse capita, quae misissent; & multum de iis cum rege sermonem fuisse: cui naves concedere visum non esset, ob Erici praedecessoris as alienum, quod in regni perniciem contractum. dein, si Scotis in solutum naves daret, è vestigio alios quoque debitum flagituros. atque hunc contrahendi modum cum contemptu regis conjunctum esse. tamen naves permissurum, si de pecunia, in diem certum representanda, mercatores caverent. ad commeatum quod attineret, eum curare minime posse. ita pridem, cum in Prutenos duae mitterentur, penuria reverti coactas. quod portum Elsburgensem peterent, eum bona fide promittere. postridie reversis, non propositum se mutare Mornæus ait; & adfuisse duces Scotos, qui rogarent, daret operam apud regem, ut stipendii reliqua, LXXX dalerorum circiter, solverentur. respondisse autem, percontaturum ipsos, si naves tres quatuorve rex daret, an, quod Scotis placuisset, transferri in se illas

vellent. Biduo post nuntiare Gardius, nolle regem ipsis naves dare, velle Scotis. Igitur cum illis primum agerent. ac nisi inter se convenirent, ne eos quidem accepturos. dicente Sonoio, in alieno territorio, sine principis voluntate, legere militem non licere, eoque prius veniam à rege impetrandam; respondere ille, visum ipsi, ut cum Scotis transigerent. itaque cum iis actum, ut si tres quatuorve naves bello instructae in portu Elsburgensi fisterentur, has acciperent eo pretio, quod Stockholmii, à delectis utrinque arbitris, aestimaretur, Auriaco deinceps militaturi. & equites 1000 pedites 4000 imponerent. ac illis quidem, qui plerique è nobilitate, etsi pedestri militia, equestre tamen, novem in mensem dalerorum, stipendium daretur: itidem ductori peditum, & legato. quippe tale à Sueco habuisse. & singulis trimestribus exhiberetur, cum primum urbem aliquam, aut portum, occupassent. sed post colloquia plura, cum promissis multiplicibus varie res protracta fuisset, tandem Erbovillius, aulae Caroli praefectus, & Lubbertus Covellius, consiliarius, XIII Kal. Augusti, Caroli nomine denuntiant; dolere ipsi, quod destinata Auriaco auxilia negare cogeret. perturbatas res Livoniae, quibus succurrendum esset. insuper imminere etiam cum Polonia rege bellum. ea propter naves ullas, militemve auxiliarem, dare non posse. Ad verba sua Caroli etiam literas addunt; quibus se ille apud Auriacum excusare. Postero die ad Petrum Brahaem Wiffinxburgium, & Nicolaum Guldensternium, cancellarium, vocati accedunt. ibique, segregato comitatu, Wiffinxburgius illis exponit. accepisse nuper regem de afflictio Belgii statu, cui suppetia ab Auriaco postulata. nec alienum ab his animum. sed tam bonam voluntatem antiquum cum Hispaniarum rege foedus impedire, necdum sibi violandum. huc accedere ingruens bellum, per quod justa excusatio. cetera benigne erga Auriacum affectum esse. Sic dimissi, de portu tamen Elsburgensi cum serio agerent, ejus usus per tempestatem, aut aliam quamvis causam honestam, vix permissus. In discessu Clusium illic reliquerunt, cum thalassiarum vicario acturum, qui per Ioannem Coloniam centurionem Auriaco fidem operamque suam obtulerat. ita irrita legatio fuit. Nec ces-

fare tamen Auriacus, & auxilia ubique locorum sollicitare. ac nonnulli, Albani odio, si exercitum ad urbes adduceret, ut facilius expugnatio ipsi esset, edibus suis ignem sese injecturos polliciti erant. Gulielmum Blofium Treslongum, qui post proelium ad Gemingam in Edfardi Embdani familiam se dederat, duas naves armare iussit. isque, petito ab Edfardo commeatu, Embdam profectus, & ab Anglo quodam navem bello instructam v. c. florenis mercatus, cum, Robollo in Angliam misso, qui inde abduceret, ipse Embdæ rebus ordinandis hæreret, magistratum per literas Edfardus comprehendere hominem jubet. qui ocius obsequens, in vincula coniectum Lerortium mittit. ibi per trimestre amplius, arcto admodum carcere detentus, spondente Agatha Beninga Oplewertia, injussu Edfardi Embda non se exiturum, vix dimissus, post trimestre amplius alterum, de injuria, & vi, questus, quia non judicaretur causa, clam discessit. Ante urbem aliquot Auriaci naves erant. has præfectus maris Boshufius mox invadit: & urbani Lumæum quoque ejecerunt. Ultrajectini, etsi evocato præsidio, metuebant tamen, ne subhiemem, profligatis Auriaci navibus, reduceretur; quod futurum rumor ferebat. hanc ob causam, ut periculum anteverterent, quando occlusæ Albani aures, per Veufelium, nuper in Hispaniam profectum, id ne fieret supplices à rege petunt. *obsequio in ipsum, & patrem Carolum, gratiam faceret, cujus exstarent præclara exempla; ac pridem Megensem cum universa legione tutela causa ultro in urbem recepisse. postea Albanum Longobardicam imposuisse. cujus licentia, ac superbia, omnino summa; quam flagitiorum impunitas etiam auxisset, impensa in hanc c. c. florenorum c. 10; adeoque ararium suum attrivisse, ut cetero tributo par non esset. præterea in urbe, longe à limite remota, & quam arx munita satis in officio contineret, præter præsidium ordinarium aliud nullum opus esse. itaque ne innoxios homines, & obsequii constantes, gravius premeret.* Et rex justis precibus motus Albano mandat, ne subditos suos sine justa causa præsidio vexaret; maxime Ultrajectinos: quibus ea res perniciofa. id pergratum sibi fore, si necessitas tamen exigeret, negotium omne præsentis ipsius arbitrio permittere. Ante biennium pro vicefima, decimaque, imperata vicies centena c. 10 florenorum in annos duos obtinuerat. id tempus cum nunc fere elapsum, consilia priora revocare ad animum statuit. Explorata quidem illi Belgarum odia; sed, vir rigidus, & offensæ, dum metuere-tur, securus, propositum urget; recusandæ audaciam tot jam arcibus, & præfidiis, sat coercitam arbitratus. Igitur pridie Kal. Sextileis idem edictum, sed in speciem moderatius, denuo proponit. id cum summa querela exceptum; quam annonæ, rerumque omnium, maxima caritas aggerabat. & *quo tempore vitam tolerare perdifficile, tributa intendi, iniquissimum videbatur.* Existimabant decima loco vicies illa centena c. 10 suffectura. sed dicere Albanus, *id in Hispania aliter acceptum; magisque regi concessam semel decimam placere.* Hic cum Viglius, Schetus, alique; reponerent, non omnino ab Ordinibus consensus: in super periculum esse, ne hac ratione secunda centesima quadragies centena c. 10 amitteret, stomachatus, verum illos dicere negavit: iterato aliquoties juramento, *invitis omnibus exacturum. consiliarios, qui populum contra concitarent, aut defenderent, instar perduellium esse. interesse regis, ne, noxio principibus exemplo, illuisset majestati sue populus, & promissa per ludibrium immutasse, cognosceretur. daturum consilio sanguinis negotium, ut ceu de perduellibus cognosceret. magnam omnibus, ac potissimum Flandriæ Ordinibus, qui Auriaco, aut Egmondano, non minus peccaverant, factam gratiam. placando regi decimam fuisse, quam promississent. longe plus conquisiturum, si, quod jure optimo posset, bona cujusque sub hastam misisset.* Plurimum id Hollandiæ Ordines anxios habuit; & indictis Hagæ comitiis, deliberarunt, quo pacto Albanum à proposito divertere possent. Amstelodamenses, admittere promulgationem primo dubios, tamen Albani metus impulit. nihilominus referri per apparitorem curant; edictum publice universis, sibi privatim maxime grave. ex quo in superiorem indictionem consensissent, damna plurima terra marique à præmiatoribus, & piratis, tum ab aquis, anno proximo mense Novembri, accepisse. deinde extraneos quoque principes naves, mercesque, varie detinuisse. ad has clades accedere rerum caritatem, & reliquum æris alieni, adhuc pendendum, ut ab arce, & milite Hispano, libe-

liberam commercii urbem præstarent. præter hæc si decimam etiam, & vicesimam, exigere pergat, salvam amplius civitatem esse non posse. quamobrem promulgationem alia lege admittere non posse; quam ante biennium, cum cæteris Hollandiæ Ordinibus, fecissent. Id Albanum valde offendit, & ad provinciæ curiam in jus vocatos aliquot florenorum CIO mulctari voluit. Egerunt causam Ioannes Treslongus, & Nicolaus Diertius, uterque celebri tunc in foro facundia: sed per iudices metu obnoxios secundum Albanum lis pronuntiata, & reis xxv florenorum CIO mulcta indicta. à qua sententia cum ad senatum Machliniensem provocarent, isque ad Albanum rejiceret, consultum non rati, eundem actorem iudicemque experiri, negotium intermisere. sed tam rigidam Albani voluntatem obortæ statim turbæ mutarunt, aut impedierunt. Cæterarum provinciarum eadem querela erat. & per legatos deprecari singulæ, ne propositum exequeretur. quod si faceret, brevi tempore nullam habiturum. potius aliud tributum imperaret, minus publice perniciosum. quædam exceptione uti, non aliter se indictioni acquiescisse, quam si communis consensus foret. nunc quando Ultrajectini recusarent, nec se teneri. Virgere nihilominus edictum Albanus, & vehementer succensere Ultrajectinis, cum quod novo se tributo opposuissent, tum quod de sententia lata ad regem provocassent; & de ipso, pariter ac præsidio Hispanico, conqueri apud eum ausi fuissent. Præterea soli etiam legatos ad hæc comitia mittere neglexerant; quod graviter interpretari, ceu exemplo audaciam aliorum excitassent: cum consilia tamen nusquam contulissent, & aliam provinciæ suæ rationem crederent, quæ nuper sponte in Caroli V potestatem certis conditionibus venisset. itaque sine regiarum literarum respectu, per quas parcere illis jubebatur, quamvis nullo circa urbem hoste, & infesto per Auriaci naves littore Hollandico, Harlemo, Delphis, Leida, Brilaque evocatos Hispanos Ultrajectum commeari jubet. Erant universim signa viii, sex priora, è legione Ferdinandi Toletani; septimum, Consalvi Braccamontii; octavum, Roderici Toletani. Hæc per literas ad

diem v Kal. Novembris recipere in urbem, & cives profugos revocare præcipit. itaque redit antiquum præsidium xiv Kal. Decembreis. Binis literis deprecati, responsum accipiunt; imperatam militi modestiam, quam si migret, in promptu pœnam fore. etsi tamen ille non minori licentia postea grassatus. Queri Ultrajectini, & ærarii publici, & civium suorum egestatem; neque exhaustos suppeditare necessaria posse. deinde iniquum, quatuor pridem urbium præsidia, quarum aliqua, magnitudine pares, opibus superarent, uni suæ per vim imponi. Sed obstinato consilii Albano, cum nil nisi perniciem manifestam exspectarent, iterum frustra apud regem conqueruntur. mansitque ad ix Non. Aprileis anni sequentis, cum recuperandæ Brilæ emitteretur. Auriacus ubique suppetias rogare; & firmata in Gallia pace, Colinium, maris præfectum, cum proceribus religioni reformatæ addictis, fratris Ludovici opera, in suas partes pertrahere. quin eo ventum est, ut ad regis quoque conscientiam res deferretur; non invitum, ut præ se ferebat. jamque, ceu veteris gentis odio, honestus belli prætextus quærebatur; & iusta satis causa videbatur, vel recuperatio urbium Belgicarum, quas olim Galli tenuissent: vel contumelia nuper facta in morte sororis, quam Philippus veneno procurasse certis testibus ferebatur. Ludovicus Nassovius, ut rem promoveret, quæ, non satis tuta literarum fide, nisi coram rege agi non poterat, quasi in Belgium iter adornaret, mutata veste, cum Francisco Lanovio, Carolo Telinio, Ioanne Hangesto, in aulam venit. Erat tunc rex Luminii in Bria, venationibus intentus. hic cum eo de bello Belgico totos vi dies privatim occultis colloquiis differit. ejus gerendi utilitatem, ac necessitatem, deinde rationem ostendit. ac placere oratio regi; sed, quando inconsulto Colinio, quem belli ducem destinabat, statuere nihil quicquam posset, maturare reditum jubet, ac Colinio suadere, ut ad se accederet. tum Auriaco literis valde benignis mandat: legeret militem, quemcumque in Germania posset: neque quicquam, Belgio liberando necessarium, omitteret.

I O A N N I S M E V R S I
 G V L I E L M I
 A V R I A C I
 L I B E R V I.

CIO 13
 LXXII.



Neunte anno à Sueciæ rege ad Edfardum Embdanum legatus venit Pontus Gardius, cuius supra mentionem fecimus, XVI equitum, & III rhedarum comitatu. Is Edfardus Sueciæ regis sororem duxerat; & sponsale pactum erat, ut Embdanus comitatus ipsi cederet. sed id compositum inter fratres videbatur, quo facilius regiæ affinitatis honore alter potiretur: quandoquidem, illis celebratis, jus suum transferre in fratrem Ioannes nollet. Hæc initio legationis causa credita. cum vero tres amplius septimanas apud Episcopum Monasteriensem hæreret, & Saxonie Electorem, quem impediisse unum opinio erat, ne Auriaco ab rege Sueciæ, ac fratre Carolo, auxilia ulla submitterentur, suspicione non exigua adventus hominis, cuius versutum valde ingenium compertum haberent, laboravit. tum etiam, quando per Belgium in Galliam iturus ferebatur, ipso rem hanc adjuvante, metus erat, ne in transitu Auriaci consilia, & legationem nuperam, nimis mature Albano aperiret. Igitur diu, quidnam ageretur, anxie exploratum; sed cognosci nihil aliud potuit, quam quod palam fama ferret. Ultrajectinos præsidium revocatum nihilo, quam pridem, insolentius affligebat; & nec magistratui parcebat. Ioannis Tatii Amerongii consulis filius in ipsa excubiatarum statione graviter vulneratus: ipse, domi suæ pene occisus, cum ubique periculum timeret, apud cæterum magistratum causam testatus, ut saluti consulere, urbe exivit. Hæc incommoda cum minuere Albanus deberet, augere insuper, & tot injuriis novam aliam gravissimam addere; privilegia urbis, & statuta, postulando: archetypa omnia per præsidem

exhibere iussis. id, quia iniquissimum foret, cum negassent, iterum iussi, descripta offerunt. quæ cum præses recusaret, literas ad Albanum mittunt, per quas factum excusarent. His Albanus irritior, omnino mandata exequi jubet; &, *ni pareant, minas addit, se præsidarium militem adhibiturum.* tribuno etiam Hispanico mandat, *præsidentem, si usus foret, adjuvaret.* cumque necdum morem gererent, ad terrorem congregari miles cœpit. vimque etiam intenter, nisi, delinito præside, in diem posterum res dilata fuisset. tunc cum vincula cunctis parata, & invitis extorquenda omnia intelligerent; metuerentque, ne insolens miles, cui jam fere XIX mensium stipendium deberetur, occasionem urbis diripiendæ invaderet, ægre tandem, minis armisque coacti, cesserunt. Tam egregia tamen nonnullorum constantia fuit, ut *extrema omnia pati, quam imperio iniquissimo obsequi,* mallent. inter plures Henricus Valckenarius fuit, cuius ea sæpe vox audita; *vitam potius, si obnoxiam regi putarent, quam privilegia sua, amitterent.* Instrumenta omnia in arce Vredenburgio reposita, & in Ludovici Requesensii adventum, qui Albano datus successor, aservata; isque, regis iussu, reddidit. Per provincias cæteras decima, ac vicesima, non minore severitate exigebantur. & quantumvis varie deprecari Ordines, publicam difficultatem quererentur, vicesque centena CIO annua continuanda offerrent, cum nil tamen obtinerent, nonnulli ad regem oratores ablegare; quos Albanus, ne auderent proficisci, capitis supplicio deterrere conatus fuit. cumque in urbe Bruxellensi, quam cum tot Hispanis ipse insideret, promptissimum per arma obsequium speraret, præsentissimo tamen periculo odium ejus, studiumque libertatis, prævaluere. Igitur quicumque panem, cere-

CIO 13
 LXXII.

cerevisiamve, coquerent, clausis officinis, ab opere cessare. Iam quoque macello abstinere, neque alii institores merces ullas venum dare. quamobrem vim coercendis adhibere animum inducit; ac noctu præcipuos tumultus auctores è foribus ædium, aut fenestris, quemque suspendere. jussusque licitor cum laqueis xvii, & scalis decempedalibus, præsto esse. Iamque in armis miles erat, ac Fredericus Toletanus Viglium accesserat, pronuntiatam in reos mortis sententiam relaturus; cum de Brila capta nuntius, admodum inexpectatus, eoque magis animum percellens, cruentum consilium mutare coëgit. Ut increbuit rei fama, invisus antehac Albanus, nunc contemni etiam coëpit. jamque verba libera magis palam audiri. Id Auriaco non ignarum, qui, clam comparatis copiis, invadere ipsum inopinato moliebatur. neque armorum apparatus Albanum latuit. verum is, securus nimis, negligere hostem, tanquam semel debellatum; &, si resurgeret, opprimi facilem. Ac paratæ Auriaco quidem copiæ idoneæ, sed adhuc stipendium deerat. nam pecuniæ, quas collegerat, etsi magnæ, ægre recensendo militi, & auctorando, sufficiebant. neq; ad cæteram militiam reliquum quicquam futurum erat. huic difficultati à rege Galliarum subventum; à quo, bello maturando, cc aureorum cio mutuo primum, mox dono, accepit. Gulielmus Treslongus, jussu Auriaci, navem unam sibi instruxerat; quam, iv Eid. Febr. Flevo egressus, in insulam Texelam ducere statuerat. sed gelu obortum ad Wieringam in Martium proximum stare coëgit. id Bossuvius cum rescisset, Auriaci loco ab Albano Hollandiæ præses constitutus, Iohannem Rollium cum signis iv expugnare eam misit. isque adeo improvisus supervenit, ut Treslongum, qui cum majore militum parte in insulam exscenderat, fere interciperet. sed evasere tamen omnes, præter unum, qui sua sponte ad hostem dilapsus. inde navem aggressus, dedi postulat. sed Treslongus, vir animi militaris, impetum facientes fortiter reppulit. longe hostis numero major; &, obsessa glacie, navis tantum non captiva teneri. tamen, illo acriter explosis tormentis propulsato, hac

aperta, uno tantum suorum amisso, integram in mare primum, inde vicinam Angliam, eduxit. quo tempore collecta ibi sociorum multitudo in Albani gratiam, à regina Elizabetha insula prohibetur. Inde major illi spiritus, itaque ad Belgii libertatem evertendam animum firmat; ne deinceps privilegia ulla, aut jura, obtendere possit. & egregie sibi pacem munisse existimabat; cum arrepta ecce arma, per xxxiv annos continuanda. quippe bellum, hæctenus vix anxii miserorum votis, & consiliis magno metu occultatis, agitatum, robusta audacia palam coëptum est. ac cæteris provinciis libertatis vindicandæ, excusso jugo, prima signum Hollandia sustulit. causa rei maturius tentandæ Elizabethæ edictum. nam per fugium ubi denegatum fuit, in virtutem profugis desperatio vertit. Primi libertatis patriæ vindices sub Lumæo fuerunt; is, quem dixi, Gulielmus Treslongus, Bartholomæus Entesius Menthedæ, Iacobus Cabeliavius, Gulielmus Gravius, Nicolaus Ruychaverius, Marinus Brantius, Omius Hedingus, aliique. hi, in navibus xl interdicto littore solventes, in Texelam iter dirigebant; quatuordecim, quindecimve, Albani liburnicas illic profligaturi. & in via ex Hispania adventantes duas capiunt. alii Hollandiam borealem, & Enchusam, cogitabant; aut ubicunque exscendere commodum. sed vento adverso in Mosam acti, ubi junctis Rheni aquis Oceano incidit, in ipso ostio Kal. Aprilibus contra Brilam classem applicant. Mirati primo aspectu oppidani, mercatores esse credebant, contrario vento illuc compulsos. nulla cogitatio erat, bellum advehi. Mase-lantflusa, qui pagus, Brilæ oppositus, flumine interluitur, Iohannes Petrus Coppestocus in urbem adversam mercatores aliquot ducens, conspecta navium multitudine, id quod erat ratus, sociis desertis, re-cta in classem navigium vertit; ibique de Treslongo sciscitatus, cum adductus in aspectum ejus esset, adventum gratulatur. is Lumæo hominem sistit, commendatque, ceu rebus suis perquam utilem. itaque ad Brilanos mittitur; annulumque Treslongus addit, satis notum à patre Caspario, qui præturam oppidi, & insulæ, pridem

gesserat. Advenienti porta recluditur, & ad curiam contendentem circumfusus populus comitatur, cupidus scire quid afferret. inter eundem varie habent, pro ingenio quisque suo. pars benigne alloquuntur, pars convitia homini dicunt. in curiam, & coetum magistratus, cum venisset, à Lumæo & Treslongo nuntiat, *binos darent ad colloquium, extra urbem, idque innoxium ipsis fore. quippe ideo venisse, ut à decima graviter pressos liberarent.* tum, qui fides verbis esset, notum omnibus annulum ostendit. ac de modo copiarum inquirentibus, inconsulta libertate in immensum omnino extollens, instar quinque millia dicit. quare consternatis cunctis, vix inventi, qui prodire in colloquium auderent. quos Lumæus in *Auriaci manus, regii per provinciam præsidis, urbem seque dedere* jubet. tum deliberando duarum horarum tempus concedit; atque ita illæsos, uti promissum erat, remittit. Tantus autem omnes metus occupaverat, ut, propere convasatis rebus, per portam australem tumultuaria fuga erumperent. interim è navibus exscendere miles, & urbem accedere; atque in muris quos viderent oppidanos percunctari, *utrum portas aperire, an vim exspectare, mallet.* Cunctanter admodum respondere magistratus. quippe cum dilaberentur, quotquot civium potiores; alique recipere advenas liberatores vellent; illorum metu, horum studio, ipse quoque impulsus diffugit; adeo ut vix universim quinquaginta remanerent. elapso deliberandi tempore, cum etiam tum cunctarentur, veritus Lumæus, ne se forte communirent; nil morandum arbitratus, copias bifariam dividit. ac Treslongus ad portam australem partem ducit; ibique Ioannem Duvenvordium, ærarii quæstorem, è fuga comprehensum retrahit; atque, interfectum pæne à militibus, è periculo præsentissimo, opportuno adventu eripit. borealem Robollius exurit, & effringit; ac per hanc Lumæus ingreditur. Qui urbem ceperant, ducenti quinquaginta erant; cæteri classem servabant. civi nulli vis illata; tantum sacrum ordinem invadunt, odio quod calamitas temporis animis hominum profugorum tunc injecerat. Postridie in templis omnibus comminutæ, aut direptæ, imagines

sanctorum, reliquaque ornamenta. prædam omnem in naves inferunt, tanquam rursus discessuri. & Lumæus nihil aliud animo agitasse visus, quam, direpta urbe, & insula, ut abiret; cum diffideret, impetum irruituri mox Hispani cum tantillis adeo copiis sustineri à se posse. sed Treslongo, ac centurionum aliis, quibus cognitum, *locum bello inchoando opportunum,* aliud consilium fuit. Igitur suadent, *daret ad Auriacum literas, & suppetias postularet.* tum de oppido defendendo foedus ineunt; & tormenta è navibus inferunt. Nullum loco præsidium erat. duo antea Hispanorum signa fuerant; quæ æstate superiore, cum aliis aliquot evocata, Albanus Ultrajecto imposuerat: nulla quidem necessitate, sed ut urbem, contra decimam magno animo nitentem, gravius vexaret. Gratus ejus rei nuntius Bruxellanis, apud quos summa tunc vi Albanus decimam exigere conabatur. jamque turbantibus supplicia parabat, cum hic casus virum iræ præcipientem inhibuit. itaque præsentem pœnam, dum differre ille cogitur, isti evadunt. Albanus vero, etsi oppiduli unius jactura haud valde moveri; gnarus tamen, *exigua quamvis principia, si neglexeris, incrementum, & robur sæpe magnum, mora accipere,* Maximilianum Henninum Bossuvium, qui præsidium Ultrajecti tunc habebat, cum cohortibus decem Hispanicis Ferdinandi Toletani, belli initia profligatum ire jubet. Sic una Brila, tenue per id tempus oppidulum, duas Belgii maximas urbes, Bruxellas, & Ultrajectum, illas decima, hoc gravissimo Hispanorum præsidio liberat. ac Bruxellæ, ubi ipsa principis aula, & terroris domicilium, tam egregio libertatis præludio concussæ, faustum patriæ vindicandæ omen fuerunt. Ultrajectinis, quod variæ ac diuturnæ preces, & promissa florenorum centum octoginta millia, obtinere non potuerant, casus inexpectatus dedit. idque valde opportune. quippe miles, qui xviii mensium stipendium flagitabat, clam creato novo Electo, ita vocant, quem in ejusmodi turbis ipsi sibi præficiunt; & tribuno ac centurionibus captis, diripere urbem constituerat. id consilium eo ipso die detectum, quo allatæ Albani literæ, quæ excedere urbe juberent. quam-

quamobrem, ubi res comperta, nocte proxima magistratus Electum futurum comprehendit, moxque crimen confesum strangulat. inde sub diei auroram ante curiam corpus collocat; & Hispanica lingua elogium etiam addit, quod supplicii causam exponeret. Mos Hispanis illa nocte, quæ subsequitur feriam quintam magnæ hebdomadæ, ut, vicatim discursantes, multis ad cereos deducantibus, nuda terga deflagellent; adeo ut, perforata cute, largus sæpe sanguis emanet: idque ipsis magnæ pietatis instar. illud tempus inceptando huic facinori designatum. sed meridie, qui hanc noctem antecederet, exire ad recuperandam Brilam iussi, etsi conjuratione jam detecta, nihil ausuri viderentur, magno urbem metu liberant. Maselantflusam, ac Schiedamum, cum venissent, flumen transgressi, navibusque in Berniffa relictis, in insulam Vornensem, ubi Brila sita, nullo resistente exscendunt. Lumæani, numero longe inferiores, cum insula prohibere haud possent, urbem tueri statuerunt. idque ut facilius esset, suburbium, quod ad portam australem, igne injecto, exusserunt. Hispani recta Brilam petere; sed appropinquantes oppido collocatus per arbuſta suburbana miles sclopeticus excepit: ac civium quidam, in profluentem insiliens, effractoque novi agri emissario, tantum aquarum intromisit, ut, planitie inundata, in editiorem aggerem se recipere cogerentur. cumque oppido nihilo segnius ad australem portam incumberent, explosis intus crebris tormentis, fortiter repulsi discesserunt. Dum hæc geruntur, Treslongus, & Robollius, clanculum egressi, naves, Berniffæ relictas, quibus in insulam Hispani transmiserant, partim incendunt, partim perforatas mergunt, alias in flumen propellunt. quod ubi illi rescivere, cum immensum aquæ crescerent, veriti, si permanerent, ne per eas pereundum ipsis foret, temere se in fugam dedere. ac pars navibus adhuc reliquis in oppositam Beierlandiam evasere; pars amotas, atque in aquis fluctuantes, nando ægre consecrati. alios gurges, lutumve, hausere. Ac sine ullo sane negotio magnam stragem Lumæani edidissent, nisi civium, & profugo-

rum ex agris hominum, incerta fide, egressi oppido inconsultum existimassent. Hac victoria, uti assolet, animi illis, copiarumque, accrevere. itaque postridie Paschatis, habito insulanorum censu, fidem inter se obstringunt; atque Auriaco, regio per Hollandiam præfidi, sacramento omnes dicunt: in ejus fide, atque obsequio, oppidum pariter insulamque, strenue propugnaturi. & prior quidem jurare Lumæus, quem mox reliqui secuti. tum lembos ad prædandum instruere, quibus flumen percurrerent, insigni quotidie præda. campanas etiam tota insula turribus detrahunt. nec multo post aliquot monachos, usque ad novem miliaria evagati, juxta Worcomium comprehendunt. ac statim viris innocentissimis, homines arma & sanguinem, spirantes, impotenti Albani odio, indigna contumelia ad mortem protractis, gulam frangunt. Vbi Auriacus Brilam captam intellexit, etsi rem quam maxime optaret, Lumæum tamen eo tempore injussu suo tentasse volebat. namque, bello necdum instructus, verebatur, ne consilia, minus tempestive prodita, Albani fociam excitarent. quia tamen summa loci utilitas erat, auxilia promittit, & aliunde etiam ab amicis curat. ac Lumæo, unde quaque profuga nobilitate, copiarumque augebantur; quibus Delfshaviam, portu valde opportunam, in adversa Mosæ ripa, facile capit, nullo in habitatores delicto. Hispani autem, postquam turpi adeo fuga Brilam, & insulam circumjectam, deseruissent, festinato itinere lassique, dein ab aquis, per quas evaserant, etiam madidi, lutoque obruti, Dordracum venere. sed, negato in urbem introitu, Bossuvius veritus, si è tractu illo discederet, ne urbes vicinæ, Albani odio, deditionem item facerent, Roterodamum se recepit. sed & illic vix admissus, circumvento magistratu, præter fidem per vim urbem occupavit. nam metuentes oppidani, ne quid præter voluntatem paterentur, arma sumpserant, ut excluderent adventantes. idgnarus Bossuvius, quia vi admitti posse desperaret, ingenium ad dolum vertit. itaque cum nobilibus paucis intromissus, petit à magistratu, ut militibus suis tantum transeundi copiam daret; alio enim

ducere velle. at oppidani, recte dolum suspicati, præter urbem transire posse respondebant. tandem, ubi deliberatum, id videtur, ut manipulatim transeant. ita ingresso primo manipulo, cum occludi porta deberet, reliqui omnes, impetu facto, irrupere. erant ad portam exiguæ excubiæ, nec resistere satis validæ. in his faber ferrarius quidam, vir manu promptus; quem, præ cæteris repugnantem, stricto pugione Bossuvius occidit. id quasi audendi signum esset, nobiles, qui circum, ac milites alii, in excubitores versi, portam invadunt; ac partem cædunt, partem extra urbem propellunt. deinde in obvios quosque grassati, civium pene ccc interficiunt. sexum sequiorem pro libidine habent, tam nefaria sane licentia, quamdiu urbem tenuerunt, ut felices putarentur, qui, incurfu primo cæsi, nec ærumnas patriæ suæ intueri, nec gravissimam servitutem experiri cogerentur. Hoc facinore Bossuvius, vir primariæ inter Belgas nobilitatis, satis hætenus populo gratus, omnium odia irritavit. Roterodamo sic potiti, mox Delfshaviam, paullo ante à Lumæanis occupatam, noctu invadunt, summa in victos sævitia. loco capto præsidium imponunt, & Casparum Vràam præfectum. inde pagos circumjectos populantur. Exeunte Februario, cum Ultrajectini de inexorabili Albani rigore diu regem interpellassent, ad eundem rejiciuntur; *ex equo, & bono, jus dicturum. quod ni fieret, tum de singulis iterum monerent; operamque datum iri, ne à ratione quicquam alienum paterentur.* Sed displicuit responsum, nulla spe juris obtinendi apud præfectum adeo offensum, ut nemo causam oppressorum agere auderet. Tamen, anxii supra modum, iterum in aulam mittunt, qui negotium cum quibusdam communicarent. in his Viglius, ut prudentiæ, ita moderationis clarus, indicat Albano datum successorem, Ludovicum Requesensium, ac quamprimum adfuturum. quamobrem tantisper rem differrent. Brila capta, Flissingam, Zelandiæ urbem, arce communitate statuit. itaque evocatas è Brabantia **V I I I** Hispanorum cohortes sub Osorio Angelo mittit. Iam fundamenta jacta erant; eaque re magis in se civium animos

concitavit. fed ille odia, & querelas, pariter spernens, majore præsidio rem gesturus, cum duntaxat pauci illic Belgæ essent, metatorem misit; qui Hispanis, mox venturis, hospitia curaret. id valde indignati cives; & nonnulli palam dicere: *servitutem longe pessimam sibi parari. neque ulli Belgii urbi magis arcem, militemve, gravem fore.* Advenerat paucis ante diebus Ioannes Cuyckius Herptenus; qui se passim immiscens civibus, si qui rebus novis studerent, eorum audaciam clam accendere, & ad libertatem vindicandam instigare, hortarique; *palam edicerent, non se ultra Hispanum militem recepturos. præsto esse vindicem Auriacum, cum magnis copiis, qui adversus Albani tyrannidem Belgium assereret.* nec ingrata multis oratio; qui, periculo exaggerato, viri conatum adjuvare. adeo ut tandem postridie Non. Aprileis Belgæ præsidio expellerentur. cumque eo ipso die in portum Hispani adnavigarent, orto tumultu, idem Cuyckius omnes hortari, *virtutis suæ meminissent. quod si Hispanos in urbem admitterent, de vita, & bonis, actum scirent. eiecisse semel præsidium; ideo majestatis reos, nec deinceps gratiam sperari posse. Egmondanum, Hornanumque, ob oculos ponerent; meritorum, & dignitatis, juxta claros: quorum quando ratio nulla habita esset, ne quid temere sibi promitterent.* Inter hæc verba quidam è turba, potu largiore audacior, si quis duos cerevisiæ cantharos daret, in adventantes machinam aliquam è muris urbis explosurum se pollicitus, tribus à Cuyckio florenis acceptis, rem perfecit. idque ita Hispanos perculit, ut abruptis retinaculis, vela dantes Middelburgum protinus naves dirigerent. Antonius Burgundus Capellus, provinciæ præses, ubi rem gestam intellexisset, Middelburgo illic profectus, qua auctoritate erat, coercere initia barbarum statuit. itaque populum ante curiam convocatum, vir non adeo indifertus, blandis verbis demulcere conabatur. *nihil ita præter spem sibi evenisse, quam hunc motum; cujus culpam pœnitentia eluere possent. igitur ad obsequium redirent, facili adhuc apud benignum regem venia. se promittere etiam operam, ut delictum dissimulare Albanus velit.* Et fortasse suavis verbis animos nonnullorum impulerat, quos post tumult-

tumultus temeritatem regiae potestatis aspectus percellerat. sed immixtus turbæ Cuyckius, ad astantes; *egregium*, inquit, *oratore*, *qui verborum hoc lenocinio unum id agit, ut simplicitatem vestram circumveniat.* ita irritati cum interturbarent, impetrato iterum silentio, prosequi orationem coepit. *considerarent rem presentem. ingens nimium facinus esse, urbe expellere missum praesidium; & excludere. ignorare potentiam regis; cui, si animos obstinarent, resistere nullo modo possent. neque enim impune luros. deinde vires suas expenderent. nulla belli instrumenta, nullum militem, aut stipendia, in promptu esse. ac, si essent, tamen belli incertam aleam urbes saepe potentissimas, & provincias, evertisse.* Plura conantem, iram vultu ostentantes, & verbis etiam interminati, illico urbe faceffere jubent. Inde ejectis, qui novam arcem moliebantur, initia invisit operis, quod jam quartum pedem supra terram exstabat, protinus diruunt. Mox in urbem Paciottus venit, ratus Hispanos, qui praemissi ab Albano, ab oppidanis receptos esse. simul in terram egressus esset, navem, qua vehebatur, invadunt, ac diripiunt. id, inopinatum omnino, hominem perculit; nam de rebus antea actis nil acceperat. inquirenti de Hispanis, nemo respondet. Dederat in mandatis Albanus, ut praesidio, & arci, praesset. dum autem privatam ejus instrumentum investigant, fertur inter schedarum occulta repertus index, qui designatas adhuc per Belgium caedes proderet. Eo rerum statu Cuyckium ad se magistratus vocat, & de offerenda libertate consilium rogat. isque auxilium à Lumæo petere auctor, ad ipsum missus, cum Dordracum applicuisset, è vestigio per fidum quendam tabellarium, primo Wefaliam, inde Dillemburgum, deferenda ad Auriacum tam læta rerum principia curat. tum Brilam pergens, à Flissinganis literas Lumæo tradit. qui initio difficilior, causabatur, *exiguas sibi copias esse: novitium militem, qui indies afflueret, parum adhuc armis instructum.* sed cum Cuyckius responderet, *viros daret, ipsos armatururos; submissurum, si usus foret, auxilia promisit.* nec multo post Tresslongum mittit, qui tribus navibus c c aliquot sub-

vehebat, homines templorum spolia indutos, & quibus castrolæ pro loriceis; aut similis sacrorum ornatus. quippe ea temporis istius fortuna erat, ut homines magna pars profani, impetu magis quam consilio, religionis libertatisque restauracionem per sacrilegia, ac rapinas, conarentur. sed divinae providentiæ usitatum, in illis rebus, quas sine consilio homines gerunt, sua saepe consilia ostendere. Cum ad urbem accessissent, datis armis, habitoque delectu, in praesidium recipiuntur. ac statim Tresslongus Paciottum in furcam agit, & supplicii socios duos Hispanos addit. Ægre mortem Paciottus accipere, & vitæ pretium ingens offerre. sed Tresslongus, morte fratris asperior, quem Albanus anno c I O I O L X V I I I capitis supplicio affecerat, ut injuriam ulcisceretur, nullum gratiæ locum dare. & se maxime Albanum lædere existimabat, si munitionum artificem tam insignem, belli egregium ministrum, & propinquo sanguinis nexu, tempore tam alieno eriperet. Cum ad mortem duceretur, supplex furcæ ignominiam deprecari. *nobili se prosapia natum, itaque gladii saltem honorem morituro indulgerent.* Claudius quidam, è civium numero, capti gladio latus cinxerat; & cum è scalis tam anxie supplicem eminus audiret, ratus hunc ab ipso repeti, homo facetus; *at tu, domine,* (ita contemptim Hispanos Belgæ appellabant) *secure, inquit, crucem ascende: ego illum recte servabo.* Suspenso cum detraheretur vestis, torques aureus, subter occultatus, decidit; quem Tresslongus, à Roberto Coco Nerinio quaestore redimebat. Iam alea jacta quidvis audendi pro libertate recuperanda, itaque gnari, non impune facinus fore, cuncta hosti excipiendo necessaria parant. ociusque in Germaniam ad Auriacum, in Galliam ad Ludovicum Nassovium, rerum gestarum nuntium mittunt, & auxilia simul poscunt. interim festinatis operibus, quantum pote, sese muniunt. Mox Hieronymus Tserartsius, è familia Auriaci, ejusque stabuli praefectus, à Nassovio è Gallia cum aliquot Gallorum copiis, Wallacriæ praefuturus, submittitur. & ab Anglia miles aderat. Per hæc itaque adeo illis animus crevit, ut bellum exspectare

istis

istis viribus non contenti, plus auderent; ac vicinis, qui Albani partes sequi, ipsi inferrent. Ceperant Brilani piscatores quosdam Verianos; hisque per literas libertatem sine pretio Cuyckius obtinuit; ac præterea commeatum Lumæus dedit libere exercendæ capturæ. & beneficium id, cæteris etiam piscatoribus mox indultum, adeo omnium animos flexit, ut, exuto Albani obsequio, in Auriaci fidem recipi exoptarent. quod ubi Tserartio & Cuyckio compertum, ambo Veriam, in insulæ totius armamentarium, cum militibus LX postridie Kal. Maji abeunt; ac, relicto ante portam comitatu, oppidum ingressi, à magistratu petunt, *uti se vindici libertatis Auriaco dederent; & presidium aliquod admitterent.* illoque negante, cum Tserartius discessisset, Cuyckius in hospitio remansens, convocatis, quibus pridem libertatem impetraverat, eadem vespera id efficit, ut horum opera piscatores alii persuasi oppidum promitterent. nec res differitur. Postero die, adducta ad terrorem cohorte, ipsi quoque armati, nequicquam resistente magistratu, deditioem faciunt. rebusque ex tempore ordinatis, cum præsidium non sufficeret, petitum ex Anglia supplementum virorum CXXV, quos ecclesiæ illic Belgicæ stipendio Cuyckius legit. Fama rei Albanum perculit, etsi vir prudens, atque animi ingentis, metum diffimularet. quippe domi odia provincialium noverat. foris in Germania Auriacus, in Gallia Nassovius foedera quotidie nova tractabant. ubique præludia magni motus. itaque copias sedulo parare, quas conatibus tantis opponeret: & sollicitè explorare, quid Nassovius moliretur. Amstelodami, & Enchusæ, per Boshusium naves aliquot bello instruit; ut, Mosa flumine occupato, & Lumæum coerceret, & nutantem Enchusam assereret. id oppidum, in australis freti faucibus situm, ubi objectam Frisiam habet, & in ea Staveram, olim commerciis florentissimam, qua naves Dania, & toto illo tractu, advectæ, transire debent; aditumque in fretum subiectum aperit; quia maximum belli momentum videretur, vario conatu, ac valde oblectante magistratu, ægre tandem, pronis civium studiis, Auriaco dedi-

tur, cuius jussu tradita Sonoio præfectura. isque Brema Embdam profectus, festinatis diu noctuque itineribus Enchusam ingressus, magno per viam prope Medemlacum discrimine, ne à Gallis auxiliariis interciperetur, statim rebus ordinandis animum appellit; & oppido quadrifariam tributo, excubias disponit. tum ad Auriacum nuntium mittit, & suppetias poscit, quibus reliquum borealis Hollandiæ tractum, facili adhuc per initia successu, in tanta animorum aut consternatione, aut favore, ad partes traduceret. Inde rumor, hostem molas extra urbem incendere velle, ac proditioem agitari. ideo Ioannes Coltermannus, rem exploraturus, noctu emittitur; dumque inquit quid geratur, ab excubiis vulneratur. mox, ubi tuta satis omnia, ad urbes vicinas animum applicat; ac centuriones Cabeljavium, Ruichaverium, Robolliumque, & cives aliquot, Medemlacum mittit; qui magistratui persuaderent, uti se Auriaco adjungeret. sed arcis præfectus, Cornelius Riswicus, rem impedivit. paucis tamen post diebus urbem capiunt. cumque in arcem cives fugerent, illinc vim facturi, eam oppugnaturi victores, uxores eorum, liberosque, contra in prima acie locant. quod ubi obsessis conspectum, ut occurrerent pignorum suorum periculo, deditioem statim faciunt. Deinde III Eid. Junias, etsi successu perdifficili, armatis contra se oppidanis, Hornam quoque Sonoius capit: ac mox reliquas illic urbes, Alcmariam, Edamum, Monachodamum, Purmerendam. Tum instituit præfecturas ordinare; & Medemlacum Cabeljavio, Hornam Iosuae Alveringo Hoffwegio, Alcmariam Gulielmo Mostardo, Edamum Gulielmo Gravio decernit. ipse, à Lazaro Mullero tribuno adjutus, qui advenerat cum instructa legione, quotidie cum hoste manum conferebat, quamvis irritò conatu; cum tres cohortes in Auriaci partes transfirent. Per hoc tempus Auriacus cum rege Carolo, & proceribus reformatæ religionis, per fratrem Nassovium de tyrannide Hispanorum propulsanda foedera inierat. idque Albanus non ignarus, qui cætera contemneret, maximopere verebatur. & sedulo per

per exploratores confiliorum arcana captabat. ac quamvis de milite conscribendo nulla publice fama esset, illud tamen unum Nassovius agebat, ut Albani potentiam frangeret; tanto quidem rei secreto, ut Montes Hannoniæ prius cepisse, quam Lutetia discessisse, nuntiaretur. Impulerat Carolum, ut vulgo jactatum, quod in Belgium ea ratione arma transferret, regnumque suum à belli incommodis liberaret. tum & animum commovisse putabatur injuria forori Elizabethæ facta, quæ à Philippo, cui nupserat, diu contumeliose habita, tandem etiam violenta morte sublata esset. augere offensam, quod qui Gallos, sub ductore Ribaldo militantes in terra Florida, Americæ regione, interfecissent, facinus suum impune haberent. Ita vero actum erat, ut, si bene consilia caderent, victor Carolus armorum pretium maximam Belgii partem acciperet; quæ se id cis Rhenum extenderet: Hollandia, Zelandia, Frisia, Ultrajectum, Auriaco cederent. in eam rem ipse militem in Germania legeret; Alençonius, regis Caroli fratrum minimus, cum Colinio archithalasso, ac delecta suorum manu, è Gallia impressionem faceret. hunc conatum classis quoque, Broagiis instructa, sub Philippo Stroffa, & Polinio Garda, adjutura putabatur. item in Hetruriam missus Ioannes Galeacius Fulgosius ad Cosmum Medicem; qui, Senæ suæ ab Hispano metuens, distractis per hanc occasionem ejus armis securior futurus, cæ aureorum cæ mutua daret. in Germaniam profectus Caspar Schombergius, cum Imperii principibus ad vim pariter inferendam repellendamque foedus icerat; ea lege, ut Germanicas omnes copias Friderici Palatini Septemviri filius, Ioannes Casimirus, duceret: & Christophorus, natu minor, honorarium, ordine suo & familia dignum, acciperet. idem negotium tribunus equitum Momorantius in Anglia apud reginam Elizabetham egerat; & decreta utrinque auxilia, vel si religionis causa arma forte fumerentur. Per hæc Nassovius confidentior, cum Lanovio, & Iensilio, de Montibus opprimendis deliberat. ea urbs Hannoniæ prima, augustis ædibus, curia provinciae, & antiqua arce, insignis. mœ-

nia solida, è lapide quadrato; atque in illis tures crebræ, & propugnacula. circum fossa triplex ambit. ab hac initium audendi factum, ut quantum animi ad vindicandam libertatem adferret, illustri exemplo in ipso statim principio ostenderet; & de reliquo conatus egregii successu provincialibus spem, aut conjecturam, daret. Et accesserat pridem Antonius quidam Olivarius, fecialis, pictorque; qui, cum veniam ab Albano impetrasset, cæi res Gallicas exploraturus, animum ejus sollicitaverat; assèverans, si cum copiis saltem exiguis ad urbem accederet, oppidanos amplius septingentos fore, qui se adjungerent. Igitur cum quingentis aliquot levis armaturæ equitibus, sclopetariisque mille, clam sub vesperam ad urbem venit; copiisque in silva vicina occultatis, duodecim selectos milites, casum tentaturos, emittit: qui, dissimulato habitu, ceu vinarii mercatores, idem diverforium ingressi, inter coenam hospitem rogant, quæ aperiendæ portæ hora solita. esse ipsis vini plurimum, ob solis æstum noctu advehendum. atque is, ignarus doli, quartam dicit. attamen, si maturius vellent, aliquid custodi offerrent, non gravate præversuro. ita summo mane illum accedentes, cum spe pretii portam is maturius aperuisset, hominem obtruncant, clavesque eripiunt. inde urbem è vestigio cum equitibus quinquaginta Nassovius invadens, eos per vicus disponit; ac, sicubi ostia, aut fenestras, aperiri conspicerent, illuc sclopos explodere jubet. & vociferari interim, *ne timerent, aut hostile quicquam tentarent. adesse libertatis auctores, & Auriacum in propinquo; qui decimæ tributum, gravissimasque Albani exactiones, averteret.* Id aliquot horis tam incondito clamore actum. ut vel milleni in armis esse viderentur. Urbe capta, dum sic domus obfidentur, neque reliquæ copiae procederent, ocius se Nassovius proripit, cogniturus, quid morarentur. itaque per silvam oberrantes equites I, qui singulos à tergo pedites veherent, in urbem ducit. inde curia occupata, portas claudit; ac per valium excubias statuit. tum magistratum convocatum blande affatur. *non hostem, sed amicum, venisse: ac proinde illasam urbem habituros. adventare Auriacum fratrem, cujus*

ius nomine rem tam magnam inceptasset. nihil aliud agitare, quam ut Belgium, longe pridem florentissimum, contra Albanum adjuvaret. ea oratione deliniti, se, suaque, omnes illi ultro permisere. Deinde incertis obsequii civibus arma adimit; alios consueta artificia, aut commercia, exercere per tubicinem jubet: suos proterve agere vetat. Inventa ibi arma multa, & cætera belli instrumenta; ærarium ingens. sed, ut in urbe limitanea, commeatus exiguus. gaza plurima, plurimum sacræ supellectilis, & ex auro, argentove, imagines sanctorum. quas vicina abbatia, & monasteria, fama captæ per Lumæum Brilæ territa, ceu in loco maxime tuto, asservandas deposuerant. triduo post sclopetarii CLO CLO accessere, festinantem Nassovium subsecuti. mox Iunio mense, sub Lorgeo Mongomerio, equites CLO CC, pedites CLO CCC. Eodem tempore capta à Lanovio, & Famarfio, Valentiniana. sed quod in arce præsidium erat, valide repugnare. eique suppetias ferre iussus Ioannes Mendoza, levis armaturæ præfectus, duas equitum turmas, Aldenarda evocatas, & quas Chevereaulxius colligebat copias, eo ducit. ac, armato propere tirone, pridem conscripto, sumptis ex armamentario Tornacensi armis, in arcem duo Belgarum signa introducit. reliquos in adverso collocat. utque major oppidanis, qui aspicerre inde poterant, numerus videretur, laxas, ac calones, miscet. tum, ceu Hispanicæ copiarum essent, more gentis tympana pulsare jubet. idque obsessis metum iniecit. quamobrem Famarfius, digressus pridem Montes Lanovio, cum justæ illi vires deessent, & oppidanorum studia deficerent, irruentibus præfidiariis, deserere urbem, & vi erumpere, coactus fuit. ac fugam ejus cives, animis consternati, tam frequentes sequebantur, ut in exitu, portæ angustia, plurimi obtererentur. Albano gravis Montium jactura visa, propter ingens loci momentum. & magis turbabat tam inexpectata clades. quippe Nassovium non ita pridem Lutetiæ visum, ac se pila oblectantem, per exploratores, acceperat. & nuntium cladis tam impatienter tulit, ut detractum capiti pileum, iræ

immodicus, conculcavit. Culpam in reginam matrem, Catharinam Mediceam, conferebat; stomachatus, ab Etrusca muliere se delusum; cui pro liliis Florentinis brevi Hispanicis sentes daret. Sed hanc offensam laniena Parisiensis mox placavit. Colinius, hoc initium rebus gerendis opportunum ratus, urgere vehementer regem; tam bonam occasionem invaderet, & Hispano bellum indiceret. quod, quam diu occultatum, minus strenue gereretur; timentibus è nobilitate plerisque, ne, per præliorum incerta comprehensi, pro latronibus, transfugisque, punirentur. His rationibus in speciem victus, cum initio spem fecisset, idque ad occultanda arcana consiliorum necessarium existimaret; nec indicere tamen bellum, aut Philippum regem laceffere, animus esset: ne, affectum recusatione prodens, aut offenderet, aut suspectum sese redderet; quod inter offensam, & suspicionem, medium, eximere callide tempus statuit. ac præ se ferre; nihil isto bello gratius. tamen, declinandæ invidiæ, cupere ut senatui probetur. quamobrem rogare, ut sententiam, scripto complexus, inquirendam ei proponeret; ne quid in tam gravi negotio nimis precipitanter actum homines maligni sugillarent. Ille igitur prolixas ad regem literas scribit, quibus consilii sui rationes exponit. easque rex collaudatas, ut nulla fraudis suspitione cunctaretur, Ioanni Morvillerio, viro augusti collegii principi, quem Colinio adversum sciret, serio expendendas tradit. isque acceptas mense Iunio, cum ad castrum Bononiense rex venisset, tertio ab urbe lapide, accurata oratione refutat. qua disceptatione dum res protrahitur, commeantibus ad Colinium internuntiis, qui Castellione ad Loniam erat, de deletis Ienliffi copiis nuntius fertur. Id sibi acerbum rex egregie simulare, & ad Claudium Mondulcetum, qui tunc res ejus apud Albanum procurabat, statim scribere; daret operam, ut capta eo prælio nobilitas Gallica dimitteretur: Colinium autem, qui interea, etsi præter amicorum consilium, fiduciæ plenus, in aulam venerat, in limite copias, quantas vellet, conscribere jubet. Nihil ultra bellum Belgicum Carolus jovit, perniciose Galliarum suæ simulatione, magno antea studio incitatum, Albanus, manifesto jam satis pleror-

plerorumque in Auriacum favore, rebus omnibus relictis, quamprimum Montes recuperare, & Nassovium opprimere statuit; tam egregium belli ducem coercere, sibi maxime gloriosum, cæteris omnibus terribile, ratus. Ac dum hæc in Hannonia fiunt, in Hollandia multæ indies urbes desciscunt; & tantum non sponte apertis portis Auriaci nomine præsidia recipiunt. tam gravi enim odio Albanus laborabat, etiam apud eos, quibus certum à majorum religione non discedere, ut decimæ causa rerum novarum occasionem optarent. Iam Hollandia borealis, præter Amstelodamum, tota defecerat. in australi prima Audewatra, urbs ad Iselam flumen sita, ad Auriaci partes accessit. quam XIII Kal. Julias Adrianus Switenus cum exigua manu cepit. diesque paucos commoratus, cum novas sibi copias parasset, relicto illic exiguo præsidio, cum L aut LX aliquot militibus Goudam petit. ac, per fautores porta aperta, urbem ingressus, forum occupavit. oppidani excubias in curia agebant; ex quibus cum vim tentandam quidam putans explodere in illos scloperum vellet, inhibentibus aliis, statim citra ullum sanguinem facta deditio. Switenus ductor in prima suorum acie versari, eumque sequi Vtenengius, è nobilitate Ultrajectina juvenis, & Wenceslaus Tzerclausius Hagienfis. Ducto circum curiam agmine, cum initio vix sexageni essent, pronis in patriæ causam civibus, adeo statim auxit numerus, ut mox fere ICCC essent. Convocato magistratu, in Philippo regis & Auriaci præsidis, verba singulos jurare jubet. inde ad præfectum arcis, Cornelium Mylium, Gerardum Franciscum Kegelingum, & Cornelium Reinegomium, intimos viri amicos, mittit; postulatum, *uti ad urbis securitatem ad XXV præsidarios, quos mandato Albani habebat, totidem alios à se acciperet: nisi faceret, alia necessario ausurum.* Is autem, ubi captam urbem acceperat, famulum, clam ex arce dimissum, Ultrajectum properare jusserat; qui rem illic nuntiaret, & suppetias simul posceret. sed hunc oppidani retraxerunt. Igitur initio difficilior, cunctando protrahere tempus nitebatur. at cum famulum interceptum, & vim parari intelligeret,

quamquam invitus, conditionem accepit; placuitque, ut liber omnibus accessus esset. mox cum plebs tumultuaretur; nec ultra ei præfecturam credi permetteret, ex arce in urbem commigravit. inde per ædes singulorum investigatum, quantum quisque annonæ haberet. cumque vix in solum octiduum suffectura inveniretur, missi illico mercatores, qui necessariam à Dordracenis pretio peterent. & illi, etsi adhuc Albani partes sequerentur, vicinæ urbi non gravate subvenerunt. cumque Hispani, qui Roterodami præsidium agerent, Iselæ ostium obstruxissent, appositis ad securitatem liburnicis suis, Crimpenum usque frumenti plurimum navigio devexerunt; unde Goudani, curribus impositum, porro in urbem adduxerunt. Interim necessaria omnia Switenus curare, & sacramento fidem oppidanorum obstringere, ac præsidium etiam loco ordinare. tum, ductis Leidam copiis, cum non ita pridem, missis à Sonoio Gulielmo Gravio Gandavenfi, hominem extraneum recipere magistratus nolisset, opera Pauli Busii syndici, aliorumque civium, statim admissus, Ioannem Eilofium Groningensem cum cohorte urbi imponit. Dordraceni, jam dudum affectus in Auriacum proni, quia impetu quorundam præcipitata consilia infeliciter cecidissent, palam ejus partes amplecti hactenus distulerant. sed hoc rerum statu non ultra deferendam remp. rati, advocato Bartholemæo Entesio, qui in propinquo sub Lumæi auspiciis cum bellicis aliquot navibus agebat, VIII Kal. Julias Albanum hostem renuntiant. statimque iis ab Auriaco Ioannes Hornanus Boxtelius, cui etiam comitatus Burani, Lederdami, Bredæ, & Iselsteinii cura commissa, præfectus destinatur. paullo post Harlemum quoque ad partes venit, Gulielmi Berkerodii, Ioannis Coltermanni, & Petri Kiefii, insigni opera. illi enim cum mandata ab Auriaco ostendissent, restare initio magistratus, & deliberationem petere; qua negata, cum civium studia animadverterent, hisce legibus urbem dedunt, *ut sacramentum, Philippo olim, & Auriaco præsidis, datum, ne mutarent; magistratu, saltem ad Auriaci adventum, nemo amoveretur.* Albanus vero hostis publicus

publicus haberetur, cunctis vita, ac facultates, salva essent. clero, aut monasteriis, nulla vis fieret. milesque nullus, extra Ruichaverii cohortem, nisi arbitrio magistratus, urbi imponeretur. Tam fausta foederatorum initia Gorcomium auxit, & se quoque VI Kal. Julias dedit. atque arce per vim expugnata, ejus praefectum cum uxore ac filia captum Brilam abduxerunt. inde, dilapso per metum praesidio, castrum Lovestonium capitur; & per noctem oppressa Liefveltia. tandem Schonhovia, & Woerda quoque, armis Lumæi cedunt. jamque Hollandia tota in Auriaci partes transierat, nec praeter unum Amstelodamum quicquam restabat. id in Albani obsequio perstitit, ægre avulsum anno demum LXXVII. Dum hæc in Hollandia à Lumæo geruntur, Gulielmus Bergensis, Auriaci affinis, in vicina Gelria sumptis armis comitatum Zutphanensem invadit. & cum passim sine praesidio oppida essent, plurima cepit. inter hæc Zutphaniam ipsam, Dotecomium, & Dusburgum. in Velavia ejus legatus, Zacharias Glisenbergius, Harderwicum VII Eid. Julias cepit. moxque etiam Herenbergam, Hattenum, Elburgum; in Tubantibus Oldensaliam, Goriamque. Per hæc Bergensis, ubi lætum consiliorum eventum, & propensa populi studia, comperisset, occasione utendum ratus, in ditione Transiselana Campos obsedit. eam in rem missa à Sonoio auxilia, & triremes item septem. cives nonnulli cum Andrea Arlerio pacti erant, urbem sese dedituros, simul cum copiis Auriacus adesset: & effectum horum opera, ut deditio promissa fieret. Swolla, Hasseltum, & Stenwica, exemplum fecit. etiam Gelmuda, ac Vollenhovia. arx Tautenburgum per centurionem, à Sonoio missum, capitur. mox, translatis in Ultrajectinam dioecesin armis, Amersfortia occupatur; unde excursionibus crebris totam ditionem infestant, sæpe ab ipsis Ultrajectinæ urbis portis abducta præda. Postquam autem pars magna Gelriæ etiam defecit, odio Albani, sive foederatorum armis; in Frisiam quoque occidentalē transitum est. ibi Doco Martina cum nobilitate profuga de occupanda Leovardia, provinciae metropoli, consilium ceperat.

& mandatum id, ab Auriaco acceptum, exequi hæcenus non potuerat. nunc autem opportunum ratus, à Sonoio, Hollandiæ borealis praefecto, cohortes quatuor quinque poscit. sed is, quia missis jam Bergensi auxiliis, & variis praesidiis, copias detraxerat, unicam tantum Frisiorum cohortem, Holzone Buma ductore, submit. Bergensis autem Nederwormterium, Frisiae agrique Groningensis praefectum, supplere defectum jussit. isque, centurionibus aliquot constitutis, brevi cohortes tres quatuorve comparavit; ac cum iis Cundertam aggressus, diffugientibus Belgis, qui in praesidio, sine negotio occupavit. quo successu auctis animis, inde in Frisiam perrexerunt. Hiergius, quem in Frisiae praefectura Megensi successorem Albanus dederat, Arnhemii in Gelria morabatur. & ab Auriaco, qui cum magno tunc exercitu illuc venerat, plurimasque urbes ceperat, obsessis viis, praefectura excludebatur. quamobrem Casparum Roblesium Billium Lusitanum, qui Groningam cum legione Belgica tenebat, Leovardienses, ut provinciae laboranti subveniret, datis literis, evocarunt. isque postquam advenisset, in primis urbem communivit; & mutato arcis praesidio, pro Germanis Gallos imposuit. in Harlingæ ac Staveræ arces è legione sua lectos misit. Wilhusium venerat Adolphus Holsatus, qui Albani jussu militem auxiliarem collegerat; & stipendii inopia, cum ulterius progredi non posset, destinatum sibi ab Albano pecuniam submitti postulabat. ac quando, loci intervallo, consuli absens Albanus minime posset, & periculum mora longior allatura videretur, è Megensis thesauro, qui in arce asservabatur, mutua sumere 19 florenorum c10 placuit; ex pecunia, ab Albano assignata, mox refundenda. sed cum illic vix v c 10 reperirentur, reliquum aliunde suffectum est. Iam animi alieni signum Sneca dederat; ac timeri, ne in novas etiam partes inclinaret. placuit ergo ut animos Billius exploraret, aliquid fortasse viri auctoritate valitura. isque cum curiae senatore Petro Fritema, eo profectus, intromitti postulavit; de affectu oppidanorum conjecturam hinc facturus. Et praemissus Fritema, ut eventum tentaret.

taret. ex quo cum mox Billium adfuturum acciperent, clausis portis, armati in moenia prorumpentes, saltem cum domesticis recipi postulantem rejecerunt. quin auditæ voces quorundam, qui sclopeta minarentur. Fritema, ut dimitteretur, vix blanditiis impetravit. Per id tempus, ambigua etiam Bolswerdiæ fide, ut experiretur Billius, literis benigne scriptis, percunctatur; *an non in tutelam urbis aliquod presidium cuperent.* sed illi eadem humanitate viro respondent; *gratam sibi pro salute publica curam, cæterum presidio opus non esse. curaturos, ne quid detrimenti caperent.* hoc responso satis manifestus affectus. tum de Franekera etiam laboratum; sed nec quemquam eo mittere, aut literas dare, visum fuit, antequam ipsorum Leovardensium studia cognoscerent. iccirco decretum, ut exquirerent, an in fide erga regem oppidani permanerent. inde in urbem annona plurima, & commeatus belli illatus: edictumque, ut quicquid in subjectis agris; aut monasteriis, abbatibus, esculentum, id in urbem comportarent. & consulibus mandatum, ut quos civium minus certa fide scirent, eorum nomina exhiberent. tum, repetito sacramento, arma omnibus imperata; additæque cohortes quinque Germanorum. quibus ut stipendium esset, senatorum collegio, & ditissimis aliquot provinciæ nobilibus, **VI** florenorum **C I O** indicta: eique continuando conscripti provinciæ delegati, indictionem recusarunt. *nimum haecenus impensa fuisse; ac supra tributum ordinarium, pro quo regis ad provinciam defendendam obstricta fides. extra ordinem quinque prius, mox sex etiam **C I O** dedisse. inde, honorarii vicem, **CXXVIII C I O**.* cumque publica necessitas obtenderetur, nihil minus pernegarunt. *neque rem in sua potestate esse, plenis comitiis pertractandam. hoc tamen anniti velle, ut, provinciæ quiete constituta, in cohortium quinque stipendium, quas parassent, **XXIV C I O** curarentur.* Porro cives quinquaginta, obsequii invites, aut incertos, ejecerunt; ultimum supplicium comminati, si redire, præter curiæ voluntatem, unquam auderent. Sneconi, legato excluso, certi offensæ, ne annona deesset laborarunt. itaque è vicinis abbatibus, ac

monasteriis, vi abreptam in urbem transfulerunt. nec multo post à fœderatis præsidium admiserunt. & exemplum mox secuti Bolswerdiani Nederwormterium advocarunt. tum Doccomium, auctis per hæc copiis, invaserunt. Erant in præsidio urbis Belgæ aliquot, & hostibus facile superiores, nisi cives conspirassent. ii fortiter repugnantes, è fenestris ædium suarum sclopis terga ferire aggressi, incusso metu, in fugam propulerunt. atque ita in victoris potestatem urbs venit. sed homines militiae ignari, & qui per tumultum arma sumpserant, nec timere hostem didicerant, neglectis excubiis, mox iterum à victis per noctem oppressi, nullo adhuc victoriæ fructu, urbem amiserunt. ac interfecti fere quinquaginta. cæteros tenebræ eripuerunt. Victores irati recentem contumeliam rapina, & incendio, vindicant. &, quia munitionem adjuvare rustici pridem recusassent, in pagos quoque proximos sæviunt. Adjunxerant se fœderatis nobiles ejus provinciæ plurimi. inter eos, Doco Martina, Sidius Botnia, Titius Hottinga, Siffridus Galama, Petrus Camminga, Augustinus Oetsma, aliique; quibus cognita locorum regio, & occulta civium multorum in nonnullis urbibus studia. Eorum opera ad australe fretum Stavera, Enchusam adversam spectans, occupatur. verum arcem è legione Billii Belgæ tenuerunt. quam obsidentes tormenta admove, Sneca, Bolswerdia, & Franekera advecta. & auxilia à Sonoio missa. Dum ita arcte obsidentur, afflicta valetudine Billius, convocato ad se senatu, *momentum loci, & necessitatem obsessorum,* repræsentat; simulque hortatur, *ne tam egregiam militum fortissimorum fidem, ac virtutem, desererent. sibi auxilia præsto esse. sed, educto per hanc rerum necessitatem presidio, absente ipso operam darent, ne quod urbi incommodum eveniret. tum etiam docerent, qua via tutissime militem duceret.* Igitur placuit, uti copie per legatum quidem Coudomam, aut Bolcam, navigio subveherentur; ipse autem, urbe ne exiret. id neque morbum ejus ferre, nec civilis prudentiæ legem. per belli incerta, si quid accidat adversum, gravius multo periculum fore. in ejus capite salutis publicæ summam verti. quam-

obrem missæ quinque cohortes Belgarum, duæ Germanorum, adventu inexpectato adeo obsessores terruerunt, ut majores longe copias adventasse existimantes, turpi fuga arcem simul, urbemque, desererent. Postea cum se ad Galedamum collegissent, iterum irruentes hostes, cæsis centum quinquaginta, reliquos dissiparunt. Coudomam autem, quo confugerant, populati, idem Staveræ mox fecerunt; ac deinde, igne injecto, exusserunt. machinas captivas in arcem liberatam transtulerunt. atque ita cum ingenti præda læti Leovardiam redierunt. Interim annonæ caritas Leovardienses premere, coactis rusticis circumjectis frumentum omne in foederatorum urbes convehere. quamobrem Billius Franekeram inopinato invadere statuit; aut, si consilium non successisset, Berlicomium, opportunum situ pagum, opere, & præsidio, communire. inde Biltam copias ducere, & quicquid illic frumenti esset, Leovardiam devehendum accurare. Igitur noctu cum cohortibus quinque egressus, alias Harlinga accedere jubet, statuta hora ab una urbis parte arma concitaturus, ut, seductis illuc præsidariis, ab altera facilius irruptio esset. sed, obseptis itineribus, cum conatu excidisset, ad Angumam, Berlicomium, & Lidlumam, castra metatus, loca opere festinato munit. utque incommodum Franekeranis aliquod daret, opplere fossam Sneccanam jubet. Circa id tempus cum cohortibus VIIII Germanicis in Frisiam Iustus Schouwenburgicus venit, ab Auriaco præses provinciae, ac Groningæ, agrique Groningani, destinatus. Posito vero Franekeræ domicilio, multa à Nederwormterio statuta immutavit. Deinde curiam juri dicendo novam instituit, ad quam Sneca, Bolswerdia, aliaque loca, quæ foederatorum partes amplexa, pertinerent. Varie utrinque velitatum est; & pagi aliquot, monasteriaque, prædæ obnoxia, armis, & flamma, deleta. Albano autem undique nuntii minus grati perferuntur; quibus etsi angeretur, egregie tamen curas dissimulat. Vexabat animum successoris cogitatio, cui se, ut pridem jactaverat, tranquillam provinciam tradere posse desperabat. insuper de Galliarum rege, ac regina matre, querebatur;

à quibus Nassovio clam auxilia destinata, aut permissa. neque aliunde magis sibi metuebat. itaque inprimis obsidere Montes statuit, antequam plures copiae accederent, aut Auriacus cum exercitu adveniret. tunc enim vires, adhuc integras varie distractum iri. quamobrem, conscriptis tribus legionibus Belgicis, Fridericum Filium cum IV CLIO peditum, cccc equitibus, obsidioni inchoandæ præmittit; ipse, simul res alias ordinasset, cum copiis majoribus secuturus. & is Julio desinente profectus, proximum urbi monasterium Bethlehemum statim occupat, atque adversus vim communit. oppidani, nihil terri, urbem seque hosti excipiendo parant. Premebat Albanum ærarii angustia. nam & plurimum Hispanis debebat, quorum jam militia uti cogebatur. insuper copiis novis opus: neque decimæ, aut vicesimæ, spes supererat. quamobrem, quod temporis ratio posceret, invidiosum nimis tributum differre statuit; dum, qui in Hispaniam missi à provinciarum Ordinibus, in impetranda indulgentia laborarent. utque animos alienos demulceret, remittere decimam, ac vicesimam, velle edixit; dum modo alias rationes pecuniæ colligendæ ostenderent. idque etiam Hollandiæ Ordinibus Bossuvium præsidem proponere jussit. & seorsim ad eos quoque literas dedit, quibus in VXIII Kal. Sext. comitia Hagæ habenda indiceret. Sed eo jam illic loco res erant, ut mandatum contemneretur. tamen in præscriptum diem Dordraci, in primaria Hollandiæ urbe, conventum ordinant; ubi de rep. deinceps administranda decernerent. ejus rei Auriacum certiores faciunt; & legatum, qui interfuit, mitti postulant. ubi præscriptus dies illuxit, convenere ad libertatem vindicandam ex equestri ordine Iacobus Wingardus, & Arnoldus Duvordius, Lumæi legatus. ex urbibus delegatos miserunt Dordracum, Harlemum, Leida, Gouda, Gorcomium, Alcmaria, Oudewatra, Horna, Enchusa, Medemlacum, Edamum, & Monachodamum. reliquis voluntas, vel audacia, defuit. Interim in Hispania res decreta. & post longam supplicationem facta tandem indulgentia. Hopperusque

rusque convocatis regis nomine hæc denuntiat; ita eum erga Belgium affectum esse, ut privati commodi causa nihil unquam intenterit. sed hoc tantum voluisse, ut resp. illis quieta, ac religio salva maneret. id persuasum omnino habere; semper Ordinis, fidei atque obsequii præclaros, in rebus omnibus, & consiliis, Dei gloriam, publicamque utilitatem, spectavisse. quamquam autem in responso decime, vicissimæque, indulgentia non diserte exprimeretur, hanc sententiam esse tamen. involucro ideo usus, ut apud subditos ipsi majestas, legato auctoritas, integra esset. Post hæc verba, qui curandæ rei missi, pro affectu tam benigno magnas sese regi gratias agere dicunt; idque reduces apud Ordines testaturos. Iam Auriacus justas copias comparaverat, in tres menses auctoratas, aut quam diu usus foret; ea militiæ conditione, ut, quia pecunia in stipendium non sufficeret, pignoris vicem urbes acciperent, quibus solvenda assignaretur. Collegerat peditum millia quindecim, equitum septem. cum his se Nassovio fratri adungere animus erat. ac quandoquidem Hollandiæ Ordines ad destinata in medium Iulium comitia legatum postulassent, Philippum Marnixium Sancto-Aldegondium mittit, multa rerum peritia virum, qui consilia adjuvaret. is cum xv Kal. Sext. advenisset, postridie, mandatis exhibitis, ita Ordines alloquutus est. Satis Auriaco, à quo missus, cognitum pridem ipsorum affectum; & nunc re manifestum esse, quando tanta animi constantia cum ipso, legitimo provinciæ præside, se Albanis opponerent, ad vindicandam patriæ libertatem, quæ oppressa aliquot jam annos ab Hispanis; quorum libidini, aut sevitia, necdum adhuc factum satis. orare vero, tam præclaram voluntatem ne mutarent. egregia semper erga Belgium fide fuisse, ac Hollandiam potissimum, & ceteras curæ suæ provincias. eam ob rem doluisse vehementer, tam immania dudum passas. neque in votis magis quicquam habuisse, quam ut felicitatem antiquam restaurare aliquando posset. ideoque non labori, aut impensa, pepercisse. quin triennium nunc esse, cum, exercitu collecto, meliore animo, quam fortuna, vindicare libertatem publicam tentasset. ex qua clade quicquid facultatum reliquum, nunc postremum patriæ impendere. nec de libertatis studio quicquam per successum adversum decessisse, eundem illi animum mansisse, qui huc usque per consilia ista inquit continere se non poterit, quin, paratis denuo copiis, virtute invitata, iterum eventum tentaret. quando autem, tam diu oppressi, revocassent animi antiquum robur, hostemque Albanum pronuntiassent; nihil prius habuisse, quam ut porro spiritus tam generosos incitaret, & auxilium postulantibus præstaret. ac tam bonæ voluntati cum, exhausto patrimonio, vires minime responderent, promissumque ab ipsis esset, si exercitum modo adduceret, se stipendia curaturos, id nunc tempus esse scirent. in promptu militem, sed ea conditione lectum, ut, priusquam moveret, prioris trimestris stipendium acciperet. aut, si fieri id non posset, saltem unius mensis darent, de cætero vel nonnulli principes, vel quædam Belgii urbes, caverent. Horum prius impossibile; alterum difficile omnino, neque utile. namque si ad Gallie regem, aut reginam Angliæ irent, periculum esse, ne obnoxias ista ratione provincias sibi subjicerent: quippe illos, nisi oppigneratis urbibus, ne teruntium expensuros. itaque apertum aditum iri, ægre postea possessa dudum loca relicturis. idque exemplis manifestum. igitur aliud nil restare, quam ut urbes aliquot fidem apud duces, & turmerchas, interponant: insuper c aureorum cIo statim expediant. hæc ab Auriaco exponere jussum; & sperare, pro affectu in remp. quam imprimis salvam cuperent, non gravate concessuros. Quamobrem, quia urgeret necessitas, & maturato opus foret, illico decretum, ut c illa aureorum cIo, à nonnullis ditioribus, reliquisque provincialibus, mutua peterentur: & corrogaretur quicquid auri, argente, aut cæteri mundi, quisque haberet. tum tributa ordinaria quæstores tradere juberentur, etiam deinceps continuanda, & invitis imperanda. item redditus templorum, monasteriorum, aut collegiorum; & quæ præterea ornamento magis, quam usui, occuparentur. deinde, ut pro stipendio cætero urbes caverent, convenerunt. Posthæc Aldegondius alia quoque mandata exhibet; ad quæ Ordines respondent: Auriacum se Hollandiæ, Zelandiæ, Westfrisiæ, & Ultrajectinæ ditionis præsidem agnoscere, qualem olim rex statuisset. & apud Ordines aliarum provinciarum annisuros, ut, rege absente, præsidem ac patronum acciperent, ceu præcipuum Belgii principem, atque ad tutelam ejus jure, ac sacramento, obstrictum. ut autem navalis belli ratio

corrigeretur, omnis ei potestas traderetur;isque, invito, Ordines quicquam; neque Auriacum, ex auctoritate omnibus, summum maris praefectum, poneret, de consilio urbium maritimarum centuriones novos lecturum. cumque in praedam haecenus miles arma sua habuisset, nunc stipendium poneretur. ac constituerentur item, qui de rebus maritimis cognoscerent. Tum ad Lumæum magistratus Dordracenus, Leidenfis, & Enchufanus, ablegantur; qui militiam terrestrem ordinarent, & licentiam lege adstringerent, ne deinceps provinciales vexarentur. Placuit etiam archiva aperiri, quæ in arce Goudana. & privilegia inspicere; reliquaque libertatis instrumenta, ad Hollandiam pertinentia: & in indicem referri, ac describi, distribuique magistratibus, ut secundum ea deinceps respublica administraretur. Hoc negotium, sed Auriaco prius consulto, & permittente, ex ordine equestri, Ianus Doufa Nordovicus, vir ingenio & litteris excellens; ex urbibus, singuli destinati suscipere jubentur. Visum & a Lumæo petere, daret ante omnia operam, ne quid camera rationum, commentariorum, ordinum, curiaeve actuarii, turbarentur; deinde instrumenta, omnia reip. maximopere necessaria, studiose asservarentur. Inde foedus mutua fide utrinque initum: neque Auriaco inconsulto, aut

præter Ordinum voluntatem, cum ipso rege, ejusve legatis, de rep. pacanda acturum. Eam in rem, fidei symbolum, datae dextræ; & Aldegondius pro Auriaco, à quo legatus, juramento se obstrinxit. Decretum porro, uti alias quoque urbes, scriptis literis, ad commune patriæ liberandæ foedus invitarent; quod quia vicini Delphi recusarent, mandatum Leidensibus, urbis situ opportunis, ut navigia Waterlandiâ prohiberent. Amstelodamum quod attineret, Auriacus à Daniæ rege, urbibusque Hanseaticis, Ordinum Hollandiæ nomine peteret, quando publica libertati adversa esset, ne quæ ei in posterum merces subveherentur: ac Hornam potius, aut Enchufam, urbesque proximas; vel Dordracum, ubi par commoditas foret, per Mosam flumen, transferrentur. Porro exponit Aldegondius, placere Auriaco, ut religio libera esset; publiceque in iis locis, quæ decerneret magistratus, sine turbis exerceretur: clericis autem nemo vim, injuriamve ullam faceret, nisi forte contra rem niterentur. Inter hæc Lumæus venit, & provinciæ præfecturam ab Auriaco sibi mandatam in comitiis exponit. cumque literas protulisset, lectis iis, ex præscripto obiturum, admittere placuit.



I O A N N I S M E V R S I
 G V L I E L M I
 A V R I A C I
 L I B E R V I I .



Sic arma sub Auriaco præside pro libertate Hollandia sumpsit. & Zelandiæ quoque bona pars Albanum pro hoste habere. jamque audendi initium Flissingani fecerant; quibus, misso in auxilium Tserartsio, aucta virtus: adeo, ut, infestis signis Middelburgum contendentes, hostem ultro provocarent. cumque is prælium detrectaret, neque tutum obsidere putaretur, retrogressi, se per vicos distribuerunt, arcemque Souburgum, non procul Flissinga, occuparunt. mox autem Middelburgenses, ne timuisse viderentur, Souburgum versus nocte intempesta copias, machinasque, ducunt. In præsidio Galli erant, qui in hostem animose erumpentes, fortiterque repulsi, cum suppetias Flissingani frustra duplici velitatione tentassent, arcem deserunt. quam Hispanus occupatam, repetentibus Flissinganis, cum defendi posse desperaret, iterum dedit. Crescere illis indies copiarum, & per eas animi robur. itaque mari bellum instruunt. & Antverpiam profectus Theobaldus Worstius, pulverem tormentarium, quæque præterea bello necessaria, clanculum emit. nec multo post, cum insignis è Lusitania classis adveheretur, mercibus plurimis pretiosis auroque onusta, turbarum ignara, & mutationis, vi aggressi naves exonerant; mercibusque distractis, ingentem inde pecuniam contrahunt, atque in suos usus applicant. tum ut Middelburgum subigerent, urbem insulæ Walacriæ primam, liburnicis exstructis, commeatum prohibere conantur. jamque naves centum quinquaginta armaverant, quibus mare obsidebant. & infestis valde animis decertabant. utque Albanus, nullo personarum discrimine, milites, cives, mercatores, ceu perduelles, supplicio extremo afficiebat: ita illi, quemcumque Hispanicum capiebant, statim in crucem sublimem agebant; neque ullum vitæ pretium capiebant. cumque plures captivi essent, binos, colligatis brachiis, in subjectum urbi mare è propugnaculo præcipitabant. indigna quidem illa sævitia, sed exemplo irritata. Veriæ cum postridie Non. Jun. epulum magistratus haberet, in templum irruentes quidam præfidiarii, imagines sacras, & altaria, hæctenus illæsa, subito impetu confregerunt. dein progressi in chorum templi, in equitum aurei velleris insignia, illic suspensa, idem ausi. cum res ad Tserartsium deferretur, ille, ut intererat epulo, accendente iram vino, statim ad templum se proripiens, stricto gladio duos improvisus occidit; porro alios occisurus, nisi intercedentes quidam impetum viri cohibuissent. Id ubi cætero præsidio gnarum, adeo omnium animos offendit, ut cum armis ante ædes convenirent; pontificium, ac latronem, per convitium appellantes: & facturi erant paria, ni Rolæus, prætor urbis, Herptiusque, motum sedassent. ac profecto ex eo tempore invisus militibus, tandem quoque per tumultum interficitur. Flissingani, distractis classis Lusitanæ mercibus, Anglicanos ad se mercatores plures, militesque, pertraxerunt; qui militiam, luculenta spe stipendii, quæritare. itaque, auctis valde copiis, vicinæ Flandriæ arma inferre statuerunt; Ostburgoque, & Ardemburgo, occupatis, dedere se Brugenses jubent. verum illi, quia nondum satis bene res ipsorum constitutas, & momenti ad hæc parum in militia tumultuaria existimarent, etsi inclinarent aliqui, tamen motum nullum audebant. quare, frustra hic conati, in templa, & monasteria proxima, arma vertunt. inde Gandavum progressi, cum neque il-

CIO IO
LXXII.

lic res feliciter successisset, veriti ne interciperentur, in Walacriam revertuntur. Ioannes Cerda Medinacælius, Albano à rege successor datus, cum bis mille Hispanorum novis copiis jam in Belgium adventabat. id ubi Flissinganis cognitum, Balduinus Eobaldus, Ioannes Morus, alique, circa Flandriæ oram invadunt. Necdum Cerda intellexerat, tantam Auriaco classem esse; ideoque negligentior, hosti se obnoxium fecerat. Naves ipsi quinquaginta quatuor erant. ex his viginti sex majores, Belgis ereptæ: minores reliquæ, quas Assabres Cantabri dicunt. Has adorti magno impetu, facile superant, fugantque. & ex majoribus vix tres salvæ. Cerda cum minoribus aliquot, vix elapsus, Slusam appulit. alii Rammekenum, & inde Middeburgum, evaserunt. victoribus ingens præda obtigit; in auro argenteo signato, ducenta aureorum millia: in mercibus, quingenta millia æstimata. Slusa Cerda Brugas abiit; hinc Bruxellas, ad Albanum; inausulto per principia augurio minus avidus destinatæ præfecturæ: quam mox etiam deprecatus, in Hispaniam recessit. quippe vir Albano dissimilis, & prudens rerum æstimator, qui turbatis bello provinciiis non sine opprobrio decessurum animadvertibat, alienæ culpæ, quam corrigere non posset, suam existimationem involvere inconsultum arbitrari. Tamen naves Cantabricas xx bello parat; & Machlinia tormenta ænea XXI, currusque aliquot, cum pilis, ac pulvere nitrato, mittit: quæ, in Flandria occupata, Flissingani in suum armamentarium transferunt. inde aliis submissis instructæ naves, ferente vento Slusa Rammekenum devehuntur, tribus ex his in itinere interceptis. hic cum essent, arcis præsidio, ut putabant, satis tutæ; Theobaldus Worstius, vir promptæ audaciæ, vi aggressus, nequicquam arcis præsidiariis propugnantibus, omnes capit, incenditque. milites plurimi trucidati, pauci nantes evasere. hoc successu, ut in rebus lætis solet, crevit animus Flissinganis, placuitque porro fortunam experiri. Est in propinquo Zuitbevelandia, & Tergoesa, insulæ metropolis; inque ea etiam aliquot clam amici. Igitur, cum prius frustra in Flandriam conati essent, ad

hanc occupandam tendunt. Tserartsius cohortes aliquot, cum duabus machinis bellicis, navibus imponit. cumque in insulam appulissent, præmissis in proximum pagum Gallis, & excubiis oppressis, reliquum militem obtruncare destinaverat. verum illi, cognito adesse hostem, per tenebras in urbem evaserunt. ad quam cum adductis copiis deditioem postularer, ac rejicerent oppidani, ut portam convelleret, tormenta admovit. sed, laboris sui irritus, neque satis ad obsidionem instructus, faucibus paucis, retro cessit. discedentem erumpentes præsidiarii sequebantur, ut postremum agmen carperent; at, composito recte agmine incedentem, nihil lædere potuerunt. Animus Tserartsius erat, donec necessaria mox submitterentur, eminens obsidionem facere. sed rumore de adventu Friderici Toletani, qui Antverpia magnas copias falso ducere ferebatur, consternatus; metu potius, quam periculo, insula excessit. Illud vero adeo ingratum Flissinganis, ut redeunti portam occluderent, & eventum imputarent. Hinc per vicus circumjectos palans miles licentius agere; donec, re composita, & stipendio numerato, in urbem admiffus, ad tentandam iterum obsidionem emitteretur. tunc, ut certius res succederet, petitis à Lumæo auxiliis, cum tormentis bellicis novem, aliisque obsidionis instrumentis, insulam repetit. cumque in illam exscendisset, atque ad urbem advenisset, ducto circum castra vallo, tormenta collocat. Erat ea situ magis, quam opere, munita; & præsidiarii Galli, Hispanique, octingenti tuebantur, sub præfecto Isidoro Pacioco; qui, virtutis egregius, animum ad defensionem obfirmabat, & Albanum rerum suarum certum fecerat. Obsessores, verberatis diu muris, media nocte impetum in ruinam faciunt, fortiterque repelluntur. dumque ab una parte id fieret, & præsidium distraheretur, ab altera, conscenso muro, à tergo opprimere propugnantes destinatum. sed hoc, scalis brevioribus, frustra fuit. sic fortuna hostium virtutem juvit. Iam septima hebdomas agebatur, & obsessis deerant multa; cum de urbe liberanda mox Antverpiæ consultatur. idque per aquas, si maturarent, obsessa navibus belli-

bellicis insula, perdifficile censebatur: si differrent, periculum erat, ne, fractis animis, aut virtute fatigata, praesidiarii sese dederent. Mondragonius, vir animi ingentis, tentare, aqua recedente, liberationem statuit. quippe olim juncta continenti insula, cum dirempta inundatione esset, vadum reliquerat. id quia exploratum ipsi, etsi magno intervallo, & trium annium concurrentium profundo alveo, transitus periculosus videretur, tamen discrimen contempsit. Igitur gnarus, quantum apud militum animos exemplum ductoris posset, ne quid caeteri re insolita trepidarent, omnium primus vadum ingreditur. & transgressus, ix tantum desideratis, quos errantes interjecti amnes hauserant, excitationis ignibus, Avilae felicem transitum, & obfesso Pacieco adventum indicat. tum madido, & defesso, militi dat reficiendi tempus; quo si eum obfessores invasissent, in proclivi victoria erat; & post eam urbis deditio. sed id neglectum tanta cum securitate, ut initio ad famam rei ludos facerent. postea autem, cognito transmississe hostem, & ad quartum tantum miliare abesse, derelicta obsidione, in fugam effusi, adeo trepide naves petunt, ut tormenta vix abducerent. plurimique impedimentis desertis, dum inconsiderate properant, fluctibus merfi, indigna viris morte pereunt. ac secutus fugientes Paciecus, cum militibus quadringentis, a Mondragonio submissis, Porresio, Balleio, & Salvaterra ducibus, magnam in extremo agmine stragem edit. deletique universim I o c c c. Hujus cladis tanta omnium offensa fuit, ut Tserartium passim proditorem dicerent, quod convitiu cum non ferret, abdicata praefectura, ad Auriacum se recepit. & ut culpam removeret, duello, aut jure, decus suum tueri velle praese tulit. tum libello quoque edito quoscunque accusatores provocans, sistere se intra mensem jubet, coram Auriaco causam dicturus. ac quantumvis nemo quidem compareret, tamen odium, aut calumnia, non cessare. In Hollandia Hispani Roterodamum adhuc tenebant. cumque annonam urbes vicine, Auriaci partes amplexae, interciperent, penuria pressi, Amstelodamo petere statuunt. Igitur Ro-

dericus Sapata, a Ferdinando Toletano ^{cid to} Haga missus, assumpto Ioanne Cepeda, ^{LXXII.} cum delecta ccc manu, & carrorum magno numero, Delphos Hagamque praetergressi, Scevelingam, pagum Oceano adjacentem, acie instructa iter capit. inde juxta littus ducens, & Harlemum propter transiens, occupato Sparnodamo, ubi Robolium ductorem capit, Amstelodamum pervenit. ibique frumento conquisto, eadem via retrogressus, Roterodamum illaesus rediit. In reditu pauci, milites pariter atque agricolae, turba plane tumultuaria, & armorum imperita, prope Catwicum, tormentis minoribus duobus adductis, & lorica tenui adeo excitata, temere se objicere ausi, turpiter mox, conspecto hoste, difugerunt. Albanus, qui suarum rerum omne momentum in Montibus poneret, urgere valde obsidionem; & ex Hollandia reliquas copias advocare. Itaque Roterodamo etiam, & Delfshavia, mense Julio deducta praesidia. quod Switeno, urbis Goudanae praefecto, Ienninus Rivius, urbi a secretis, statim per literas indicavit; simul obtestans, *daret operam, ut clementer boni cives, gravia ab Hispanis passi, haberentur.* Is porro ad Lumaeum scripsit; qui non multo post urbem vacuum occupavit. Sub hoc tempus parum abfuit, quin Harlemum proderetur, obnoxium insidiis, propter vicinum Amstelodamum, quod in fide Albani manserat. Praetor urbis epulum aliquod instituerat, eoque etiam magistratum advocaverat. & Ioannes Coltermanus, etsi invitus, interesse. dum convivium est, hora decima vespertina accensus quidam esse ad portam Gravium nuntiat, intromitti cupientem. consul Theodorus Rampius ire in curiam hominem jubet, sub pulvillo indicato, portae aperiendae, claves inventurum illud, nisi se praesente, factum iri Coltermannus cum negaret, vix dimissus, Gravium, intra urbem admissum, in diversorium deducit. inde excubias lustraturus, in portis Sparwoudana simul & Schalcovicana, qui excubaret, unum tantum apprehendit. & haec quidem aperta erat; ac cohortes a Bossuvio quinque missae adventabant, uti urbem occuparent. fecissentque, si ad horam praestitutam adfuissent. qua neglecta, casus eam, & Coltermanni virtus,

tus, fervavit. quippe is portam, excitatis civium proximis, statim occludere; & cohortem Ruichaverii advocare. itaque exclusi Hispani Sparnodamum recesserunt. Postridie vero convocato magistratu, Coltermannus cum Berckenrodio & Kiesio collegis intervenit, confirmandis civium animis, eo magis perturbatis, quod eodem forte tempore Rodericus Sapata, qui cum cohorte Hispanica Haga advenerat, prope urbem ad australem portam esset. Visum autem, ut Enchusam Coltermannus ad Sonoium, auxilii petendi, proficisceretur; & Switenum Berckenrodus, literis datis, cohortem unam mitti rogaret. Ac Coltermannus, ubi ad Sonoium venit, auxilia obtinuit: missique suppetias milites 1000, sub ductoribus Lazaro Mullero, ac Cornelio Everdingo. hisque se, præclaro in patriam affectu, cives multi Alcmariani, & Hornani, sponte sua adjunxere. qui cum Bevervicum usque pervenissent, ad secundum Harlemo lapidem, Hispanos Haga cum Hollandicis senatoribus, & magistris rationum, commentariis, omnibusque instrumentis, ac supellectile, prope urbem accessisse nuntiatur. quare ocius à Sonoio copias majores petunt. isque recens è Transifelania acceptas, collectasque à Zacharia Glisenbergio, e vestigio submittit, datque rusticis mandatum, ut annonam illuc prope comportarent. Postridie Mullerus suos sub auroram ad portam arenariam ducit, nuntiatque oppidanis, ut se ipsi quoque jungerent. vix advenerat, cum cohortes quinque ab arce Clivensi in eum tendunt. quas aggressus, nulla fere suorum strage, profligavit, ac Sparnodamum fugere compulit. sed victoriam istam clades mox excepit. quippe qui in silva Hispani jam proelio fessos invadentes, etsi fortiter pugnant, vincunt, atque in fugam agunt. cæsi instar septingenti. victores Ultrajectum profecti, ubi cohortes aliquot Germanicæ in præsidio. sed oppidani, acerba pridem ab iis passi, recipere in urbem noluerunt. id ægerrime ferentes, in suburbia, & vicinos circum pagos, iram vertunt; igne, & ferro, omnia vastantes: donec postea, ab Albano in Hannoniam revocati, discessere. Tum Hollandici senatores, & magistri rationum, qui cum iis eo venerant, immigrantes, ibi

sedem posuere. quanquam illis munus perne sine functione esset; cum præter Amstelodamum, Mudam, Wesopum, & in Brabantico limite Heusdam, tota provincia defecisset. Interim Auriacus, accepta è Gallia aliqua pecunia, & ab Hassiæ Landgravio, pignorado patrimonio, in Germania exercitum scripserat; equitumque septem millia, peditum quindecim, ac Belgarum tria habebat. Duces primarii Burchardus Barbis, Ernestus Mandeslous, & Henricus frater. hunc, transmissio in Gellia Rheno, prope Dusburgum, ad Aldekercam, & Essenam, iustrat. In Gallia Ienlisius, de Nassovii, & cæterorum ducum sententia ablegatus, à rege auxilia, & promissa, impetravit. Colinius copias in limite paraverat, quas ipse duceret. erant peditum 14000, sub Rentio, Iumellio, & Bellingervillio. equites 20000 cataphracti, & levis armature turme 11. præcursoribus Petrobusferius Genissacus præerat, reliquum equitatum Philippus Lanoius Bellovacus ducebat. Monitus erat, cum discederet, iterumque mox per literas, à Nassovio Ienlisius, *ut per agrum Cameracensem facto itinere ad Auriaci fratris copias se adjungeret: nam ut recta Montes duceret, periculosum valde esse, neque sibi expedire.* Sed ille, animi ferocior, cum suis se copiis liberare obsessos posse confideret, ne in istius gloriæ partem quisquam veniret, ceu contrario Colinii imperio, utile admodum consilium neglexit. Interea temporis levibus ad urbem proeliis certatur; & cum v. Eid. Sext. ad messem colligendam præsidarii exiissent, cum magna rusticorum manu, pugna satis atrox oborta est; in qua profligati obsessi, incumbente Bernardino Mendosa, amissis plurimis, retro cedere in urbem coguntur. ex obsessis cæsi pauci levis armature equites. Chiapinus Vitellius, & Rodericus Toletanus, leviter vulnerati. Iam augmentum castris accesserat, turmæ equitum Arscotani, Mansfeldii, Bossuvii, Barlamontii, Noircarmii, & Altabrugii: ac è legione Rutiana cohortes VII. tum expectari quoque legio Nicolai Polvillerii; & è Neapolitana, quæ Trajecti, signa v. Didacus Zunica, Philippi apud Carolum, Galliarum regem, orator, qui ejus consilia ignoraret, sapius egerat, *ne auxilia perduellibus Belgis mitteret; & acrius etiam expo-*

postu-

postulaverat, *faedus obtestans, quod violatum supremi numinis vindictam irritaret. nec Philippum ita meritum, qui distraetum bellis civilibus contra subditos perduelles adjutasset.* Carolus factum excusare, & invito se admissum: idque minime obscurum, proscriptis nuper, qui in Belgium suppetias irent. sed in regno, necdum à turbis civilibus quieto, labefactata majestate, non omnia posse. multa necessario dissimulare, quae, potentiae iterum firmus, prohiberet. Ita ambiguo responso, gratiae, & offensae medius, Zunicam dimittit. Sed eodem fere tempore nobilis quidam ex aula ad Albanum missus, per viam ad Fridericum Toletanum deflectens, eum de Ienlisii consilio, numeroque copiarum, & itinere toto, instruit. isque equites cccc, sclopetarios 10 ccc, Cameracum versus mittit; qui res hostium, inter urbem & Landrecium insidentes, explorarent. Ienlisius, cum recta Montes ire instituisset, per Bossuvium iter habuerat; & inde Quievregium, sesquimiliari ab urbe: non sine fraude, cum viarum imperiti à ductoribus proderentur. In eo itinere magna passim injuria facta rusticis Hannoniis: unde animi, antiquis odiis factis infesti, longe magis acerbati. Delatum ad Toletanum erat, Ienlisium secum equitum quatuor, peditum decem millia ducere. illud, sive rumor finxerat, in hujusmodi rebus validus; sive astu ducis erat divulgatum, uti hostem perterreret; intrepidus tamen Toletanus, qui & optime numerum copiarum sciret; & ne sine ullo proelio in provinciam hostem admitteret, famae suae interesse existimabat, aggredi advenientem omnino statuit. & verebatur, si detrectaret, *ne metus, aut desperationis, manifestus, collapsam valde patris Albani auctoritatem porro destrueret; Auriaco sine dubio, qui cum exercitu copioso imminebat, nutantes passim Belgarum animos impulsuro.* itaque, ut periclitantem Bruxellis patrem confirmaret, factu optimum, necessariumque, duxit: *quamvis cum periculo aliquo, belli aleam experiri.* Hoc consilio praemissis Bingham impeditis, cum jam intra Galliae limitem auxiliares recessisse nuntiarentur, ad xvi usque Kal Sext. subsistit. deinde ubi exploratum, quatuor vix miliaribus separatos, positos prope Hanam castris, pontem struere, legatum Bernardini Men-

dosae, Antonium Figueroam, cum xxx equitibus mittit, & Franciscum Ferdinandum Avilam, arcis Groninganae praefectum, cum Garciae Valdesii equitum sclopetariorum turma; qui seorsim copias hostium, & consilia, explorantes, è vestigio ad ipsum referrent. ipse eos subsequutus est. Belgarum, & Hispanorum, peditatus omnis promiscue incedebat, duce Juliano Romero; cui Licquius, & Chevereauxius, additi erant. Vitellius, etsi ex vulnere imbecillis, à fossoribus in lectica portabatur. pars equitatus tripartita ad dextram ire: reliquum, tribus item agminibus distinctum, in extrema acie esse. quam claudebant sclopetarii Hispani cccc, & ala Bernardini Mendosae; qui praesidiarios, tergum forte invasuros, sustinerent. ita ad urbem usque promotum. tum, mutato ordine, eques, qui in ultima acie erat, in primam vocatur. sic itum ad Giselini fanum. ubi cognito, nondum Gallos Hanam transmisisse, confestim in eos equitatum Toletanus mittit, peditatum subsequi jubet. Primam aciem Romerus ducebat; qui, simul hostem conspicatur, Ioannem Salazarium Sarmientum cum sclopetariis gravioribus lx inter sepem, & salicetum, collocat; qui, dum utrinque veles concurrat, latus infestaret. Primo impetu cessere Hispani. quibus submissi è legione Chevereauxii Belgae cc; quos ipse Chevereauxius, & cum eo Delvalius, duceret: & mox totidem, duce Licquio; cui comites Mota, Bergius, & Fremenantius. hos levis armatura subsequi, cum peditibus Hispanis cc sub Francisco Bovadilla, Ferrandino Agnasco, & Didaco Carvaiali. post eos cum reliquo peditatu ipse Toletanus agmen claudere. Galli à tergo Alterragium vicum habebant, cui planities non magna subjecta; silva, & rivulo, undique cineta. quos à fronte adortae Hispanorum cohortes duae, Alfonsi Monteri, & Garciae Valdesii, levi pugna preludebant. in prima acie cum octo signis Rentius erat; totidem medius Iumellius ducebat. postremum agmen, quia magis hosti apertum, cum Rhingravio, & Genissaco, Ienlisius ducebat. interque dumeta itinere valde angusto incedens, equites centum, duce Rentio, de hoste cognituros, praemissit. in hos, simul silva egressi, declivi jam sole,

sole, cum ala sua Lupus Sapata impetum facit; & post eum Philippus Sancto-Aldegondius Noircarmius, cedentibus fortiter incumbens, in fugam propellit. itaque in suos versi pedites, unde minus periculi Ienliffius putaverat, turbatis ordinibus, exercitum solvunt; pontem versus, quo Hanam transmiserant, fugientes. sed ne per hunc evadere possent, occupata ulteriore ripa, Antonius Figueroa prohibuit. itaque, transitu non permisso, per Tornacum, Condatum, & Athum, Valentiniana usque effusi, dum abjectis armis per silvas huc illuc passim palantur, infestis rusticis, plurimi spoliati, caesique, miserrime perierunt. Eo conflictu cecidere amplius C D C C. in quibus Rentius, & Rhingravius. Ienliffius, Iumellius, & Schonewallius, capti in custodiam abducuntur; ille Antverpiam, iste Tornacum, hic Aldenardam. ac Ienliffius non multo post repente exanimis reperiendus in lecto, nullo morbo praecedente, etiam in funere ignominiam passus est. Iumellius autem, ac Schonewallius, diversa forte liberati. Olharius faucius cum centum circiter in urbem venit, nec multo post è vulnere moritur. Bellovacus, noctis beneficio elapsus, in coenobio Spinelevienfi à Poieto praefecto excipitur. Ex Hispanis caesi tantum Alfonso Lombralis, & Antonius Zero, cum VI peditibus, equitibus XII. Lupus Sapata, gravi accepto vulnere, evasit. Duabus horis depugnatum est. in conflictu gregarius miles egregium virtutis specimen dedit. nam lancea transfixus, alia è terra arrepta, quae forte obvia, equitem irruentem excepit, strenuè pugnans, donec, ejecto per vulnus sanguine, vires animi adhuc integrum, destituerent. Toletanus, revocatis ab hoste copiis, sub vesperam ad Gifelini fanum rediit. è pugna Gallicae cohortes decem ad proximam silvam se contraxerant, contra quas postridie multo mane Cheverauxium mittit; sed mox, relatis XXX signis, suos cohibuit. Hac suorum clade dejectos oppidanorum animos fore arbitratus, per tubicinem dedi sibi urbem postulat; sed rejectus, demanda Philippo Lalanio obsidione, Bruxellas ad patrem Albanum contendit; cum statim post proelium in castra venisset Nicolaus Polvillerius, adducens peditum signa tre-

decim, & Hispanos quingentos, Ultrajecto evocatos, cohortibus quatuor ex Ebersteinii legione suffectis. insuper tres equitum turmae, quas Nicolaus Basta, Aurelius Panormitanus, & Georgius Macuca, pridem in Italia legerant. Albanus III Non. Sext. indictis Bruxellis comitiis pecuniam ab Ordinibus poscit. *ex Hispania misisse regem CCCC aureorum C D, nec praeter ista expectari quicquam posse. qua cum summa si militia sua onera compararent, nullo modo suffecturam deprehenderent. hinc stipendium ordinandum XV equitum C D, peditum autem Germanicorum XII legionibus, & cohortibus Hispanorum, Belgarumve, CCL. huc accedere ceterum belli apparatus, naves plurimas, ac tormenta. Igitur annua vicies centena C D, & centesimam, expedirent. se, ita instructum, intra bimestre Belgio toto hostem profligaturum esse.* Mox, cum Medinacaelio profectus, Montes petiti; ipse urbem expugnaturus. & ad convellenda moenia tormenta majora XXIV, minora VIII secum trahit. Bruxellas Arscotano mandat. Ante urbem coenobium Spinelevienfe erat, quod cum CC defensoribus Poietus tenebat. id tentatum acri pugna. atque egressae ex urbe cohortes à Francisco Salazario fortiter repulsae. egregie tamen defensus à Poieto locus, capi non potuit. itaque rursus mox adorti Rodericus Sapata, & Alfonso à Sotomajore, tormenta admovent. editaque ruina, cum impetum facturi essent, praesidiarii, non ultra vires periclitari à Nassovio iussi, in urbem se recipiunt. loco capto Molemius imponitur, cum Belgarum IV signis, è Cheverauxii legione. Eodem die, Espernio duce, XIII peditum signa venere. ac postridie Albanus ipse cum Medinacaelio. moxque Salentinus Isenburgicus, Archiepiscopus Colonienfis, cum equitibus C D I D, Ioannes Roda cum C C C, & ab Archiepiscopo Trevirensi I D C missi. Vt primum advenit, Valentinianis, Avenisque, tormenta advehi; Cheverauxium, Rutiumque, cum suis legionibus vicum Menium insidere jubet. ipse vero castra undique communiri curat, ut adversus obsessorum, & auxiliatorum, vim tuta essent. Dum vallum urgetur, leviter pugnatum est: vulneratique Alfonso Messia, Christophorus Corverus, & Franciscus Valdesius. nocte proxi-

proxima xxvi tormenta admota. Interea passim viri, nulla injuria obnoxii, avitæ religionis odio, indigne interfecti. Ioannes Apostolus, Pamelæ curio, qui, periculo evitando, huc confugerat, aliq; ex eodem ordine xv, manibusq; pedibusque colligatis, in flumen projecti, submersique; præter unum, ætate debilem, Iacobum Ambainum: qui forte in ripam adversam delatus, mortem evasit. neq; templis, aut cœnobiis, parcitum fuit. & vim passæ imagines sanctorum. etiam in sepulcra sævitum, nec quiescere mortuis datum. Ea res infamem valde militiam fecit; quiq; prius Albani sævitiam detestati, nunc Auriacum etiam odisse. tamen urbes multæ in fidem ejus sese tradidissent, si id ei consilium fuisset. sed, relictis rebus omnibus, hoc præcipue unum agebat, ut, Albano profligato, Nassovium fratrem liberaret. quamobrem iter susceptum urgens, dum in eo est, Diestam, & Tielmontium, capit. Nivellæ, quia, spe suppetiarū, transitum negaverat, commeatum, & annonam, imperat. Chevereauxius cum legione sua, & sclopetariis Hispanis 1500, Menium procedere jussus erat, ut illic aditum intercluderet. sed, cum hostem jam Peronam advenisse accepisset, qui vicus duorum milliarium intervallo Montibus abest; & vereretur, ne auxilia inde in urbem per Genapum trajecto Hana mitterentur, revocato Chevereauxio, contractisq; propius copiis, magis obsidioni incumbens, vallum ad marginem fossæ ducit. & undiq; castra anxie munit; prælio omni abstinere, & sola mora hostē debellare certus. Positis in colle vii tormentis ad portam Bertemontiam, urbem subjectam graviter verberat. reliqua binis locis distribuit; quæ & portam Bertemontiam, & exterius propugnaculum, infestarent. eaque biduum totum explosa, proximas tures, etsi oppido perforatas, nondū tamen dejicere potuerunt. dein, in ripa collocatis viii tormentis, murorum minas dextra lævaq; dejicit. cætera exterius propugnaculum quatiebant. cujus parte anteriori tandem diruta, in posteriori. ducta fossa, aliquot præsidarii mansere, etiam turris S. Andreae, crebris ictibus terebrata, defensores occultare non ultra poterat. contra urbani editam interdium ruinam noctu rursus muniebant. & Lanovius ante

murum in munitione c c collocat; tum
 l alios designat, qui reliquam propugna-
 culi diruti partem tuerentur; ipse cum c
 è nobilitate, & delecta hastatorum sclo-
 petariorumque manu, ruinam defenden-
 dam capit. dein fossam interioram du-
 cunt; & excitatis utrinque tumulis, tor-
 menta quinque, ac colubrinas duas, statu-
 unt; quæ explosa sine intermissione in ten-
 toria plurimum hosti incommodi afferrēt.
 insuper sæpe erumpentes, opera quoq; in-
 terturbabant. Cùm vero Albanus frustra
 aquam è fossa derivare tentasset, tandem
 obductas pluteis scaphas, quæ contra sclo-
 peta tuta essent, parari jubet. tum doliis
 plurimis afferes colligatos insternit, per
 quæ pontis instar miles è scaphis in ruinã
 exscenderet. & ne quem aditum auxilia-
 res haberent, validis stationibus vallum fir-
 mat, collibusq; geminis, in via, quæ Ge-
 napum ducit, militem inponit. in altero
 etiam munitionem quadrangularem, ad
 stellæ instar, ex consilio Bartholomæi
 Campocassii Medinacælius excitat: in qua
 posita signa duo Germanorum, & machi-
 chinæ totidem: datumque præterea Ro-
 mero negotium, si usus foret, ut cum bi-
 nis itidem Hispanorum signis, & cohorte
 Salazarii, præsto ad suppetias esset. in sub-
 jectis vallibus equitatū locat, jussu Cheve-
 reauxio fossam Menio circumducere. Pol-
 villerio, Licquioque, stationem defenden-
 dam; Espernio, cum cohortibus Eberstei-
 nii, tormenta custodienda assignat. tum,
 dispositis ita agminibus, Hispanos pedites
 selectos 100, qui laborantibus opem ferrēt,
 ante ea procurrere jubet. Auriacus, Pero-
 na progressus, vi Eid. Septembris cum to-
 to exercitu sub meridiem in conspectum
 urbis venit. sed tormentis eminus tantum
 dimicatum, læso maxime ab urbanis Al-
 bani equitatu. Hoc præludio extractus
 dies. insequenti, eodem ordine iterum
 progressi, proeliū tentant. Albanus porro,
 qui Genapi muniturum castra Auriacum
 crediderat, occupando loco Fridericum
 filium cum Hispanis 100 miserat. quod
 Auriaco insperatum, cùm non leviter per-
 turbaret, nec sat tuta copiis suis statio es-
 set; peditem Gallicum, qui potissimum
 exercitus robur, in duo agmina distributū,
 præcedere jubet; & Genapum iter capit;

100

quo tunc etiam Sanchius Avila ab Albano
 missus venerat. ibi oborta acris pugna.
 Prodibant è vico Hispani; ducesq; erant
 Franciscus & Marcus Toletani, Roderi-
 cus Sapata, Ioannes Ayala, cum delectis c.
 hos Texeda cum cohortibus aliis seque-
 batur; & cum eo Iulianus Romerus, ac
 Ferdinandus Toletanus. submissi deinde
 Petrus Taxis, & Salazarius, cum equitibus
 cataphractis sexaginta, ac Ioannis Croii
 Rutii ala. Initio Avila Gallos propulsare;
 mox, victoria alternante, incumbente
 cum equitatu Henrico Nassovio, victi Hi-
 spani, amisso signo alæ Taxianæ. inde, re-
 staurato prælio, adeo anceps fortuna fuit,
 ut ipse Albanus, quiq; aderat Medinacæ-
 lius, sequestrata dignitate, ceu gregarii de-
 pugnant. tandem datum receptui signū.
 & Auriacus, cui infesta valde munitio,
 rursus Genapum ire pergit; si forte Alba-
 num ad certamen protrahere posset. sed is
 auxilia arcere contentus, incertam belli
 aleam jacere, non consultum sibi ducere.
 itaq; Auriacus, frustra esse hunc conatum
 adimadvertens, eodē die castra movens,
 Fermeriam abiit, tertio inde lapide sitam.
 ubi postridie commoratus. quia fanum
 Floriani Polvillerius tenebat, inde in ur-
 bem auxilia mitti posse sperabat. verum
 eo statim Albanus Bernardinum Mendo-
 sam mittit, tresq; equitum alas addit, &
 cohortem sclopetariorum unam; quos
 mox Marcus Toletanus, & Rodericus Sa-
 pata, cum sexcentis sclopetariis, equitum-
 que Hispanorum alis quinque, insecuti.
 Auriacus jam à Floriani fano sesquimilia-
 re abierat; cumque occupare Arminium
 vellet, ubi Mendosam conspexit, quosdam
 præmisit velitatos, dum tentoria pone-
 rentur. & paullo post Albanus adfuit cum
 Medinacælio, Philippo Noirkarmio, & Iu-
 liano Romero. ac, Mendosam admonente,
 opportunum insidiis locum; de invadendo
 per noctem hoste consilium capit. Igitur
 negotium filio Friderico mandat; qui c10
 Hispanorum, ut se dignoscerent, interulas
 albas armis superinducere iussos, eo ducit:
 Chevereauxium, Licquiumque, cum pe-
 ditibus ducentis, equitumque turmis se-
 ptem, in itinere vicum occupare jubet;
 quo recederent, si consilia hosti explorata
 essent. ipse ut cum Noirkarmio locum ac-
 cessit,

cessit, hortatur milites, *meminissent prisca virtutis, nec occasionem egregiam destituerent.* tum non longo intervallo collocato Friderico Toletano, & Garcia Suaresio, cum cl. sclopetariis, Iulianum Romerum, Marcum Toletanum, Ioannem Salazarium, Antonium Moxicam, & Rodericum Sapatam cum cccc, in hostium tentoria impetum facere jubet. à Friderico Toletano, & Suaresio, ad 10 circiter passus, cum aliis cl. Christophorus Quixada, & Casparus Vrea, constituti paullo propius Franciscus Toletanus, & Martinus Eraustus, cum cc. ante hos Rodericus Perefius cum hastatis l. Romerus, aliique, impetum primum facere iussi, hostem adorti, stationarios trucidant. inde exorto tumultu, antequam armati adesse ad signa possent, intra horam plus ccc occiduntur. injectus quoq; tentoriis ignis, tum receptui signum datum. Antonius Moxica, cum lx longius progressus, quam ut se recipere posset, interceptus, obruncatur. Existimaverat Fridericus Toletanus, non temere egressuros hostes; ratos omnem Hispanorum equitatum in se duci. quo consilio à Mendosa plures tubicines simul canere iussi erant. Verum, ubi per incendium excitatum colluxisset, deprehenso astu, audentius in recedentes irruerunt. inde, postquam noctem reliquã in armis egissent, postridie, vasis conclamatis, Auriacus suos Machliniam reducit. moxque ad Rhenum exauctoratis, cum præsenti vitæ periculo, ob stipendia non soluta, Campos venit; unde Enchusam, in Hollandiam, transmisit. Interim fratrem Nassovium monet; quando urbi, tam arcte obsessæ, auxilia nulla inferri possent, uti rebus suis consulere. Is tum æger lecto tenebatur. Igitur Lanovius, cæteri que Gallorum duces, consilia cum illo conferunt. placuitq; universis, uti honestis conditionibus urbem dederent. idq; factum xiiii Kal. Septembr. nec tam aut discessus Auriaci, aut rerum angustia, hominum fortissimorum virtutem impulit, quam allatus è Gallia nuntius de Ianiena Parisiensi. is Gallorum, quorum potissimum in præsidio robur erat, animos dejecit. Interea autem, dum Montes obsidentur, Hollandiæ Ordines, Harlemi congregati, de provincia contra vim Albani defendenda serio

deliberant. tum de belli etiam mediis, & Amstelodami obsidione; quam Lumæus valde urgebat, ceu multorum in illa urbe pronis animis, qui se proderent, simul hæc tentata foret. Petebat insuper, promovendæ rei, xl florenorum cto. & promissum ab Ordinibus, quantum suffecturum esse existimarent. Placuit autem, ut obsidio terrestris esset; cum Sonoius, aliique, profligandos freto australi naves putarent. quod quantumvis utilissimum, tamen, ob ærarii angustiam, tanquam sumptuosum nimis, est omissum. quamobrem Lumæus cum legione Lazari Mulleri, aliisque copiis, ad urbem accedens, capto Carthusianorū cœnobio, castra munit. id Bossuvio, qui tunc Ultrajecti, obsessi nuntiant, & auxilia etiam petunt. Lumæus literis per benignis ad deditioem oppidanos sollicitabat; sed illi nec accipere eas dignati, insolenter in tubicinem sclopum explodunt. tunc Lumæo tormenta majora xii missa. At Bossuvius, suppetias obsessis laturus, Ultrajecto cum cohortibus iv venit, Nardeno unam, tres residuas Amstelodamo impositurus. sed Nardeno jam propinquus, cum intromitti postularet, lx sclopetarii, è Bergensis legione, qui paullo ante forte advenerant, excluderunt. idq; eum gravissime offendit. cumq; vim tentare non posset, sine bellico instrumento; ne cunctando tempus perderet, porro copias Mudam ducit, unde navibus Amstelodamum mox devertæ. His subnixi oppidani, porta Ultrajectina erumpunt; sed repulsi, ac capti xvi. At Lumæus, cum de urbe expugnanda desperaret, mox obsidionem solvit; de Ordinibus multum questus, *quod pecuniam, & promissum commeatum, non misissent: nec solvendæ obsidionis aliam ipsi causam esse.* sed ipsum, & neglectum disciplinæ militaris, alii culpam referebant; animis omnium per sævitiam alienis, qua in clerum toties usus, & avitæ religionis sectatores. Eo ipso mense Augusto, quo hæc gesta, Hadrianus Duyckius, Woerdæ præfectus, quæ urbs in Hollandiæ limite agro Ultrajectino objacet, cum urbano magistratu in Auriaci partes transit. Montibus captis Vaulxius ab Albano imponitur, cum Belgarum signis iv. cæteræ copiæ Rutio se conjungere iussæ; qui cum iis Aldenardam, Flandriæ urbem,

urbem, obsideret. & præmissus Teneramundam Mondragonius. Bruxellas rediit, postquam paulum quievisset, eductis in legione Sicula cohortibus, Machliniam contendit. & præmissis filio Friderico, in itinere Tilmontium, ac Lovanium, recipit. Machliniæ in signa peditum, equites 2000 erant; quos Auriacus discedens præsidio reliquerat. primo impetu capta suburbia, eoq; conflictu vulneratus Ferdinandus Toletanus; quod Albani iram acuit. & tormentis advehi iussis, vim parabat; cum dilapsam metu præsidium, nulla liberationis spe, urbe deserta noctu evadit. Postridie Kal. Octobr. clerus urbis cum ornatu omni sacro, crucem vexillumque præferens, extra muros procedebat, uti veniam miseris civibus suis precibus impetraret. sed Hispani, spretis precibus sacerdotum, infulisque, pars per portas, pars trans moenia ascendentes, introrumpunt; tanta rabie, ut immania queq; facerent. In introitu caesi plurimi; imminutæ multæ virgines, etiam sacræ. neq; matrimoniis parvitum. sub parentum quoq; aspectu, & maritorum, expleta libido. nullus ordo immunis habitus. insuper direpta omnia; aurum, argentum, monilia, vestes; deniq; quælibet supellex. neq; quicquam miseris relictum fuit. ac quadragies centum 1000 florenorū ea præda aestimata. utq; poena, non flagitium, putaretur; pridie Nonas publicato Musæ edicto, causam Albanus proponit. & postridie bona eorum, qui præteritis sese turbis miscuissent, intra triduum deferri jubet. Swevegemio præfecturam urbis mandat; Ioannem Mendosam cum levi armatura Liram, Germanicos equites Lovanium in præsidium mittit. At Mendosa, ubi Arscotum advenisset, cognito fugisse hostem, vestigia premens, in silvæ introitu ultimum adhuc agmen carpit; vacuamque, dilapso præsidio, Diestam recipit: cui, adversus vim invalidæ, ideoque minus noxiæ, pro supplicio mulctam imponit. Teneramunda VIII 1000 florenorum se redemit. Aldenarda Rutium accepit; quiq; in præsidio fuerant, Ostendam digressi, inde in vicinam Zelandiam, aut oppositam illi Angliam, evaserunt. Embisius, navi in vadum impacta, cum jam capiendus esset, & in mare desiliisset, suffocatus. Blommartus,

Gravius, Rivius, alii, meliore via Zelandiam petentes, noctuque in hospitio oppressi, cum se in vincula dedere nollent, igne injecto, periere. plures gladio percussi, aut stragulati. Antonius Vtenhovius, quia majorum religionem exuisset, ad palum vivus igne circumposito exustus. sed Blommartus, sævitæ immanis, & in capta pridem urbe crudelissime grassatus, Graviusque, avaritiæ inexplebilis, nec templorum sacra reveritus, & ob flagitia carcerem in Hollandia passus, non indignum vitæ exitum habuisse videri possunt. aliorū, nisi adversæ militiæ, nulla culpa. His peractis, Albanus Mosæ Trajectum abit, ibiq; Germanici equitatus maximam partem, ceu urbibus obsidendis inutilem, quod, tunc animo agitabat, exauctorat. tum tormenta Licquius cum cohortibus quinque Mosæ devehit; moxque ipse subsecutus, cum Vahalem attingisset, reflexo contra Rhenum itinere, adverso flumine ad Mosam venit. ubi Graviæ præfectus, Caspar Gomecius, pontonibus magnis apparatus, pontem struxit. ibiq; exercitu transmissis, & tormentis, terrestri itinere Noviomagum petit; Friderico filio in Auriacum ducere iussis, tormentisque adverso Vahali Arnhemium missis. Illic dum est, à variis urbibus legati supplicatum veniunt; *ignosceret crimini, cui necessitas, non voluntas, obnoxios fecisset. quippe Auriacum vel recipere, vel pecunia, commeatuque, adjuvare, per vim coactos: omnia etiam amissuros, si cum armis imperanti pauca negassent. nunquam animo desivisse, & fortune meliori nunc se letos gratulari.* quibus omnibus, quia necdum tempus poenæ opportunū, dissimulata in præfens offensa, veniam delicti dedit. In Hollandia boreali Franciscus Boshufius navibus suis valde Enchusam infestabat, & extra portam septentrionalem domos incenderat. eratque animus oppidanis infestam classem semel invadere. sed repressus impetus fuit, cum timerent, ne relictis intra urbem, qui Albano bene vellent, egressos excluderent. quin & operam piscatores obtulere. sed Sonoius, cum periculum displiceret, Sanredamum Lazarum Mullerum mittere, ut occupato emissario id muniret. Dein aggeribus Waterlandiæ, qui oppositi Amstelodamo, milites custodes imponit,

imponit, emissariumque etiam novum fir-
mat; tum triremes item addit, Horna,
Edamo, ac Monachodamo, missas; quæ
munitionem eam tuerentur. contra illas
naves XVI ab Amstelodamensibus missæ,
maiores X, minores V I. & ab urbe effusi
multi, proelium, ceu victoria certa, spe-
ctaturi. sed eventus spem fefellit. semelq;
victi, cum pugnam postridie restaurarent,
navesque IV incensas triremibus exurendis
immittent, pejore exitu, conatus irriti
discessere; ac navium aliquæ perforatæ
periere; quædam, ancoris abjectis, tor-
mentisque, difficulter evasere. Hinc cre-
vere victoribus animi; & bello naves in-
strui cœptæ: quæ commercia Amsteloda-
mensium, occupato freto Australi infe-
starent. Non multo post res fœderatorum
retro labi, Albani victoriis, & licentia mi-
litari, quam Lumæus non compescere.
jamq; multis sub Hispanis pridem servitus
non iniquior videbatur; & tædebat domi-
num mutasse. hanc ob causam rogatus Au-
riacus ut adventum maturaret, ac remp.
ordinaret. tum urbani magistratus per sub-
jectos sibi vicos singuli inquirunt, quidnam
quisque proximis à Majo mensibus tribu-
isset; quidve à ducibus, aut militibus, ex-
actum fuisset. porro de templorum the-
sauris investigant, quibus eos tradidissent.
VI Eid. Octobris nova repente stella ex-
orta est, sub Cassiopeæ asterismo: quæ nec
fixa, nec erratica, crescere & decrescere
visa, totos IO XXXII dies apparuit. id phæ-
nomenon terruit omnes. evocatusque ab
Albano Noviomagum Gemma Frisius,
vir tunc Astronomiæ clarissimus, à Chri-
sto nato nihil tale illuxisse affirmabat. alii
vero ei stellæ comparabant, quæ ex ori-
ente Magos Bethlehemum usq; duxerat.
nec minus mira in Hispania Hieronymus
Nunius, linguæ Hebrææ, & matheseos,
Valentiæ professor; & in Austria Fabrici-
us Polus, Thaddæusq; Hagesius, Viennæ
prodiderunt. Eo tempore etsi Auriacus
in Hollandiam festinaret, varie tamen im-
peditus, minus voto iter promovet. itaq;
Sonoio XVI Kal. Novembris per literas
nuntiat, *brevi affore; & per Campos Enchu-
sam venturum. interim urbibus animum firma-
ret; ac bene de rep. sperare juberet.* etiam ad
Ordines scribit, *ut cum primum provinciam*

*attigisset, ocius ad ipsum convenirent, de re sum-
ma consulturi.* paullo post cum famulatio, &
exiguo equitatu, Campos venit. Hinc tri-
remibus Enchufani accersitum læti accipi-
unt. ubi paululum commoratus naves fabri-
candas ordinat, quibus classem hostilem
freto australi expellerent. tum ad portam
item australem excitare propugnaculum
novum jubet; quod à civibus tanta alacri-
tate actum, ut, rigida hieme, intra diem de-
cimū septimū totum absolvent. Inde
lustratis proximis urbibus, rebusque illic
constitutis, Harlemum abiit. ubi congre-
gati Ordines, advenientem cum ingenti
gratulatione excipiunt. Dein commemo-
rant, *quo affectu animorum, cum summo re-
rum suarum discrimine, patriæ libertati vitam,
ipsi obsequium, devovissent. vix esse, ut hostem
tam potentem, tunc etiam victorem, excipere
possint: itaque ad silietis admodum rebus solamen,
& consilium daret.* isque adeo animos om-
nium confirmavit, ut *cum ipso extrema pati-
velle dicerent.* Et profecto opportunus ad-
ventus fuit, cum fracta pene cunctorum
virtus; quiq; hætenus pro libertate quid-
vis ausi, deserere patriam destinaverant.
quapropter statim ad remp. animum ver-
tit; & militiam, Lumæi negligentia valde
corruptam, imprimis corrigit. Dein literas
cum Hispanis mutare, & comheatum ef-
ferre, vetat. tum provinciæ quoque curi-
am, dilapsis Ultrajectum consiliariis, ite-
tum ordinat: juriq; dicendo constituti,
Adrianus Houffius, qui solus provinciam,
munusque pristinum, non deseruerat; Ni-
colaus Valckestainius, Petrus Meranus,
Theodorus Nieuburgius, Gerardus Win-
gardus Benthufius, Cornelius Bronck-
horstius. curia ipsa, quia Hagæ minus tu-
ta, propter ingruentia Hispanorum arma,
Delphos, urbem proximam, translata. di-
cique illic jus cœptum anno sequente IV
Eid. Febr. inde aucta quoque illa; addi-
tique Arcturus Brederodius, Hieronymus
Borrhæus, Leonartus Casembrotius. Ju-
stus Menenius, fisci advocatus; Paulus Ho-
vius, cognitor publicus constitutus. Tum
rationibus quoque desertis alii præfecti.
& in Zelandiam, ordinandæ ibi provinciæ,
Batemburgicus ablegatur. Interim in Gel-
ria Fridericus Toletanus strenue rem ge-
rere. Ad primum adventū Lochemum ca-
pit,

pit, & Dusburgum. inde Zutphaniam arma promovet. ea urbs ad Iselam sita, opere satis munita erat. nec præsidium justum deerat, sed discordia inter cives minus firmum. negata initio deditio, tormenta XIII muris admovet. editaque ruina, præfidiarii, parsque civium, noctu diffugiunt. ideo cum dedere urbem cæteri postridie vellent, obseffores, rati egregiam prædæ occasionem esse, hi per portas irruentes, illi per ruinam enisi, cæsis obviis, varieque injecto igne, captivam urbem misere diripiunt. cives crudelissime habitos alios ex arboribus suspendunt, alios in profluentem præcipitant. milites è fuga retractos prono capite in furcam agunt. trucidati plus Io. reliquis tributum grave imperatum; tanta crudelitate exactum, ut felices illi denique viderentur, quibus occidi contigisset. etiam libidine varia virgines violatæ, ac matronæ. Christophorus Vafquius cum præsidio imponitur. Ea re terribus Bergensis, cum uxore, liberis, supellectile, ac præsidio, Campis profugit in Westphaliam. pari terrore vicinarum urbium, munitioque, præsidia correpta. itaque homines, non sua virtute, sed hostium absentia, antea audaces, abjectis armis, animisque, Gelria tota, & Transiselania, profugere. victorque Fridericus Toletanus, ut priorem infamiam deleteret, urbes deditias clementer habuit; nec præter multam quicquam indixit. Campis quidem tria signa Germanorum; Swollæ, ac Daventriæ, cum suis cohortibus Polvillerium imponit. Vicina Gelriæ Amersfortia, in terræ Ultrajectinæ finibus, etiam se Bossuvio dedit. cui Ultrajecti agenti per tumultum claves urbis præfidiarii detulere. Erant præter equites aliquot quinquaginta, peditum in ea duo signa, Andreae Putmanni, & Gisberti Brouckhusii: pro quibus alia duo Bossuvius reposuit. urbe egressi, facto Nardenum versus itinere, illic intromitti postulabant; sed rejecti à magistratu, Ultrajectum discesserunt. Idem in Frisia occidentali terror fuit, quam Iustus Schouwenburgicus tenebat. is, nuntiato adventare Albani copias, cum signis aliquot XIV Kal. Decembr. Franekeram deferens Maccumam abiit, vicum in littore freti australis; quem munire opere festinato statuerat, ut recess-

sus inde tutus in Hollandiam adversam esset. sed, imperfecta adhuc munitione, à Billio oppressus, in vicinos Tencteros fugit. mox quoque Bolswerdia, & Sneca, desertæ; captusque præfectus Nederwormterius, Leovardiam in arcem abducitur. earumque urbium magistratus, Leovardiam profecti, claves Billio obtulere. qui cum singulas mox intraret, cives utriusque sexus in genua provoluti, junctis manibus, veniam ante actorum petiere; quam vir animi benignus concessit, militemque Gallicum imposuit, Germanis vicatim distributis. sed Albanus moenia dejici, fossaque impleri, per literas jussit. Ita Frisia, Gelriaque, quasi Panico metu actæ, sese Albano reddidere. Sed Hollandiæ, ac Zelandiæ, ad tuendam libertatem, plus virtutis, ac constantiæ. Invitaverant Enchusanos, aliasque in eo tractu urbes, Campenses literis valde blandis, ut redire ad Albani obsequium vellent. at illi latoribus, si redirent, laqueum minati. Medemlaci leviter turbatum, hac de causa. Iuvenis quidam moenia transcenderat; idque in urbe limitanea capitale interpetratus Iacobus Cabeliavius centurio, vincula injicit: etiam intercedenti patruo, ac dimitti postulanti. quod atrocius cives rati, in arcem captivos abducere cupienti se opponunt. inde concitati milites arma sumunt: item cives. qui superiores facti, partim urbe milites expellunt, partim arma ponere jubent. Cabeliavium, in curiam elapsum, arce præsidium deducere cogunt. Et discrimen habitura res videbatur. sed Auriacus, missis eo Hermano Merio, & Nicolao Ruichaverio, priusquam ingravesceret, in principio tumultum composuit. Zutphania subacta, & cætero illo Gelriæ tractu, Fridericus Toletanus, jam Amersfortia quoque tradita, in Hollandiam copias ducere. in cujus limite Nardenum erat, juxta freti australis littus, oppidulum nec situ, nec munitione, firmum. Kal. Decembris equites centum regis nomine deditioem fieri jubent, & Bossuvii militem admitti. responsumque oppidanis; *hactenus à se regi suo servatum oppidum, & servandum etiam deinceps.* Aderat in moenibus præmiator; ut alii ferunt, homo mentis parum sanæ: qui tormentum

mentum illic positum sua sponte, non op-
pidanorum jussu, in eos explosit, illud
crimen tot mox cedibus vindicatum. Post-
quam equites isti digressi, illico loci ma-
gistratus quosdam emittere, qui pulverem
tormentarium emerent; item alios ad So-
noium, qui cum classe in propinquo freto
australi, ut auxilia implorarent. à Bartho-
lemæo Entesio, Lumæi legato, qui haud
longe cum copiis aberat, *cohortes duas
mitti petunt; & Auriaco, Lumæoque, rerum
suarum necessitatem indicari. nam, siquidem
longæ obsidioni impares essent, maturari auxi-
lia debere. commode vero liberari se posse, si
Mudam Sonoius, Entesius Wesopum occuparet.*
missus quoque ad Mullerum nuntius, qui
Schellincwoudam tunc tenebat. sed pro-
missa ubique auxilia, nusquam prompta.
ideo dejectis animis, ubi adventare hostem
cum omnibus copiis intelligerent, cujus
vim sustinere non possent, ad Toletanum
mittere visum, qui urbem dederent, & gra-
tiam præteritorum peterent. Id negoti-
um consuli, & senatori, datū; qui Amers-
fortiam profecti, ubi tum Toletanus age-
re, colloquio prohibiti, Bussenum ire, pro-
ximum Nardeno pagum, jussi sunt; illic
responsum accepturi. sed consul, dum re-
dit, apparatu viso territus, rheda descen-
dens, ceu onus alvi positurus, periculo se
instanti subduxit. Id senator ubi vidit, val-
de indoluit. veruntamen vir animi præ-
stans, qui uxorem, & pignora liberorum,
civesque carissimos, deserere nollet; opti-
mus civis, maritus, pater, tristis rei nun-
tius perrexit. & Bussenum, ut jussus erat,
Toletanum secutus, cum interroganti
Bossuvio, an milites oppido excessissent,
affirmaret; alios postridie oratores addu-
cere jubetur, atque ita dimittitur. Igitur
ipsis Kal. Decembris venere in castra
Lambertus Hortensius, rector scholæ, vir
doctrinæ fama clarus; alique è senatu, po-
puloque. qui cum alloqui Toletanum po-
stularent, ad Romerum rejiciuntur, cui
omnem potestatem is dedisset. cum hoc
igitur paciscuntur, *oppidum se Toletano tra-
dituros, ea lege, ut civibus vita, fortunaque,
salva essent; tantum denuo fidem juramento
obstringerent, solique ex Hispanis centum,
quantum semel sumere possent, oppido efferrent.
ultra nulla præda esset.* Hæc, ter porrecta

Hortensio, dextra, rata fore pollicitus
Romerus, cum eo, aliquot x x Hispanis
comitatus, oppidum ingreditur. è vesti-
gio ad tympani sonum cives, jusjurandum
daturi, in valetudinarii templo convoca-
tur. & convenerant pene omnes; cum ho-
mines antiquæ simplicitatis, innocentia
sua, & fide ab hoste data, securi, nihil sibi
mali metuerent. pauci quidam, quod eve-
nit prævidentes, inter templi laquearia,
locisque abditis, se occultaverant. Interim
Hispani, desertis moenibus, &, constricta
glacie fossa, transceso etiam vallo, fre-
quentes intraverant. dumque miseri cives
conveniunt, futuræ laniæ ignari, uxores
eorum militibus advenis convivia cura-
bant. Aliquamdiu ante templum cum Hi-
spano sacerdos quidam inambulabat; qui ad
cives mox conversus, illis moriendum edi-
cit. illicoque, apertis foribus, irruentes mi-
lites inermes homines pecudum instar mi-
ferrime trucidant. Toletanus ipse, ut ex-
emplo suo miles plus auderet, consulem
cædit. Dein, igne injecto, reliquias com-
burunt; &, vicatim discurrentes, obvios
mactant; oppidumq; universum in sangui-
nem, cineresque, verunt. Quidam, annos
LXXII duos natus, qui prætura, & consu-
latu, olim functus, diu è morbo decubue-
rat; alterque, textor, ex hydrope æger,
in lecto confossi. in xenodochio, præter
duos, senes omnes annorum erant LXXX,
aut xc, nonnulli seculum superabant. nec
ætatis habita ratio: sine discrimine cæsi
omnes. in mendicum quendam stultum,
& mutos duos, etiam sævitum. ægre
Hortensium Bossuvius servavit. qui ta-
men filium Augustinum, organistam, cru-
delissime obtruncari, & occiso cor evelli,
ante oculos vidit. Qui inter templi laque-
aria se absconderant, illinc quoque ad
cædem protracti. quamvis facile ipsi qui-
dem evasissent; si vel januam, per quam
aditus, obserare ausi fuissent: satis tuti
futuri tenebris loci, & angustia; quam
unus aliquis contra plures nullo negotio,
aut periculo, defendere potuisset. sed ho-
mines tristi suorum spectaculo consterna-
ti, omnem salutis spem amiserant; parq;
nolle tot charis nominibus superesse. Post-
quam viri latrocinio defuere, iram, & li-
bidinem, in foeminas vertunt; quarum
plures

plures vario cruciatu enecant. quandam gravidam strangulatam mox in puteum præcipitem agunt. aliam, quæ pepererat pridie, cum partu suo oppido expellunt. puellæ XII, aut XIII, annorum constuprata. & in mortuos quoque sævitum. nudaque occisorum cadavera, passim per plateas disjecta, ne humare quisquam auderet, poena indicta. itaque per xx dies insepulta jacuere. insuper omnia miserorum bona direpta: nec relictæ segetes quidem, nondum excussæ; quas Mudam avexere. Narratur etiam aliud quiddam, valde crudele, & miraculo sane affine. ex oppidanis quidam locupletior putatus, ut celatas opes proderet, crudelissime divexatus, cum se occultasse quicquam pernegaret; quod cruciatu omni majus, uxor ejus ante oculos violatur. quam injuriam multo maximam ubi convitiis, quæ sola misero arma supererant, vindicaret; in conspectu uxoris occiditur. eamque tunc aggressi, ingenio sexus molliorem, eoque minus tormentis parem, ut, quod scire vellent, extorquerent, manibus in tergo vinctis, prono capite, ex pede altero ad palum alligant, coram filio admodum puero. qui cædis paullo ante paternæ, & maternæ injuriæ, spectator, etiam vinctus, nec succurrere illi poterat. sed cum neque sic proficerent, & in fœmina supra sexum constantiam experirentur, tormentorum fessi, ceu mox fame morituram, ita suspensam relinquunt. jamque biduum totum pependerit; & cruciatu, ac inedia, tantum non enecta erat. Puer quoque deficiebat; nec spes vitæ ulla restabat. cum egregia forma juvenis, nihil tale expectantes solatus, vinculis liberat; & exhibito pane refectos, in Deo confidere jubet: brevi ipsis melius fore. Atque hæc talia Toletano nondum satis supplicii visa. Bossuvio imperat mœnia demoliri, & præfecto arcis Mudanæ, Paulo Loo, negotiû dare, qui rusticorum ad hoc opera uteretur. cumque initio differretur, repetitis ter quater literis, tandem extremo Decembri scribit; *nisi fieret, cohortes aliquot immissurum, quæ pagos circumjectos exurerent.* Itaque, nullo ultra moræ prætextu, disjecta mœnia, & solo æquata. Hoc crudelitatis exemplo, contra quam Albanus putaverat, nihilo magis timeri cœpit.

quin effectum, ut Hollandi, Zelandique, obstinatis desperatione animis, quod gravissimum inter oppressos vindictæ genus, justa contra eum odia, nec unquam deponenda fumerent. tanta quidem omnium offensa, ut Turcis quidem, si fors ferret, quam Hispanis, servire mallent. ipse celerus, quique majorum sacra colerent, cum religionis priscae, aut innocentiae nullum fuisse discrimen acciperent, pari adfectu sævitiam tantam execrari. Per hoc tempus naves bellicæ, quas Hollandiæ borealis urbes instruxerant, necdum in stationes reductæ, impediebant, ne exire Amstelodamensium ullæ possent. idque ut magis etiam facerent, quasdam, longo usu inutiles, ante urbem in Yaanne saburratas demerferunt. mox exortum acre gelu ingens iis periculum attulit. nam & glacie quasi captivæ invasioni obnoxia esse, & annonæ egestate fremere miles, ac deferere eas velle. sed mox submissus commatus; & vocati undique rustici, qui, quod factu vix possibile, diffisa glacie, educere eas niterentur. tentatum varie, vana opera. aliquando consilium erat, tormenta educta in aquis mergere, ne in hostis potestatem ea venirent. jamque fere humanæ opis nulla amplius spes restabat, cum è machina deus juvit. ortus repente vehemens boreas, auctis supra modum aquis, alias certe defecturis, glaciem diremit; viamque aperuit, per quam naves educerentur. quodque magis mirari omnes, è vestigio, reflante vento, ut præsentem deum agnoscerent, iterum, subsidentibus aquis, glacies coit. Circa hoc tempus res longe indignissima accidit. Cornelius Musius, cœnobio D. Agathæ apud Delphenses præpositus, vir optimus, innocentissimusque, & literarum laude egregius, annos LXXII natus, dum Hagam proficiscitur, à militibus Lumæanis interceptus, Leidam abducitur in Cornelii Venii ædes, quas Gulielmus Oldevlietius, tabellio publicus, inhabitabat. eoque duo à Lumæo missi, cum ipsius concionatore, quæsitore, & carnifice, torquendo viro locum poscunt. cumque uxor Oldevlietii se opponeret, & huic rei publicum urbis carcerem esse dicitaret; homines ebrii, incitante vino proterviam, per vim facinori locum capiunt. & tormentis longe

longe plurimis pene enectum, nulla juris ob-
servantia, & causa indicta, ad horam quintam
vespertinam introductum ante nonam pro-
pere strangulant. inde furca statim deducunt
in Lochorstianas aedes. tum, pudendis ampu-
tatis, ventrem diffecant; &, ut corpore erat
obeso, abdomen eripiunt, ne ad saevitiam
quicquam deesset. id Lumæus, cum isti ordi-
ni maxime infestus, tum gravi privatim in eū
odio, imperasse ferebatur. utq; flagitio culpa
aliqua prætenderetur, vulgo jactatum, *veneno
Auriacum tollere voluisse.* quod crimen tamen
inter tormenta exquisitissima constanter ipse
pernegavit, neq; bonus quisquam credidit.

& ipse Auriacus, simul captum intellexit, ^{ctis 10}
Leidamque ad Lumæum abductum, quod ^{LXXII.}
evenit veritus, statim ablegare aliquem, qui
dimittere virum juberet. verum ille, ubi ad
portam ab Auriaco nuntium adesse accepit,
ut mandatum anteverteret, aperiri eam,
nisi facinore perpetrato, non permisit. quod
Auriacus, Ordinesque, graviter ferre. cumq;
postea id captivo inter cætera objiceretur,
jure factum videri respondit; *hominemque, qui
jurejurando se obstrinxerat, nunquam urbe egressu-
rum, nec minus tamen cum thesauro ingenti ad ho-
stem transire ausus esset, cu perjurum, & perduel-
lem, delicto proprio, non suo odio, pœnas dedisse.*

I O A N N I S M E V R S I

G V L I E L M I

A V R I A C I

L I B E R V I I I.



Ridericus Toletanus, Nardeno capto, Amste-
lodami interquiescens, de Harlemo obsidendo con-
silia capit. Ea Caninefa-
tum metropolis, magni-
tudine nulli cæterarum
inferior; templo, curia, foroq; insignis: stru-
cturaque ædium fatis decora. mediam Spar-
nus amnis perluit; qui ex Ya profluens, haud
longe infra urbem in lacum vicinum se ef-
fundit. boream versus, ad primum lapidem,
Oceanus adjacet; unde abundans piscium
captura magnum civibus commodum affert.
ad meridiem lacus ingens, qui ab urbe vulgo
Harlemensis dicitur. in propinquo elegans
silva. circum ager fertilis pariter & amœnus.
Igitur illam Toletanus, ut dixi, obsidere vo-
luit. priusquam tamen aggredieretur, animos
experiri placuit. quocirca quidam ab Amste-
lodamensibus missi cum literis, qui pro vici-
nia, & vetere sua amicitia, officii eos admo-
nerent; redirent ad obsequium regis. cumq;
animi magistratus angeretur, res amplissimo
senatu III Non. Decembr. acta. & consilia
varia erant, prout studia. Pars auxilia ab Au-
riaco advocanda; pars petendam ab Albano veni-
am censebant, quando gratia spem haberent. neq;
enim Auriaco justas vires esse, quas potentia Fl-

spanicæ opponeret. & pervicit hæc sententia,
placuitque; *ut ad Toletanum aliqui legarentur,
qui deliberando quatuor quinque dies peterent: in-
terim rerum suarum statum Auriaco exponendum
curarent.* Legati ergo Christophorus Scagius,
vir primariæ nobilitatis; Theodorus Frisius,
consularis; & Adrianus Assendelfius, urbis
syndicus: qui clam profecti. id ubi Ripper-
dæ præfecto gnarum, eo ipso die à meridie
in hortum sagittariorum cives convocat;
quibus adfuere Lancelotus Brederodius,
Adrianus Iansenius, prætor urbis; Gerardus
Stuferius; aliiq; civium ductores. Tum, ma-
nu imperato silentio, omnes compellare; ad-
venisse Amstelodamum Fridericum Toletanum, ob-
sisionemque agitare. ac literas ad magistratum de-
disse, quibus si illico sese dederent, veniæ spem su-
peresse nuntiaret. atq; illum quidem, etsi juratum,
nihil quicquam se, ac VII primis ductoribus, ipsiq;
omnibus inconsultis tentaturum, Theodorum Frisi-
um, aliosque, clam legasse, qui de urbis deditio-
ne agerent, ac veniam supplices impetrarent. quæ
quidem qualis futura ipsis, facile sane considera-
rent, si Machliniam sibi proponerent, aut Zutphani-
am, vel vicinum deniq; Nardenum, adhuc fumans;
perque tristes viduarum, ac pupillorum, ejulatus cæ-
lo Deum ultorem invocans. Hortari igitur, ne se de-
cipi paterentur. nihil aliud agere hostem; quam,
quorum virtutem armis vinci posse desperaret, ho-
rum

rum antiquam simplicitatem ut compositis verbis falleret. adhuc memores sacramenti esse vellent, quo Auriaco pridem dixerant. id migrare uti semper inhonestum: ita saepe perniciosum. se pro ipsis, publicaque libertate, guttam sanguinis vel supremam impensuram. itaq; illud suum studium, seque ipsos, ne desererent. post quæ verba à plerisq; alta voce acclamatum; extrema omnia pati malle, quàm perfidi hostis incerta clementia se permittere. Ita virtute oppidanorum excitata, Auriaco per literas præsentem rerum statum indicat. dein à Mullero petita auxilia; qui pridie Non. è sua legione cohortes iv Iacobi Steinbachii, Christophori Vaderi, Lamberti Wirtembergensis, & Martini Prufii, in urbem mittit: cum vi reliquis Leidam profectus. Hoc præsidio confirmati oppidani, quicquid urbi defendendæ necessarium, apparare. quod ubi Amstelodamensibus cognitum, deserta hac occasione castra, & Sanredamum, recuperant. tum apertum majus templum, & amotæ divorum imagines, religionemque reformatam amplecti cœperunt. Iphis Nonis Christophorus Scagius, Adrianusq; Assendelfius, è legatione rediere. Theodorus Frisius, sive responsum à collegis expectaturus, sive futurorum metu, apud Toletanum mansit. ac reduces quidem comprehensos Ripperdæ jussu, Gulielmus Bardefius, aliique, Leidam primum, inde Delphos ad Auriacum abducunt. & Leidæ Scagius, negligentiore custodia habitus, facile evadere potuisset; sed vir animi innoxius, quiq; negotium, à senatu demandatum, non se detrectare debuisse existimabat, eoq; secutus, effugere noluit. verum Auriaco aliter visum; qui id clanculum, & Ripperdâ primisq; vii ductoribus ignaris, ac præter jusjurandum factum, vehementer indignari. moxque Assendelfius ix Kal. Ianuarias gladio percussus, spiculoq; impactum caput per horas duas populo spectare datum. Scagius, uti ferebatur, per tormenta expressam animam in carcere reddidit. Auriacum, Ordinesque, res Harlemensium sollicitos habere. quippe urbem, qua non alia tota Hollandia magis contra vim invalida, sustinendis Albani copiis, nisi cum ingenti præsidio, imparem norant; & à magni præsidii onere alienos oppidanorum animos fore metuebant. ergo per literas exhortantur, fortiter hosti se opponerent, ac jurisjurandi meminissent, quocum sociis urbibus pridem se Dordraci obstrinxissent: ipsos vicissim auxilia omnia, & quod liberandis

opus, curaturos. tum impensæ quicquid ex illo tempore fecissent, aut facturi porro essent, id omne ex arario publico reddituros. Postridie Nonas Sparawoudam hostis venit. Non longe ab urbe, ad Yæ ostium, ubi Sparnus sese eripit, pagus jacet, inde Sparnodamum dictus; quod aggere objecto, & emissariis, obruituram alias aquam depressioribus campis arceat. is locus adeo opportunus, ut, nisi eo expugnato, vix urbem obsidere possent. quamobrem arduo opere munierant; & quia præsidium minus firmum, Martinum Prusium cum ccc prope imponunt. Deinde alios quoq; mittunt, qui, ut obsidio difficilior hosti esset, perfosso aggere, aquam in campos circumjectos intrmitterent. sed eum, non satis perforatum, Hispani statim repararunt. vi Eid. venit legatus ab Auriaco Philippus Marnixius Aldegondius; qui postridie magistratum mutare aggressus est, primo testatus, non se quicquam contra privilegia niti; atq; hoc tantum propositum esse, ut præsentis reip. necessitati occurreret. Idcirco datis in custodiâ, qui, implorandæ veniæ auctores, ad Toletanum mittendum censuerant, magistratum urbis ordinat. Quæ nox secuta est, ea tam rigidum gelu fuit, ut constrictæ aquæ omnes gravissima etiam pondera ferrēt. itaq; Hispani, occasionem optimam nacti, tentatum pluries Sparnodamum, anni hieme cœloq; adjuti, iterum animose oppugnant. Fecerat glacies, ut invadere undiq; possent; quæ res præsidium, ubiq; occupatum, tanto magis fatigabat. Videbant eminus oppidani, & laborantibus graviter sociis cohortes duas submittebant. sed priusquam subvenire illæ possent, jam munitionem hostis ceperat. In eo certamine Martinus Prusius, vir belli egregius, fortiter occubuit; & cum eo milites plurimi. multos quoq; fugientes aut insequens hostis, aut hians alibi glacies, interceptit. cæteri Beverwicum, aut Assendelfium, aliove evasere. auxilia submissa, in urbem illæsa recessere. ex Hispanis, quando acriter præsidarii repugnarent, cæsi non pauci. Rodericus Sapata, cujus ductu captus locus, sinistrum brachium ictu tormenti amisit. iii Eid. urbem Hispani circumfudere: & à Didaco Carvaiali cum Isclopetariis valetudinarium, Lazaro sacrum, occupatum est. tunc deditio postulata, sed oppidani, dubia Hispanorum fide, consensu unanimi obstinati, potius propugnando pro aris, focisque, gloria se cadere, quam in turpē lanienam pecudum instar sese in-

ufus, nulla Ordinum reverentia, attineri in urbe iussus. quod Lumæus ad se revocans, vi educere eum voluit. Benigne Auriacus rem compositam maluisset, præsentis temporis, & futuri, prudens arbiter. At Lumæus rationi consentaneum nihil velle; nec auctoritatem suam, uti par erat, Ordines amittere. ergo Non. Ianuarii mandato publico armati cives manum utriq; injecere. moxque, varia accusatione Ordinum, in ordinem redactus, dignitate ac munere suo, Lumæus amovetur; & mandata ejus omnia edicto publico revocantur. Mense Majo, postquam è custodia emissus, aliquid iterum machinari adversus Ordines exploratum est; igitur denuo comprehensus, in arcem Hovingam, Roterodamo vicinam, compingitur. è qua elapsus, Roterodamum sese contulit; remque Ordines dissimularunt. 1x Kal. Sext. de injuria quiritari; *eum se nimirum esse, qui impensis suis, naves, copiasque, & reliquum belli apparatus, in Hollandiam intulisset. qui Brillam etiam occupasset; & post Deum, primus libertatis publicæ auctor fuisset: cujus exemplo aliæ quoque in Hollandia, & Zelandia, urbes Albano sese subtraxissent. quæ de causa etsi gratiæ ei immensæ deberentur, contra tamen evenire; ac turpissima ingratitude contumeliam, carcerem, infamiam denique, pro tantis beneficiis reddi. nec legitimo tamen iudicio crimen ullum pronuntiatum.* Hanc querelam, scripto etiam consignatam, propter curiam, in corona frequentissima, recitari per tabellionem jubet; inde magistratui offert; qui respondens, nihil ad se pertinere, rei gestæ Auriacum certiore facit. isque, seditionem veritus, mandat, ut accederent statim, ac sine armis, & amoto famulatio, in custodiam civibus quibusdam traderent; verum & hic recusare; nam vix credere, tam alieno à se animo Auriacum esse, qui id mandaret. quando vero non omnino elevare magistratus fidem posset, summo jure indignari. satis hætenus contumeliarum fuisse. præterito Ianuario, incognita causa, munere, quod gerebat, exutum; &, mutato interdum carcere, ceu nullius loci hominem, ac nefarii criminis reum, in custodia indigne habitum: & nunc etiam in urbe agere, quæ imperio ejus pareret: ubi, si quis cujuscunque tandem criminis accusaret, jure secum experiretur.

quævis quidem, adempto jam legati munere, ceu Romani Imperii comes, nulli ultra obnoxius esset. At Ordinibus, jure agere ne utiquam visum. non quod necdum sat nocentem existimarent; sed quod, tali rerum statu, meritas de eo poenas sumere, non consultum animadverterent. Culpæ variæ ferebantur. in primis contemptus Ordinum, & verborum magna superbia. nam jactaverat, *esse militum CIC CIC CIC, & liburnicas LXXX, quibus cogere Ordines posset.* tum eosdem, qui iniqua petentem rejecerant, proditores appellaverat. etiam provinciales crudelissime divexaverat; sacerdotes, solo ordinis ejus odio, hominesque alios innocentes multos, nulla causæ cognitione, morte mulctaverat; inter quos Cornelium Musium, & Iustum Tollium: utrumque virtutis, & fidei in patriam, præclarissimos. adhæc nefaria militum flagitia nulla poena coercuerat. Ob hæc talia et si gravia quæque meritum, Ordines tamen discedere impune permiserunt, intercessu maxime Auriaci; qui illustri viri familiæ parcendum ratus, ac custodiam diuturnam pro supplicio imputandam. Itaque abiit, & successit in locum ejus Guilielmus Bronchorstius Batemburgicus. Dum Lumæus Remp. turbat, intentus in occasionem Bossuvius ad Delphensem consulem scribit, *letum de Lumæo capto accepisse; itaque petere etiam atque etiam, uti in fide erga regem perseveraret; daretque operam, qui Auriacum comprehensum sub certa custodia in castra ad Harlemum mitteret. premium ipsi, adjuturisque, magnum fore; & delictorum omnium gratiam.* Literas has captivo militi curandas tradit; isque Batenburgico defert. qui apertas, cum legisset, recta illico Delphos ad Auriacum mittit. ille statim hominem vocat, literisque à Bossuvio prius lectis; atqui, inquit, non te talem ego, consul, unquam credidi, qui hostem ante patriam poneres. respondenti, non in sua manu esse, quid Bossuvius, aut cui scriberet. sibi quidem fidem in ipsum, & Remp. semper certam. igitur, ait, operam dato, ut Bossuvium per insidias capiamus. cum negaret, conscientiam id permittere; iterum Auriacus: nec Iuditham tamen, ut Holofernem, hostesque Dei, perdere posset, extremum discrimen detrectasse. cumque etiam sic negaret, domi manere

manere captivum jubet. Interim coeptam Harlemi obsidionem urgere hostis; cui quo pacto succurrere posset, serio Auriacus deliberare. utque obsessores commeatum prohiberet, missas Saxenhemum copias castra ibi collocare, & Sonoium ab altera parte cum justa manu insidere viam jubet: ne quid tamen temere tentet, interdicit. Hispani, primo impetu fortiter ab obsessis repulsi, cum spes dedendæ urbis fefellisset, ut operæ pariter ac temporis consulere, suavis Campocassii architecti fossam rectam ducere institunt; & defixis utrinque palis, transversa, tigna ac refertos lana saccos, superimponunt; duplici artificii usu, ut contra tela defensorum tutam latebram miles haberet; & si opus, pontis instar aliquando esse posset. ex eadem fossa aliæ duæ producebantur, unde machinæ continuatis ictibus explosæ. Vallo jam ad urbis usque fossam ducto, cum propinqui obsessores obsessique adeo essent, ut rem comminus etiam gererent: propugnaculum, S. Crucis portæ adjectum, de industria oppidani deseruere. Auriacus autem, ut commeatum adjuvaret, primis xv diebus rhedas frumento & pulvere tormentario onustas CVII submisit; tum auxiliaria item signa duo, sub ductoribus Mandaresio, & Casparo. Ultrajectini Toletano pilas ferreas aliquot ccc, & vasa tormentarii pulveris xxxvi, via Amstelodamensi mittebant; sed Woerdani præsidarii intercepta, maximam partem Auriaco misere. Ringi vero Toletanus, victorem se hæctenus hic suspendi; Frisioque succensere, qui deditonem promptam, aut expugnationem facilem, promississet, itaque ille, iram ejus pertimescens, ut periculo se subduceret, clanculum conscensa navi, Hamburgum abiit. vi Eid. oppidani, ut annonæ subvenirent, leges frumentarias conduunt, pretiumque pani suum, & pondus, ponunt; tum & vetant, *ne quis emeret, supra quam necesse haberet, qui migraret, ei mors supplicium esset.* Nocte proxima valde obscura missi auxiliares CICICIC, cum densæ nimium tenebræ essent, nec viam tenerent, aberrarunt. parsque ad arcem Cliviam venire, pars in propinqua fabuleta deflexere; plerique ad castra retrogressi: pauci ad-

modum, igne in turri animadverso, auditoque campanæ fonitu, ægre in urbem pervenere. tum Scalcovicana porta erumpentes, multos cædunt, vulnerantque. & complures fugientes Sparno merfi. xvi Kal. Febr. caput quoddam, à corpore abscissum, in urbem Hispani insolenter jaciunt, cum elogio; *id Philippi Regii esse, qui cum CICICIC auxiliaribus liberator advenisset.* Hoc facinoris alio longe immaniore mox obsessi vindicarunt. captivis xii in furcam actis, xi capita, barba pariter capilloque ad mendicorum modum rasis, (quando ita foederatos per convitium appellabant,) in vas compacta, è propugnaculo in Hispanorum castra dejiciunt, cum inscriptione ista; *quando ob decimam non solutam bellum hoc Albanus gereret, ipsosque oppugnaret, istud illi vasculum ferrent, in quo x capita haberet; & pro usura, ne de mora quereretur, additum undecimum.* Tum de rebus suis literas, & obsessæ urbis typum, Auriaco mittunt, ac postridie advenere cum frumento rhedæ LXV. quas cum auxilio Schramus Brunsvicensis ducebat. quamobrem instauratis animis, facta per Scalcovicanam portam eruptione, Rustenburgum, quæ munitio Germanorum, invasere. & aquatili moletrina occupata, incensaque, reliquam quoque castrorum partem diripere; cæsis omnibus, aut fugatis. ex obsessis signifer quidam alteri hosti signum prius de manu extorsit, inde etiam hominem confodit. mox, deserto propugnaculo, quod ad S. Crucis portam, majorem molem forma semilunari excitant, cujus cornua vetere urbis muro hærent, idque opus, valde arduum, summo studio ocius promotum. nam promiscue adjuvare consules, ordinumque ductores; cives, milites; viri, foeminae; senes, juvenes; opulenti, egeni. universim nemo laborem detrectare; neque ætas, sexus, dignitas, opere quemquam abstinere. Inde ex ædiliis ordine ablegatur ad Auriacum Adrianus Berckenrodus, qui annonam, resque alias, procuraret. additi comites, qui deducerent, equites aliquot, & Isclopitarii; qui per viam vicis quibusdam injecto igne, excubias illic positas disturbarent. & diversa parte egressi alii in crepidine lacus domos amplius cc exussere. in-

de in urbem pluribus diebus ad mensam extremum CCIX circiter rhedæ commeatum intulere; quibus additæ cohortes IV Simandi, Balsurii, Margotini, & Verdurii. Magistratus urbanus veritus, ne per longam anni hiemem annona deficeret, avenam, secale, hordeumque, miscere statuerat; sed id, indignante populo, intermissum. deinde pretium bovillæ carni constitutum. mox vicinæ urbes, Delphi, Leida, Gouda, aliæque, egregio humanitatis exemplo, per literas petunt; si qui illis ætate, sexu, aut morbo, ad bellum inutiles essent, eos ut ad se transmitterent, paratos alere, ac curare. Pridie Kal. ductis cuneis, iterum impetum facere visum est. atque ita quidem instructa acies. Ferdinandus & Rodericus Toletani, singuli cum cohortibus V, ad dextram, lævamque, muri verberati partem invaderent; eosque cæteræ legionum suarum cohortes sequerentur, ac supra fossam, pontis instar constratam, transirent. Dein Braccamontius, & Rodericus, suas etiam legiones ducere iussi. ad S. Ioannis propugnaculum, Caspar Billius ordinatur. Ebersteinius, cum Germanis, atque Belgis, juxta silvam collocatur. peractis precibus, signum datum est. & Rodericus Toletanus, ac Laurentius Perea, primi irruunt. jamque in propugnaculum evaserant; cum id, cuneis subter ductis, oppidani igne injecto evertere. qua ruina plurimi periere. pari successu Billius fuit. eoq; conflictu cecidere Didacus Peresius, Alonfus Magius, Laurentius Perea, Stephanus Illavius, militesque delecti CCC. Rodericus Toletanus graviter vulneratus. ex obsessis fauciatus Lambertus Wirtembergensis, mox è vulnere diem obiit. Et obsessis duplex quidem victoria obtigit. nam eo ipso pugnae tempore alia parte CLXX rhedæ in urbem illæsa pervenere; quas CCC sclopetarii, equitesque LXX, deducebant. quæ juxta silvam copiæ Germanorum erant, ad proelium instructæ, oppugnare commeatum; sed conatus frustra fuit. In Brabantia hoc ipso mense triste diluvium Lovanio accidit. Dilia fluvius, auctis aquis alveum egressus, supra muros urbis excrevit; & perrupto tandem aggerem, stragem sane immensam edidit. quippe magnum ædium numerum plane evertit:

aliæ ad XII ulnas exstantes aquas difficulter sustinere. ingens passim pavor erat, omnesque in summa ædium eniti; murosque, ac tabulata, perfringere. & scalam, navesque, incondito clamore sibi poscere. foeminae, ac pueri, tristibus lamentis cuncta implere, ubique tectorum, arborumque, ruentium horreni fragores audiri. domorum contignationes totæ, capsæ, mensæ, lecti, culcitæ, aquis ferri. & imagines templis erute, sepulcrisque effusa mortuorum ossa. ac periculum ingens erat, ne urbs tota absorberetur; cum, effracta altera porta, magno cum strepitu se exonerat. portenti instar res hæc habita, ut & micans exhalatio; quæ, ceu chasma, in cælo apparuit. Februario toto nihil ab Hispanis fere gestum ad urbem obsessam; & toties repulsi, non ultra vim tentare statuunt, melius arcta obsidione oppidanos ad deditionem compulsuri. ac plerisque discedendum videbatur. sed Toletanus, patris monitu, qui famæ interesse censebat, perseveravit. Ideo, ut naves urbe arcerent, ad VII moletrinas munito loco Sparnum occupant; & tormenta campestria duo, excubiasque, illic ponunt. oppidanique iterum tunc annonam ordinant, panibusque è secale, & hordeo, pretium minus triente ponunt. dein incendio restinguendo scalam, hamas, cæteraque instrumenta parant; & habere lumen pernox cives jubent. cumque rumor percrebuisset, ad cœnobium S. Bernardi, in crepidine lacus positum, ab Hispanis pontem strui, quo commeatum advehendū prohiberent; equites sex & triginta urbe egressi, cum sexcentis sclopetariis, comperto nullum illic hostem esse, captivis duobus, ædibusque aliquot incensis, recessere. mox, in cuneos injecto igne graviter valde obsessores affecere; ipsi autem commeatum centum tredecimque rhedis accepere. Nec multo post, ubi gelu remitteret, solutis aquis, præmissa pridie navi singulari, XL duplicarii CLO CLO CCXL frumenti modios deduxere. iterumque navis una è majoribus, & minores viginti octo, annonam aliam advexere; deducente Christophoro Gunthero, cum militibus duplicariis cccc. tum Dordracū tormenta VII; alia XII, pilasque, & pulverem, Leida submitit. XII Kal. Mart. triremem, pedes

des LXXIV longam, oppidani in lacum subjectum produxere; cum de successu obsessores desperarent. sed contra ab Albano submissa legio Polvillerii, & è Sicula cohortes IV, quas Toribius Zimbro ducebat. Mondragonius totidem è sua mittere iussus. adhæc Boffuvio datum negotium, ut, instructis bello navibus, quascunque comparare posset, lacum invaderet, ejusque usum obsessis eriperet. cumque perfodere alibi aggerem tentasset, fortiter obsessi repulere. IV Kal. acriter pugnatum. quippe missæ ab Amstelodamensibus XIV naves, in lacum venerant: quod ubi eminus conspexit Gerardus Iunius, majoris triremis præfectus, nimis temerè solus oppugnare ausus, tandemque victus, ac cum paucis, vulnere accepto, scaphæ ope vix elapsus, triremem suam in hostium potestate reliquit. Id ubi cæteris ducibus gnarum, summo impetu universi, ac potissimum, qui minori triremi præerat, Iacobus Antonius, in hostem feruntur. & captivam duas horas navem, victoribus victis, fortiter recuperant. insuper aliam, dum fugientes insequuntur, ipsis eripiunt. eoque prælio cæsi plurimi, pauci tantum aliquot capti; in iis vir nobilis, domo Lovaniensis, Ravescotus. victores Fucam concessere; aggeremque, aperiri ab hoste cœptum, obtinuerunt. Rigida valde hæc hiems fuit, & ab ea obsessores multum incommodi: quos & aëris inclementia, & labores continuati, fatigare. at hæc talia Toletanum nil movere: non discedere, nisi capta urbe, certum. & vir animi elatioris, hæctenus victor, indignari multo magis; urbem invalidam, quam uno octiduo expugnatum se jactaverat, jam tres menses restitisse. ideo rem etiam navibus, quod jam dixi, gerere instituit: & Auriacus contra niti; ac Sonoio dare negotium, quando incertus belli exitus, sine mora Alcmariam muniret: in quam hostis, si Harlemum caperetur, ducturus copias videbatur. tum instruere naves jubet, quibus commeatum arceret. ipsique obsessi triremes binas emisere. & Sonoius existimabat, perfosso aggere, qua Ya amnis per emissaria interjecta in lacum illabatur, munimentum aliquod ab Auriaco excitatum iri, ad urbem liberandam multum momenti habi-

turum. sed id factu impossibile, eventus docuit. Sonoius castra Egmundæ habebat, & vicinis aliquot pagis; sed suorum imensam licentiam vix compescere fatis poterat. unde ipsi, & ductoribus quoque cæteris, mandare Auriacus, ne disciplinam militarem profligari paterentur. Inter omnes Michaël Crocus ferocia alios antecellere. quem, sæpe monitum, cum præter verba nil præstaret, & Scagensem curionem occidisset, accusantibus cohortalibus, & ductorem ultra indignantibus, comprehendere ocius jubet; inde capitis supplicio afficit. Per hoc tempus pertesus moræ, & impensæ, Albanus, quando vi res non procederet, aliam viam tentare statuit, an blanditiis urbes quasdam ad obsequium reducere posset. Igitur ad S.P.Q. Amstelodamensem literas mittit. *clementissimum regem esse, quem calumnia impudenti perduelles traduxissent; idque persuasas urbes plurimas, fidei se ejus subdidisse. contrarium tamen satis clare apparuisse in proximo agro Ultrajectino, tum Frisia, Gelria, & Transiselania; quæ benignitatem expertæ. idem illis, si exemplum sequi velent, certo promittere. falli autem, si eas sibi vires putarent, quibus regi, omnium principum potentissimo, resistere possent. ac pessime sibi consultum ire, si, injuria pertinaces, ultima exspectare vellent.* Harum literarum exempla ad vicinas urbes transmissa; iisque publico scripti responsum. *nunquã male de rege sensisse; ideoque nec vim legibus, privilegiisque factam imputasse. immo contra existimasse, optimum principem, jurisque & æqui observantissimum, nunquam permissurum fuisse, multo minus imperaturum, uti homines peregrini Belgii sui felicitatem conculcarent; cujus populum, supra ceteros subiectos, fidum esse explorasset; maxime nupero bello Gallico, quod quadringenties centum millibus florenorum adjuvisset. idcirco credere, regis nomen falso ab Albano prætendi. nec verum esse, per calumniam eum peti. quippe in urbibus universis, quæ desciverint, neminem sane reperiri, quin pro dignitate ejus defendenda facultates omnes suas, ac vitam denique, impendere sit paratus. tantum hoc propositum fuisse, ut Albani, & Hispanorum, crudelitati se opponerent. idque ad extremam usque sanguinis guttam facere certos. tum exempla multa allegant, quæ deterreant. quod vero certissimo promittere videri velit, la-*

dum esse, & fraudem meram. neque ipsos adeo fatuos, ut fidem omnino ullam habeant. potentiam regis quod proponeret, eam longe maximam scire, nec se profecto pares putare: at nec illum tam iniquum, ut clientes, subditosque, obsequii devotos, perditum ire adeo inclementer velit. porro cives exhortantur, ne remp. suam deserant, immo contra annitantur, ut acceptam à majoribus libertatem posteris tradant. Dum hæc ad Harlemum geruntur, sæpius in Zelandia pugnatum; gensque ad patriæ libertatem asserendam animosa, navalibus proeliis multa fortiter cum felici exitu ausa est. Quadam nocte Antverpiam devecti, naves aliquot ad crepidinem fluminis alligatas, catenis disruptis, abduxere. dein Middelburgum, & Rammekenum, obsedere. cumque Albanus liberandis Sanchium Avilam classem adornare jussisset, & is, imperata exequens, cum lvi navibus desinente Februario oram solvisset, adventantem ingenti prælio fuderunt. eaque pugna naves minores fere omnes periere; quæ majores, ægre Antverpiam refugere. Tam insignis victoriæ nuntium, datis vii Kal. Mart. literis, Auriacus Hollandiæ urbibus mittit, gratum omnibus, & Harlemensibus opportunum; qui erectiores animis, ineunte mense Martio, rem tormentis agere statuunt. Ante urbem obsessores magnam molem excitaverant, valde sane obsessis infestam; sed Ioannes Cuningamus Scotus, Balfurii legatus, crebris ictibus die non toto universam disjecit. xi Kal. Aprileis instar c i o c i o c i o frumenti modii navigio in urbem importati. ac triduo post è præsidariis erupere I o c c c, & cum iis, egregii adfectus cives aliquot; qui, hostem pluribus locis adorti, magnam stragem ediderunt, cæsis amplius I o c c c, & tentoriis incensis plus c c c, abducta insuper ingens præda; tormenta bellica minora v i i, pulverisque copia magna. signa i x, equi x x x, cæteri pecoris magnus numerus. vestes plurimæ; & argentea, atque aurea, supellex. item arma omnis generis, multis suffectura. inter cæsos Carvialis, & Cressonerius, rei tormentariæ præpositus, cui successit Valentinus Pardæus Mota. vulneratus Franciscus Toletanus. ex oppidanis tantum v i i i desiderati; in

his Derdenius, ordinum ductor, manu strenuus: ac biduo post legatus Lanceloti Brederodii, Theodorus Brassemannus. Cum vero jam, soluta glacie, ad vicinas urbes exitus reditusque; multo difficilior esset, Mutinensium olim exemplo, columbis uti incoeperet; quæ exportatæ, cum literis subter alas affixis, revolarent. Ut autem obsessis, ita quoque obsessores gravis obsidio; & discedere castris certe voluissent. verum Albanus urgere graviter, filiumque Toletanum magis etiam confirmare, misso Chevereauxio cum sua legione; adhæc promittere aliam Lopefii Figueroæ, & xxv signa Hispanorum. id enim regem ducatus Mediolanensis præfidi, Ludovico Requesensio, imperasse. nec multo post Lopefius Acuna venit, cum legionis Longobardicæ signis x i i, & aliis x i i i Figueroæ. tum etiam Bernardinus Mendosa adfuit, ab Albano missus, qui ejus jussu in plena militum corona Toletanum adcoeptam femel obsidionem forti animo exequendam concitaret. *nam si desereret, ipsum se, quantumvis egrum, mox in castris adfuturum. & si valetudo vetaret, uxorem suam, ejus matrem, ex Hispania evocaturum; potius quam expugnanda urbis gloriam amitteret. igitur, virtutis memor, patrem cogitaret, & tot trophæa, quæ ne per ignaviam nunc corruptum iret.* Exin crebræ eruptiones, & everfi cunei plurimi, cum multa obsidentium strage. ac sic occisi Ioannes Verga, primus centurio legionis Neapolitanæ, Sanchius Lodonius Braccamontianæ, Stephanus Quixada, & Bartholomæus Campocassius, ingenii clarus, & castrorum muniendorum insignis. vulnerati Goignius, Noircarmius, & Ioannes Ayala. iv Kal. ab Amstelodamensibus instructæ naves x l i v lacum occupant, perfosso aggere, ubi in eum Ya influit. præterea ad Fucam, ut statio illis tuta esset, locum muniunt, ac Guletæ nomen faciunt. quamobrem obsessi, ut viam aliquam vi aperirent, triremem tertiam, ducibus Binchorstio & Maureginaldo, Cagam mittunt. unde postea v Eid. Aprileis Auriaci naves centum numero Fucam venere. cumque duodecim oppidani emisissent, adverso conatu, ægre milite reducto, eas hostibus permiserunt. Nec magis tamen consternati quar-

tam

tam mox triremem instruunt, CVIII pe-
 des longam, eamque ad diem xvii Kal.
 Majas produxere. Interim Auriaci classis
 Hemstedam venit, ubi cum militem expo-
 nendum oppidani rati essent, misere, qui
 suppetias ferrent, Iccc. sed, hoste forti-
 ter repellente, cum accedere propius non
 liceret, recessere. quo certamine Stein-
 bachius, ac Vaderus, a suis vulnerati. nec
 multo post alio loco cIo cIo expositi; sed
 cum tardius oppidani erupissent, re infe-
 cta iterum discessum est. sed hoc egregio
 Balfurii facinore mox pensatum. is noctu
 egressus cum Scotis suis, civiumque non-
 nullis, camisiis supra arma indutis, Ru-
 stenburgum expugnat, victorque signa
 captiva xv in urbem refert. & postridie an-
 nisi locum recipere Hispani, majore etiam
 suorum strage repelluntur. nec successu
 meliore iterum biduo post conantur. Ex-
 tremo mense, cum cuneus incensus obsef-
 fores aliquot sustulisset, explosis vicissim
 tormentis, interfecti Hadrianus Iansenius,
 ordinum ductor, & Christophorus Sca-
 gius. ac postridie, facta eruptione, stipato-
 rum Auriaci ductor, Margotinus. Per hoc
 tempus nummos argenteos obseffi cu-
 dunt, & insignia urbis suæ, gladium binis
 utrinque stellis interstinctū, in antica par-
 te expriment; in postica symbolum suum,
 VINCI T VIM VIRTVS. In pervigilio Pen-
 tecostes rursus obseffores caput, à corpo-
 re separatum, trans moenia jaciunt, & in-
 scribunt; *Antonii Olivarii esse, qui ad Montes*
invadendos Ludovicum Nassovium sollicitasset.
 is ab Amstelodamensibus interceptus, dum
 aggerem, qui Nardenum ducit, ne sub-
 vehi inde commeatus posset, perfodere
 cum delectis aliquot moliretur. & pretium
 necis ab Albano positum fuerat, idque To-
 letanus solvit. Iam angusta annona erat, in-
 tercluso commeatu. igitur ostiatim inqui-
 runt, quid quisque domi occultaret. dein-
 de vero etiam ordinant, ac diētim viris qui-
 dem libram panis; foeminis, puerisque, feli-
 bram decernunt: scortilla, ac lixas, placen-
 tas è buna edere jubent; quibus reliquam
 quoque famem alii saturarent. dein cere-
 visie pretium ponunt, & floreno meliorem
 coqui vetant. Nec propterea tamen illis
 animus fatiscere, donec postea Auriaci
 classis profligata, captæque naves XXI. huc
 accedere, quod in Anglia pax firmata inter
 Philippum & Elizabetham, spem auxilii in
 ea insula impetrandi perturbaret. Tum in
 Fucam versa arma; quam egregie diu de-
 fensam, ter repulsis obsefforibus, cum de-
 ficeret commeatus, tormentariusque pul-
 vis, nec suppetiarum spes restaret, ægre
 tandem dediderunt. Auriacum valde res
 angebat, & cura assidua de solvenda obfi-
 dione. Hanc ob rem Ioannem Clusium ad
 Sonoium cum literis mittit, omnemque
 operam navare jubet. atque is, ut in remp.
 erat egregius, parere promptus, cum co-
 piis aliquot, & fossoribus, Diemenum ag-
 gerem, qui Amstelodamum & Mudam in-
 terjacet, improvisus hosti occupat; & con-
 vulso emissario; magnaquē utrinque ducta
 fossa, milites Iccc imponit. tum fossores
 multos addit, qui locum opere festinato
 communirent. Deinde, relictis in præfi-
 dium triremibus v, & navibus aliis, proti-
 nus Edamum abit; auxilia justa, fossores-
 que, & commeatum, curaturus. ac dum id
 agit, Amstelodamenses, qui rei nuntium
 jam acceperant, gnari, quantum in eo loco
 momentum esset, & impeditum obseffori-
 bus commeatum deinceps fore; cum xxii
 navibus hostem aggressi, triremes duas,
 navesque alias quatuor capiunt; reliquis
 fuga vix elapsis, ac sub aggere se tuenti-
 bus, & tormentis auxiliarium. quamvis illi
 graviter quoque oppugnati; dum via Am-
 stelodamensi signa tria, Mudensi unum, à
 fronte & tergo fortiter incumbunt, ac la-
 tus utrunque naves invadunt. Sed his So-
 noius, graviter eos laborare gnarus, mox
 cum xl navibus suppetias tulit. & initio
 victor, in fugam Amstelodamenses egit. at,
 cum submissæ naves majores pugnam in-
 staurarent, fractis animis, continere suos
 non potuit, quin victoriam satis certam
 hosti traderent. ipse solus inter confertos
 fortiter faciens, ac desertus, vix evasit. &
 indignatus, turpiter suos fortunam faven-
 tem destituisse, ut infamiam repararet, col-
 lectis ocius amplius lxxx navibus, subve-
 nire obseffis cupiebat. jamque in itinere e-
 rat, cum desertum a suis aggerem nuntia-
 tur. inde, ut consilia cujusque ab eventu
 fere perperam æstimantur, petitus gravi
 calumnia, ceu parum prudenter, aliisque
 inconsultis, rem gessisset. & juvare profu-

gus miles; qui querela publica pro se usus, suæ ignaviæ culpam ducis prætexebat. quamobrem ille rem universam Auriaco indicat; idem Clusio faciente, quem consilii conscium habebat. nec officio Bardesius defuit. ac petere Sonoius, *mitteret Philippum Marnixium Aldegondium, aut aliquem ejus notæ virū, qui inquireret.* Huic vero minus gratum, isto quidem tempore, dissidium; quo remp. per se imbecillam factis, concordia firmare opus. & injuriam Sonoio factam, meritorum hæctenus præclaro, perdolebat. Igitur scriptis ad eum literis, *bene deinceps sperare jubet; gnarum sibi, quo affectu remp. amplexus esset, ac libertatem ejus jurisset. idcirco, tam manifesto discrimine, pro egregio affectu suo, privatam offensam illi condonaret; nec tam alieno tempore laborantem desertum iret. quod si aliqui, per invidiam male injurii, innocenti culpam imponerent; sibi tamen plus cordis esse, nec iudiciis aliorum temere ferri.* Istis verbis confirmator paulum Sonoius; sed non odium tamen ejus, aut invidia, intermittere. ac vulgatum etiam falso, vincula ei injecta fuisse. hac de causa Carolus Boifotus missus, qui de tota re cognosceret; ac composita similtate, in commune consultaret. isque mox de expeditione, in Diemenum aggerem facta, anxie inquirere; & consilia, clam Sonoio, de rep. habere. tum invito quoque eo captivum dimittere, quem Edami in custodia attinere ipse jusserat. quod cum multo magis offenderet, ac omnino existimaret, Boifotum, dignitatis æmulum, hoc unum agere, ut, populi benivolentia adjunctus, præfectura ipsum everteret; denuo apud Auriacum queritur: *indignum meritis præmium reddi, & ad omnes exemplum pertinere, quibus muneris deserendi justa causa præberetur, metuentibus, ne calumnia simili olim obruti, pro gratia offensam, pro præmio ignominiam referrent.* Dein Aldegondium, & quos æquiores putaret, per literas orat; *darent operam, ne quid homini innocenti fama sua, qua nil carius haberet, lederetur. paratum plane Auriaco obsequi; & provincia, si publice expediat, etiam discedere; quam non, nisi reip. causa, suscepisset. quamvis quidem alium sibi in eam dignitatem substitui, quam labore suo maximo, & periculo, peperisset, longe iniquissimum foret. quicquid tamen hujus futu-*

rum, id Auriaco totum permittere; in cuius prudentia, & equitate, acquiesceret. Sed Auriacus, qui turbari illic nollet, aut occasionem aliquam hosti dari, opprimenda initia ratus, Petrum Ryckium illuc misit; qui, quod factum opus esset, exploraret; ac Sonoium admoneret, *publicæ securitatis, & quietis suæ causa, ut præfecturam invidiosam abdicaret; ac cum Veria, quam permittere ipsi vellet, commutaret.* cui Sonoius; *non se dignitatis avidum; ac ponere pridem eam voluisse; nisi affectus in Auriacum, remque publicam, retinisset. hujus rei ipsum sibi testem esse, qui pluries dimitti orantem continuare munus jussisset. nunc autem ut illud faceret, cum non levi fama suæ detrimento, nunquam imperaturum putasse. & vero, si sic discedat, quam Veriæ dignitatem fore? id judicare in proclivi. quamobrem rogare ipsum, nuntiaret rerum statum, & intercederet, ut estimationis suæ rationem habere velit. quod si præfectura cedere porro juberet, paratum obsequi, sed deinceps aliam nullam admissurum. idque animi honesti, fideique; apud æquos rerum arbitros, clarum satis indicium fore.* Ita Ryckius discedens, rem Auriaco omnem exponit; isque redire eum jubet, & Sonoio potestatem prorogare: tum collegas tres adjungere, qui cum urbium Hollandiæ borealis delegatis remp. administrandam juvarent. Carolo Boifoto seorsim munus ordinatum. etsi nec sic tranquilla omnia; cum maneret inter utrumque æmulatio, quam diversus populi affectus excitabat. Iam autem indies magis premi obsessi; & Auriacum, Ordinesque, liberandæ urbis cura angebat. ac maturandum sane erat, oppidanis extrema quæque patientibus. sed tam arcta obsidio erat, ut vix sperare quicquam liceret. & castra hostis valide contra vim munierat. intus magna rerum omnium penuria erat; & quæ illam sequitur, fames. ac, frumento deficiente, cibus esse equorum vaccarumque pelles, carnes felinæ, & que cannabis femine panes. his deliciis vitam miseri tolerare. Igitur unum hoc restabat, obsidere obsessores, ac comneatum intercludere. hanc in rem Diemenus agger cum momenti multum haberet, Sonoium jubet iterum eum occupare, ac communi-
re. dein parte ab alia Batenburgicum quoque

que mittit, qui cum justis copiis Oudekerkam, pagum in via Ultrajectina, ad primum Amstelodamo lapidem, statim invaderet, ac comneatum prohiberet. isque post levia aliquot proelia partem unam occupatam propere munit. sed cum templum, & cœmeterium, Franciscus Valdesius præcepisset, locumque ante muniisset, irritus hic conatus fuit. & delecti item quingenti Schonhovia missi, quos cohortes peditum quinque, navibus vectæ, sequebantur; in quibus etiam comneatus, & tormenta. hi cum Breukelam venissent, in Vectæ ripa positum pagum, munire ocius locum incipiunt, arcisque oppositæ Guntersteinæ delectos quadraginta imponunt. sed conatum antevertit Ioannes Baptista Taxis, qui tum Ultrajecti forte frumentariam rem curabat. is enim, simul nuntius venit, ut invalida adhuc initia perturbaret, assumpta Maximiliani Melodunii equitum ala, & duobus peditum signis, arcisque aliquot præfidiariis, quos Ioannes Deça addebat, è vestigio illuc profectus, nullo negotio hostem fudit, opera inchoata destruxit, liberamque comneatui subvehendo viam fecit. hinc tentata in propinquo munitione juxta novum emissarium, media inter Ultrajectum & Amstelodamum via, orta seditio militaris, quamvis statim mox composita, hoc consilium impedivit. Sonoius vero, ut iussus erat, postridie Kal. Iunias media nocte, paucis suorum desideratis, aggerem Diemenum iterum invasit; & occupatum, ac castellis VI munitum, usque ad deditionem urbis tenuit. sed quia submissæ ab Amstelodamensibus triremes quinque, magnusque aliarum navium numerus, suorum ignavia, lacum tamen proximum tenebant, inutilis quoque tam arduus hic conatus fuit. Interim obsessis allatæ per columbas literas sæpe animos, jam paulatim labascentes, confirmarunt; dum & liberationem, & constantiam quoque præmia, pollicentur. ac promissis recreati, interdum mora desperabant, inter spem metumque medii. cuncta quidem Auriacus tentare, ac mentem animi in quamcunque rem intendere; sed consilio, quam eventu, meliore. & jam passim provinciales quoque ipsi commiserari; plurimique,

ut obsessis subvenirent, ultro sese offerebant: nullo stipendio, sed in cives, patriamque solo affectu. Ab oppidanis nihilo segnius, factis sæpe excursionibus, dimicatum; sæpe etiam cunei incensi multos subvertere. acciditque aliquando, uti Vemius, Cognatusque, in discrimen sane extremum adducerentur; nam ruina involuti, ac pene obruti, vix suis adjutantibus, terramque injectam deducuntibus, evasere. Per hoc tempus obsessores novum machinæ genus struunt. ligneum castellum statuunt, malis quatuor subnixum; quod rudentibus attractis elevatum, supra moenia militem attolleret, commode inde cum obsessis pugnaturum. id dum parant, Marcus Toletanus, parum caute murum inspectans, sclopeti ictu interficitur. inde III. Non. Iun. Petrus Velascus cum CCC aliquot imponitur. sed vix bis sclopetata exploserant, cum obsessi contrario ictu funes difsecant. inde nutans statim machina, Hispanos oppugnantes evertit. Postridie emissæ columbæ, quæ mox literas referrent; & in summa rerum inopia rursum ordinata annona, ac, continuato militibus pane, cives buna vesci iussi. cumque Hispani insultarent; nec panem ipsis, nec cerevisiam, restare: ceu abunde omnia essent, jentaculum illis extra portam Ziliam misere. tum duplices etiam nummos cufere; denis assibus, & vicenis, æstimatos. dein, cum populus quereretur, literarum, quas columbæ in urbem afferrent, argumenta occultari; ut animos, vana spe lactatos, in longiores ærumnas differrent: permissum illi ut sex eligeret, qui allatas etiam inspicerent. XVI Kal. Iulias obsessores cuneum incendunt, qua ruina ex obsessis XL periere. biduo post, deducuntibus sclopetariis, Tserarthius, & Gontinus, Fucam emissi, qui Auriaco statum urbis nutiarent. ac uterque mox rescribunt, *ne quid animum desponderent; commigrasse Leidam Auriacum, uti propior liberationem eorum accuraret.* Eo ipso tempore vallum novum à Margaritæ, usque ad Ioannis portam, instituitur. V Kal. aliquot Ioc camisia armis superinducta, Fucam progressi, cum auxilium ab Auriaci classe expectassent, conatu irrito, recessere. ac postridie, allatis literis, excitatiore animo,

mille viri, itidem instructi, denuo urbe exiere. sed nec tunc adjuti quicquam, spem deinceps amifere. Inde colloquia instituta Kal. Iulii; & auspiciati Pelecanus, ac Cornelius Mathæus, ductores. cumque prodire præfectus urbis jubetur, sub horam quintam vespertinam negotium incoepere, pro Toletano Ebersteinus, cum quatuor aliis; ex oppidanis missi consul Ioannes Vlietius, ductoresque Steinbachius, Rosonius, & Pelecanus. sed, re infecta, utrinque discessum. v Non. exerto è turri vexillo nigro, angustias suas classiaris indicarunt. ac postridie, tormentis omnibus verberata graviter urbe, sub vesperam iterum de dedenda colloquuntur, nullo successu. Pridie Non. rursus è turri signum nigrum ostenderunt. & tunc literæ advenere, quæ tentandam ea nocte liberationem ferrent. itaque frequentes etiam egressi, ut auxilia adjuvarent, cum diu multumque expectassent, spe dejecti, rediere. tum ad colloquium tertio ventum est; rem acturis Ebersteinio, & Bossuvio, cum iv aliis; quibus oppositi ex obsessis Vlietius, Steinbachius, Rosonius, Sohæus, Pelecanus, & Cornelius Mathæus. sed neutiquam melior eventus fuit, cum præfidiarios sine armis non exituros affirmarent. Ipsis Nonis auxiliares urbem versus classem ducunt; & egressi oppidani, suppetias suas promoturi. quod ubi Hispani conspexere, concitato ad arma milite, impetum eorum revocarunt. vii Eid. vexillum è turri album suspendunt, & ductorem Nicolaum Bernardum emittunt, qui oraret; *in sequentem Martis diem comeatum ad speculam, in faucibus Sparni positam, vulgo Tonnam Batavi dicunt, ut deducerent; nec enim famem tolerare ultra posse.* ac postridie missæ literæ, à Bernardo quoque ipso subsignatæ, quibus hortari eos Auriacus; *virtutis hæcenus tam insignes, saltem in biduum spem proferrent. omnem se daturum operam, qua liberare eos posset.* itaque, recreatis animis, etsi de urbe deserenda jam plerique cogitassent, paulisper tamen sustinere. Biduo post promissa iterat, & nocte proxima, simulata juxta Fucam impressione, alio mox translatis armis, impetum in silvam facturum. quamobrem egressi c10 c10 oppidani, ac præfidiarii, ut

à tergo hostem invaderent. sed hic quoque frustra habiti, animum plane desponderunt. Certe Auriaco animus erat, extrema tentare; & copias ipse ducere vellet, si per Ordines licuisset. sed hi gnari, ut fortuna princeps utitur, ita fere populi virtutem esse; metuebant ne, si quid adversi accideret, in discrimen resp. tota adduceretur. ideoque negotium omne Batenburgico commissum. Is, collectis instar quater mille armatis, inter quos cives Leidenses, Delphenses, Roterodamenses, aliisque ex urbibus plurimi, qui in militiam hanc ultro venerant, vi Eid. motis Saxenhemio castris, in hostem tendit. ac in prima quidem acie centum equites antecedere; dein magnum agmen, ex Hollandis, ac Zelandis, constitutum, cum minoribus tormentis septem subsequi: tum Galli, Angli, Scoti, aliique. inde carri circiter c c c cum annona, & reliquo belli instrumento. posthæc Germanorum equitum ala una agmen claudere. Vbi ad silvam accessissent, prima munitione vacua, cum, fugisse hostem rati, porro ducerent; minus cautos ex insidiis ille adortus, præmissum equitem ocus fudit. isque in pedites subsequentes, belli fere insolentes, actis equis, aciem suorum ipse turbans, facilem Hispanis victoriam præbuit. qui fugientibus incumbentes, quoscunque comprehendere possent, obtruncare. eaque pugna cecidere septingenti; atque in iis è Delphensi civitate centum tredecim. cæsi item Batenburgicus, Cloetingus, & Carlous. Tserartsius faucius, Leidam evasit. pluribus beneficium noctis profuit. capti currus cum annona universi, ac tormenta campestria vii, in arcem Cliviam comportata. tum signa ix, quæ postridie oppidanis obseffores ostentare. Pauci mortem Batenburgici deplorare; qui *temulentum, & auctorem cladis hujus*, appellare: alii contra excusare, & *fortiter satis fecisse ipsum, sed consilia hosti prodita.* Reliquiæ cladis in præsidia distributæ, & desertum Saxenhemum, ubi posita fuerant castra. neque liberandæ urbis posthac ulla spes superfuit; etsi Auriacus tentandam iterum fortunam esse existimaret. Eo nuntio serio tandem de dedenda urbe actum, cum ablata spes salutis omnis esset; & fames maxima,

xima, qua enecti longe plurimi, Saguntinam plane constantiam oppidanorum impugnaret. Ac initio deserere urbem, & obsessorum castra perrumpere, visum erat; foeminis, puerisque relictis: quibus hostem, etsi crudelem, parciturum tamen sperabant. sed consilii hujus famam imbellis sexus tanto ejulatu excepit, ut spectaculum triste viros à sententia dimoveret. inde aliud mox decretum; ut in fronte collocatis septem sclopetariorum signis, viam vi facturis, magistratus, & oppidani, qui se hosti credere nollent, cum uxoribus, liberisque, sequerentur. post hos novem signa incederent, agmen clausura. & in procinctu omnes esse, cum de gratia facienda allatus nuntius cohortes Germanicas aliorum impellit. ac postridie rursus Gallorum quinque signa, quibus mixti oppidani, tentare eruptionem parata, pontis defectu destitit. idemque irritum conatu postea adhuc semel tentatum. Ergo adversa omnia experti, IV Eid. Toletani arbitrio urbem dedunt. eaque ne diriperetur, promissa CCCXL florenorum CI, & quibus C quidem CI intra diem duodecimum, reliqua CXL intra proximum trimestre solverentur. Res transacta à binis consulibus, item Steinbachio, Rosonio, ac Vadero. & Rosonio, futuri prudens, cum conditio displiceret, militibus suis rem exponit. iique indignati, clausis portis, ingredi obsessores vetant. qui tamen alia parte admissi, ut impetum sedarent, bene sperare omnes jubent: *majori clementia usurum Toletanum, quam promittere sibi audent.* Id ubi Bordetus intellexit, homo Gallus, ductor militum, animo pariter & manu strenuus, qui in Montibus militaverat, ne ludibrium hosti daret, ad famulum conversus; *hactenus*, inquit, *fidei in herum tam praeclarus, extremum infelici obsequere.* simul, porrecto sclopeto, pectus offert; & transverberare jubet. cumque attonitus triste imperium deprecari conaretur, porro urget, *ne se hosti inclementi trucidandum prodere vellet.* Igitur ægre tandem obtemperat. alii ferunt, illo obsequium pernegante, sua manu, verso in semet sclopeto, cecidisse. Laudando sane virtutis exemplo, si priscis seculis obtigisset. Ergo III Eid. urbem dedunt. illicoque cives pari-

ter, militesque, arma in curia ponere iussi: CI, CI & illi quidem, in Ziliae monasterium ire, LXXIIII. hi, in templum Bakenissæ. foeminis templum majus assignatum. Germani, ac Scoti, in moenibus manere; unde postridie, in urbem ingressi Toletano, ad Catharinæ & Ursulæ fana sevocati. quo ipso die ad cives, in monasterio Ziliae sepositos, Romerus accedens, bono esse animo hortatur; vitam omnibus salvam fore. Eid. mensis venit Amstelodamo Albanus; sed, lustrata circum urbe, è vestigio retrogressus, intrare noluit. Ac tunc initium carnificinæ factum fuit; CCC Belgis gladio, aut laqueo, interfectis. tum præfectus urbis Ripperda, cum legato, & qui Steinbachio à concionibus, gladio percussis. inde CCXLVII mensi. XVI Kal. Sext. redimendæ civium vitæ, prima C florenorum CI exhibita; urgente maxime Philippo Martinio, olim ejusdem urbis consule. & tunc iterum extra portam Scalcovicam in nonnullos sævitum. ac postridie CCC percussis, in quibus oppidani plures; & concionator, Simon Simonius. dein Lancelotus Brederodius Veenhusius, Rosonius, & Brilani ærarii quæstor, Scotæ ad supplicium producti. capti item, qui religionis causa solum verterant; & in iis Kiesius consul, Iacobus Gerardus thesaurarius, Arnoldus Coemannus, Florentius Gulielmius, aliique. nec adhuc finis lanienæ. VI Kal. comprehensi prætor Hadrianus Ianfenius; Ioannes Vlietius, & Gerardus Stuverius, Coss. tum senatores, & ductores civitatis. qui Fucam tenuerant præfidiarii, ac vitam salvam fore pacti, per ludibrium fame enecti. Exortæ quoque inter Hispanos ipsos turbæ, dum de præda, & stipendio, altercantur; quæ mense proximo à Vitellio vix compositæ. Interim pluries in captivos milites sævitum, occisique vario supplicio plus I, CCCC. at Hispani, ceu egregio aliquo facinore, augent numerum; & interfecta instar CI, CI, CI narrant. Balsurio concessa vita, ea lege, ut Auriacum interficeret; sed is, postquam evasisset, tanquam turpi juramento nil obnoxius, re detecta, prioris militiæ sacramentum non deseruit. Hic exitus obsidionis fuit, pro libertate tam præclare toleratæ; in qua fortiter extrema omnia passi

passi obfessi, & tormentorum c c l o o c c c l x ictus exceperere. qui initio circiter c l o c l o c l o c l o ferro, ac fame, ad c l o l o redacti. Sed obfessoribus hæc victoria nullo modo incruenta. quippe cæsi præstantissimi belli duces numero multi, & gregariæ militiæ c c l o o c l o c l o. Lazari Mulleri legio v i i Eid. Sext. ejerata Auriaci militia, cum vitæ gratiam impetrasset, à c l x equitibus in Gelriam deducitur. quod ubi Sonoio exploratum, qui Diemenum aggerem tenebat, duce Gualtero Hegemanno, tribus triremibus sclopentarios aliquot imponit. isque statim nil opinantes noctu adortus, antequam sumere arma possent, Hispanis omnibus profligatis, liberatos custodia Germanos ad Sonoium protinus duxit; qui armaturus illos erat, valde pronos, & ulciscendæ, ut præ se ferebant, injuriæ avidos. sed, captivis adhuc ductoribus, cum, accepta rei fama, extremum supplicium Toletanus minaretur, exorato ægre temporis spatio, Iacobus Steinbachius, Christophorus Vaderus, Schramus Brunsvicensis, & Christophorus Guntherus, ocius ad illos Ioannem Bebecotum, & Alexandrum Murdianum, cum literis mittunt, orantque; *vellent fidei data meminisse, nec innocentes in periculum vitæ adducerent. cogitarent perjurii infamiam, & ultorem noxæ Deum.* His impulsus, à militia discessere. Pridie Eid. solenni pompa Toletanus urbem intrat; & dedicato Bavonis templo, coram ipso Godefridus Merleus, ejus loci episcopus, sacrum peragit, certisque capitibus ad servandas ecclesiæ immunitates sacramento obstringit. Tunc intermissa menssem unum carnificina instauratur; civesque multi, cum ductoribus Belgarum, magno oppidanorum dolore, Scotam abducti. dein protracti è valetudinario milites, vulnere aut morbo imbelles, in area subjecta capitis supplicio afficiuntur. mox, diplomate promulgato, reliquis omnibus præteritorum gratia facta pronuntiatur. tantum quinquaginta septem excepti, eorumque nomina edita. atque ex illis sex occisi. tres in custodia exspirarunt. unus cum duabus Sebastiani Craenhalsii filiabus permutatus; Ioannes Vlietius, molitoris veste occultatus, deceptis custodibus, clam

evasit. reliqui, in carcere habiti, indies mortem expectantes, mense Novembri Amstelodamum sunt devecti, illic jussu Albani occidendi; nisi Bossuvii consanguinei, qui tunc Hornæ in vinculis haberent, liberationem impetrassent. Vrbi captæ cum præsidio Germanorum Licquius imponitur. Sed hanc cladem mox Gertrudisberga pensavit. quam Poietus, conscenso ad portam Bredanam muro, excubiarum raritate, sine negotio occupavit. In præsidio signa duo Belgarum erant; eaque fere obtruncata. civem neminem victor læsit; ac data Tzerartsio præfectura. Harlemo capto, castra Hispanus Alcmariam transtulit. Monuerat pridem omnes in eo tractu urbes Auriacus, sedulo sese communirent; ac maxime illa, quæ tunc prima hostem sustinere deberet. munientiarum urbium curam, Philippo Vanderano dederat; Iacobo Cabeliavio, Alcmariæ præfecturam. sed is, cum intromitti vellet, cum una saltem cohorte sua, restitit paulisper magistratus; ægreque tandem, Auriaci suafu, intromisit. ac vix id factum, cum ecce Hispani pedites c l o c l o, equites c c c, urbem cingunt. contra quos erumpentes præsidiarii, levi proelio mox decertant; & suburbio jam occupato expellentes, id incendunt. Biduo post motis castris, exusta Egmonda, & pecore copioso abacto, rursus se Harlemum recipiunt; ac cæteris copiis, illic tumultuantibus, se adjungunt. è quibus Hispani decem, veste mercatorum sumpta, clam Auriacum accedentes, primo gentem sunt professi; inde Harlemum reddituros promissere, si mercedem quadraginta millia florenorum daret. sed, ærario tunc angusto, blande ille excusare, gratiasque pro affectu, & officio, summas agere. Albanus, tam longa Harlemi obsidione attrito vehementer ærario, stipendia solvere militi non poterat, cui x x v i i i menses debebantur. ex Hispania à multo tempore nil allatum; & exiguum, quod provinciæ tribuebant. quas si paullo magis premeret, periculum erat, ne etiam ad Auriacum deficerent. deinde, ut brevi potestatem depositurus, ne tentare quidem voluit. Igitur publicato Ultrajecti diplomate, iterum regis clementiam prædicat; & *paratam cunctis veniam,*

veniam, si ad antiquum obsequium redirent. quod si rebellare pergerent, extrema omnia expectarent. Et quamquam blanditiis istis, aut minis, nihil effectum; afflictus tamen tunc Hollandiæ, & potissimum borealis, status erat. tantusque passim metus invaserat, ut, rebus suis convasatis, plurimi fugerent. hoc cum Auriaco Sonoius, reip. causa auxilium, indicaret, is rescribit; nollet animum despondere; ac, virtutis suæ retinens, porro omnia accuraret. obnoxias casibus res humanas, nec ideo tamen cuiusquam constantiam impelli debere. multum quidem in Harlemo liberando momenti fuisse, eamque in rem quidvis tentasse; sed, jam eo expugnato, de rep. desperare, neque viri, nec periti rerum esse. restare urbes adhuc plurimas, longe sane munitiores, & extrema pati certas. consideret cælo; ac, si spes omnes profligata plane essent, affuturum è machina Deum; perjurii, & sevitia, ultorem. quod stipendia in mensem quemque curanda putaret, id profecto demirari. quem enim regum, aut imperatorum, unquam fecisse? & nec apud Albanum fieri, exploratum; qui Hispanis menses xxviii debeat. porro, quando freto australi occupando classem hostis appararet, daret operam, ne quid hic resp. detrimenti caperet. fortiter Zelandos facere, qui Rammekenum expugnassent. horum exemplo animum firmaret; nec temp. aut virtutem suam, desereret. Iam Alcmaria, uti dictum est, castra sua Hispani moverant; & oppidanis datum respirandi tempus. idcirco, literis aliis datis, Sonoium Auriacus, & borealis Hollandiæ Ordines, serio monet; uterentur occasione, & Alcmariam, egregium tractus istius propugnaculum, annona, ac presidio, firmarent. tum seorsim magistratui quoque scribit; necessaria omnia curarent, impensam ex arario publico recepturi. Itaque illico de com meatu sibi prospiciunt, & oppidanis quoque singulis frumentum comparandum indicunt. itidem Leidani faciunt, ab altera Harlemi parte pari intervallo proximi. Per id tempus Amstelodami Albanus erat. ac classem, qua fretum australe invaderet, instruebat. & Billius quoque, agri Groningensis præfectus, cum navibus aliquot, cespite instratis, qui subter militem occultaret, Enchusam capere constituerat. sed miles quidam, Sneca per noctem dilapsus, infidias Sonoio prodit. atque is comprehen-

dere quidem omnes speraverat; sed, cum tardius, vento exiguo, adventarent, præcipite impetu effusis oppidanis, evasere. & Bossuvius arcis Medemlacensis præfectum, Cornelium Risvicum, per literas sollicitat; si dedere arcem urbemque vellet, premium beneficii ingens, & veniam præteritorum fore. verum maturandum esse; nam jam Leidam obsideri; & decretum, magnis copiis borealem Hollandiam invadere. igitur ocius, quid facturus, responderet. Et ille tunc Enchusæ aberat; quique literas has attulerat, se subdlexerat. inde redux, convocato magistratu, eas legit. tum, removendæ suspitioni, rei gestæ Sonoium certiore facit. Interim Zelandi Middelburgum, Arnemudam, & Rammekenum, magnis animis obsidebant. & Albanus, classe instructa, liberare, com meatumque inferre nisus, vario conatu semper tamen frustra fuit. Bellovacus, mari in illis insulis præfectus, cum Mondragonio, paratis lxxx navibus, mense Augusto iterum tentans, à Carolo & Ludovico Boisotis, fratribus fortissimis, impeditus, mutato itinere, ad Westcapellam militem exponit, & annonam propere importat: ac Christophorum Mondragonium, insignem militiæ virum, cum Belgarum xv cohortibus præsidio addit. nihilominus Rammekenum, cum præfectus Arnemudam petiisset, illic vim hostilem metuens, intercipiunt. ita fervere ubique bellum. nam Albanus, successorem jam expectans, priusquam decederet, insigni aliquo facinore claram potestatem deponere cupiebat. itaque extremum contra Hollandiam, ac Zelandiam, omnes undique copias vertere. deinde ad vim fraudem etiam, ac promissa, adhibere; quibus non minore cura ubique se Auriacus opponere; clericorum ac profugorum pariter bonis, ac multiplici tributo populi, adjutus. tum lx viri ordinati, qui illi à consiliis essent, Iacobus Doufa, Paulus Busius, Petrus Wastelius, Iacobus Musius, Henricus Duistius, Gulielmus Ioannes Reinerius, Ioannes Iacobus Rosendalius, Sebastianus Losenius, & Lævinus Kerfmaeckerus. hisque actuarii additi, Antonius Genitius, & Henricus Persinius. Per hæc Bossuvius classem armare, & in Frisia quoque Billius xv triremes.

C10 10

LXXIII.

remes.

remes. idque Auriacus exploratum Sonoio indicat, ut se contra ipse instrueret, & præverteret, ideoque Doco Martina, Frifico mari ab Auriaco præfectus, cum xv liburnicis Amasiam flumen occupare; ut triremes, aut Groninga prodituras, aut Delffilia, prohiberet. sed excitata mox tempestas, flante Coro, præter cæteram hominum, pecorum, segetumque, ingentem cladem, omnes tota Frisia naves dissipavit, ac submersit. Dum Bossuvius bello se navali parat, destinato Toletano, qui terra copias alias duceret; Tambergius, legatus ejus, in Waterlandia Brouckam occupat: inde Lansmeram, Sanderdorpam, & Zuderwoudam. ac seclusi inter se provinciales, terrestri itinere intercepto, non advehere commeatum, nisi freto australi, poterant. jamque Harlemi, Chia-pini Vitellii opera, compositus militaris tumultus. ideo, ad obsidendam Alcmariam, denuo copias educere placuit. & xiiii Kal. Septembr. missi à Toletano equites, qui urbem cingerent. primoque appulsu impositas canali domos duas, ubi rhus coriaria parari, ut commeatum interciperet, Medivilla expugnat. sed erumpentes oppidani unam ex iis recuperatam, cum duabus moletrinis, igne exurunt; alteram, fortiter propugnante Hispano, & auxilia submittente, coacti relinquere. In ea pugna Medivilla cecidit. Milites, qui ad Scermeram positi, eo loco, quo specula exstat, metu omnes diffugere. qua munitione potitus hostis, ad extremum canalis claustrum merfa nave, commeatui importando aditum obsepsit. Ad rei famam Theodorus Sonoius Ruichaverium cum sua cohorte in urbem proficisci jufferat; sed, quia desertum ad speculam locum Hispanus invaserat, exclusus fuit. nec multo post universis copiis urbs obfessa quam arctissime. & Toletanus ipse cum Philippo Noircarmio, Juliano Romero, Consalvo Braccamontio, Petro Velasco, Petro Toletano, Goignio, Stephano Ibarra, & Valentino Pardæo Mota, Outdorpium erat; ac cohortes circum quadraginta duæ. quibus additæ octo aliæ, ex Italia pridem iu supplementum missæ. tum centum quinquaginta equites. Ferdinandus frater, cum octo cohortibus, Huifwer-

tum tenebat; Polvillerius, cum aliis undecim, pagum Pancratii. ad Koedicam Chereaulxius, Licquiusque, cum viginti; Bergæ decem, sub Capresio; una cum reliquo equitatu. Neoporti viginti duæ, sub Ebersteinio, ac Fronsbergio. universim cxxi erant; in quibus militum xvi c. In urbe autem, qui tam multis repugnarent, valde pauci; & vix unus contra octonos: oppidani mille trecenti, præfidiarii octingenti. ad hæc inquilini pauci, rusticique; homines belli imperiti, qui ex agris huc confugerant. Statim obfessi ad Sonoium literas mittunt, nuntiantque; *et si undique aditu pene intercluso, & munitione ad speculam amissa, hostem tamen sustinere, & extrema quæque, paratos. quando autem majore presidio, ac pulvere nitrato, reliquoque instrumento indigerent, ut quam primum suppeditaret. tum consultum arbitrari, ne ulterius hostis irrumperet, ut oppositum mari aggerem perforarent.* Ad has literas ille respondet; *indolere ipsorum casu, atque ad primum rei nuntium Ruichaverium destinasse, qui presidium urbis firmaret. sed hunc, relicta suorum metu specula, introitu prohibitum fuisse. nihilominus non labori, aut sanguini suo, parciturum, ut liberare obfessos posset: ac jam Auriaco perscripsisse, & consilium, ac suppetias, postulasse. considerent autem, & viri essent. quodque de maris aggeribus scripsissent, si res exigeret, factum iri; & jam ante, ut emissaria panderentur, ultro mandasse.* dein ad præfectum Cabeliavium ejusdem argumenti literas addit. Etiam vicinæ urbes hortari, *ne, capto Harlemo, consternati animum abjicerent; quin causam publicam cogitarent, & pro patriæ libertate fortiter facerent, paterenturque. omnino fore, ut jugum Hispanica servitutis brevi excuterent: nam cum copiis longe maximis è Germania Ludovicum Nassovium adventare.* ea res animum oppidanis confirmavit. Interim Sonoius nil prætermittere, quod ad Remp. pertineret; & omnibus modis creditam sibi borealem Hollandiam communire satagebat. utque arcere hostem posset, quatuor locis provinciam munit; & castellis Rustenburgi, Broucæ, Schoreldami, ac Crabbendami excitatis, qui diu noctuque excubarent, cc, aut ccc, singulis imposuit. dein Oterlicum, ob navatam Hispanis operam, cum ad urbem obsidendam primum venissent,

nissent, exuri iussit. & Auriacus, duce Gardio, auxilia misit; Germanorum, Gallorumque, cohortes VIII. Hispani sedulo vallum promovent; &, cum fossores deessent, cives Harlemo evocatos circiter CCC, inclementi per initia ipsa imperio, cum benigne haberi miseros æquum esset, tristi ministerio deputant. At oppidani, quam nil timerent, crebris eruptionibus sunt testati. inter cætera XVII Kal. Octobr. proximam urbi munitionem valide turbant; & egressi, Ioannem Hieronymum captum abducunt; qui consilia Toletani obsessis prodidit. *monitum esse à patre Albano, nisi urbem tertia oppugnatione capere posset, ut mature se reciperet, copiasque in Brabantiam reduceret. ideoque statuisset, impressionem quatuor simul locis facere. eamque in rem pontes omnes, & apparatus pugnae reliquum, presto esse. priusquam autem oppugnationem incipiat, murum urbis ad portam Frisicam, & turrin rubram, multis tormentorum ictibus deruturum. ad partem australem, pontem fossæ injecturum; ad salinas, navibus rem gesturum esse: ac quidem, si vi expugnet, ad internecionem omnes casum iri.* & postridie visa initia. posita contra portam Frisicam tormenta novem; contra turrin rubram septem. verum terra ea parte argillofa, & depressa, crebrisque pluviis, ac per emissaria aperta immixtis aquis pene submersa, multum hic impedimenti habuere. mox pontes quoque, & cætera oppugnationis instrumenta, ostentari. XI V Kal. Octobr. post C I O C I O amplius ictus tormentorum edita ingenti ruina ad portam Frisicam, & turrin rubram, tribus horis post meridiem ingens sane certamen coepit; utrinque animis pro victoria, aut libertate, obstinatis. utque majorem oppidanis metum obsessores incuterent, & vires distraherent, ad portam quoque Caninefatam, & salinas, instaurare pugnam velle simulabant. oppugnare urbem iussæ legiones duæ, quibus Lopesius Aucuna, tunc Harlemi fato functus, pridem præerat. quicumque in ruinam evaserant, interfecti. quatuor fere horis pugnatum est; cum perpauca, multo plurimis oppositi, urbem suam intrepide defenderent. nec loco cedere quisquam visus; nisi cæsus, aut graviter faucibus. in partem pugnae

foeminae, virgines, pueri denique, pari affectu accessere; & arma alacres ministrare, faxes, uncas, circulos candentes, oleum, picem ardentem, liquidum plumbum, ferventem aquam, & calcem vivam. bis Hispani pugnam renovarunt, & fortissime toties dejecti. ad turrin rubram majore incommodo ab defensoribus pugnabatur. nam ad salinas tormenta duo constituta terga illorum feriebant. nec quicumque tamen ideo territi, hostem, à fronte magna virtute oppugnantem, constantissime repulerunt. cecidere ex obsessores C I O C C C interque eos Didacus Felix, & Franciscus Bobadilla, Blascus Nonius Carvaialis, cum strenue aliquamdiu pugnasset, tandem sclopeti ictu dejectus, non multo post ex vulnere obiit. tanta autem strages erat, ut Manuel Cabeza Vaca, instaurare oppugnationem iussus, eniti per cadaverum acervos non potuerit. ex obsessis, quod vix quis credat, tam fervente & longo conflictu, XXXVI tantum cæsi, XII præsidarii, & oppidani XXIV, plures, ut ex hoste quoque, vulnerati. Exin de urbe capienda obsessores desperare; invito ultra pugnae milite. cujus virtus neque præmio, neque minis, excitari deinceps potuit. quin nonnulli, quia ad urbem oppugnandam iterum perducere non possent, à ductoribus interfecti. Sonoius, ut obsessis succurreret, emissaria aperire Fridericum Sevenderium iusserat. isque id Zipæ, Crabbendami, & Ertswoudæ, etsi obnitentibus rusticis, procuraverat. tum allatæ quoque literæ ab Auriaco, quibus virtutis ergo collaudatos porro ad constantiam hortatur, & auxilia certa promittit; aggeresque, si necessitas ita postulet, quod nocturnis ignibus indicarent, perfossurum. atque id Sonoio quoque nuntiat. sed qui has ferret, cum ad urbem accessisset, ab excubiis deprehensus, territusque, ut se eriperet, eas abiecit. itaque in manus Toletani pervenere. & in bonum casus vertit. nam etsi literas interceptas ægre sane obsessis accideret; tamen hostis, qui consilii poenitentia jam discessum cogitare, eo magis, immixtis aquis mergi veritus, cedere compulsus. ideoque tormenta mature deduci coepta, ac

navibus imposita. deinde, ineunte Octobri, soluta obsidio; cum Toletanus, tributis in hiberna copiis, Amstelodamum ad Albanum patrem concessit. Oppidani ea ærarii inopia erant, ut pecuniam è stano cuderent; quam, soluta obsidione, permutarent. Eo ipso tempore Ioannes Cerda Medinacœlius, qui, successor Albano datus, potestatem detrectaverat, rursus in Hispaniam concessit. destinatusque Ludovicus Requesensius, ordinis Alcantarensis princeps, Mediolanensiumque præses. Dum autem Alcmaria adhuc obsidetur, ut Hollandiam borealem undique præmerent, classe instructa rem Bossuvius gerere statuit. &, quantumvis foederati, demersis navibus, satis obseptum exitum putarent; ac pridie quidem Eid. Sept. frustra conatus fuisset; ipsis tamen Eid. feliciter cessit, Yaque ingressus est. Ducebat liburnicas magnas x i i i, quibus cohortes Hispanorum v i impositæ, ducibus Garfia Suare, Sanctio Avila, Corcuera, Texeda, Alfonso Ayala, & Martino Oarte. adhæc Germanorum item, Belgarumque, aliæ plures; quibus præfectus Franciscus Verdugus. Primam aciem Ioannes Simon Rollius ducebat, cum cohorte Corcuera. cum his copiis Scellincwoudam acriter oppugnata caput, & castella in illo tractu fere cætera; ac Hispanos, Germanosque, præsidio imponit. Scellincwoudam Henricus Brouchusius satis strenue propugnabat; sed, cum naves deseruissent, nudamque ita munitionem hostis undequaque invaderet, ad deditiorem adactus, Monachodamum se recepit. Eâ clades foederatos valde anxio; nec tamen, salva adhuc classe, desperatum. Igitur, quam festine possent, naves x x i v armant; sed tormentis parum instructas, quæ in castellis expugnatis nuper hostis interceperat. quamobrem ad Auriacum scribunt, & maturari auxilia rogant. Bossuvius, tot locis potitus, ea postridie collustravit; inde Verdugum ad Albanum misit, qui regionis situm narret. nec multo post ipse quoque subsecutus, iterum Amstelodamum abiit; collecturus plures naves, ut classem foederatorum sternere, & fretum australe eripere, posset. Bossuvii classem Billius adju-

vare iussus, decem naves jam paraverat; sed conantem Doco Martina, Flevo antea occupato, impedivit. itaque x i i Non. Octobr. cum triginta circiter navibus oram solvit. Prætoria ejus munitissima, & vi nulla, ut videbatur, expugnabilis. tormenta imposita grandiora triginta duo. & præter frequentem nobilium comitatum, item nautas, milites ducenti. nomen illi invisum pariter, & infelix, Inquisitio; quam per vim in vectum ibant. itaque contra foederatos profectus, quatrimum totum levibus tantum præliis laceffivit. & applicare quidem naves, ut cominus pugnarent, foederati cupiebant. sed subterfugere Bossuviani, & pugnam protrahere, tormentisque instructiores, plurimis ictibus eminus debellare malebant. ac quanquam id sollicite agebant, unus tamen è foederatis, Iacobus Tilius, Schulemburgii Bossuviani navem applicans, post conflictum satis acrem expugnavit; cæsisque vectoribus quinquaginta, ipsum Schulemburgium captum cum septem aliis Hornam sub custodia misit. è suis vix duos desideravit. tandem ad diem i i i Eid. mensis ejusdem utrinque atrox prælium fuit. & prætoria foederatorum, in Bossuvianam in vecta, telis omnibus, & calce viva, è corbe mali in oculos Hispanorum dejecta, vehementer oppugnavit. in principio ad Bossuvium inclinare victoria visa; sed mox, restauratis animis, ubi fortius foederati incubuere, naves ejus dissipatæ, in fugam sese coniecere. una, qua Texeda vectus, perforata, cum vectoribus cunctis periit. quinque vadis obhæserit, & interceptæ. ipse noctem insecutam, diemque proximum, fortiter pugnans, cum propugnatores quindecim vix restarent, agre se hosti permisit. itaque captus Hornam abducitur, & cum eo primarii viri, Cruningus, Weldamus, Pinfenius, Hardenbrouchius, Numanus, Corcuera, Lopesius, Wervius, Quesnoius, alii. capti item gregarii milites ad trecentos. è quibus centum Hornam quoque, ducenti vicinam Enchusam avecti. vexillum prætoriae in templo ab Hornanis suspensum; & Deo publice per provinciam grates dictæ. Bossuvius cum in urbem adduceretur, per contumeliam occlamare oppidani; *Roterodamensis
laniena*

laniena auctorem esse: eodem animo contra ipsos nunc profectum, meritis paria accepturum. illic in carcere per triennium asservatus, tandem pace Gandavenfi constituta, liberatur. Qui fuga evaserant, huic cladem imputare, & apud Albanum accusare. quod cum ægre admodum ferret, à Sonoio, & provinciæ Ordinibus, petiit, uti, refutandæ calumniæ, ad Albanum mittere liceret. & orationem honestam facile obtinuit, ista lege, ne quas literas, nisi prius inspectas, daret. Sub hoc fere tempus Albanus in Germania emi pulverem nitratum jusserat; isque ad quinquaginta c I o pondo curribus impositus, cum in Palatinatum devectus, à Ioanne Casimiro, & fratre Christophoro, deprehensus in via esset, illi ignem sua manu injecere. dein scripto publico factum professi, causam quoque addidere: *ne Albanus, etiam Germania hostis, eo ad Belgarum cadem uteretur.* Ille autem, ut bello profequendo necessaria curaret, Ordines Belgii convocaverat. quod Hollandis, ac Zelandis, postquam gnarum, literas suas eo destinant; hortanturque, *ne Tyrannum contra se, amicos, & fratres, adjuvarent. quin reip. laboranti potius succurrerent, Belgique universi libertatem, fœde oppressam, vindicare fortiter audent; nec ultra viris, & bonis civibus, indigna paterentur.* tum Philippum quoque regem longa epistola supplices orant; *misertus populi fidelissimi, & obsequentissimi, vim Albani, ac tyrannidem intolerandam, unicam belli hujus causam, semel compesceret. deinde vero conscientie libertatem, & Belgii sui privilegia, ne everteret. militem quoque omnem extraneum, ad securitatem publicam, revocaret.* tum principes etiam orbis Christiani implorant, *fidei suæ, & obsequii, testimonium ut perhibeant: ac dent operam, ne, quod sæpe per fraudem factum, hujus epistolæ lectione rex prohiberetur.* Extremo Octobri, cum deserta Alcmaria esset, obsideri Leida cœpta. idque Francisco Valdesio mandatum; qui cum legionibus II & IV Germanorum cohortibus, equitumque alis VII, iter capere via Harlemensi jussus. insuper Julianus Romerus cum II legionibus, & Germanorum, Belgarumque, signis aliquot, littus legens Hagam tendit. quam munire fœderati properabant; sed, opere

inchoato oppressi, diffugere. tum occupatis circum pagis, Mafelantflusam etiam capit, & in ea Philippum Marnixium Aldegondium, primariæ nobilitatis virum, ac summi in rep. loci; quemque Auriacus tanti sane æstimare, ut Sonoium illico juberet eadem omnia Bossuvio facere, quæcunque ille pateretur. cum eo Ioannes Pettinus captus. & Ultrajectum uterque abductus, ut in arce asservaretur; annoque proximo, Middelburgo expugnato, pro captivo Mondragonio permutatur. In Hollandia boreali, post victoriam tam insignem hosti incumbendum rati, varia animo agitabant. & imprimis, portum Harlingensem obstruere; ne educere inde Bilius naves suas in australe fretum posset. sed seditio classiariorum orta, consilia omnia perturbavit. huc accedere Sonoii morbus, adeo gravis, ut & medici desperarent. ac semestri classiaris jam deberi. inde turbæ. ad quas componendas missi Henricus Meisterus, Iacobus Taiardus, & Fredericus Otho, vix id tandem effecere. tunc etiam à Gerbrando Verdunio ad Theodorum Elbertum, consulem Hornanum, literæ Ultrajecto datæ; quibus nuntiat, à Noircarmio, qui illic ageret, monitum esse, *ut bona fide pacis condiciones offerret. decessurum brevi Albanum, nec ab eo ullum ultra metum fore. agerent cum proceribus Belgii, subscripturo pactis rege.* Has ille literas, prius collegis suis ostensas, inde ad Auriacum mittit; & captivo illic Bossuvio etiam exhibet: qui, cum ad Noircarmium scriberet, literas has vidisse refert, & Auriaco missas esse. neque enim, illo inconsulto, quicquam omnino factum iri. *gratum quidem pacis nomen universis; & fortasse, si conventus quis daretur, non difficilem. diffidere tantum, cum Hispanis certam, ac securam, fore. recentem Gallicanam pacem ob oculos esse, cujus etsi longe alia ratio existat, nemo tamen persuadere contra possit.* Dum hæc geruntur, Ludovicus Requesenius, qui Albano successor datus, xv Kal. Decembres Bruxellas venit, cui provinciam, & exercitus, ille tradidit; post sexennii, ac trimestris, præfecturam. ac postridie Kal. Friderico Toletano, equitumque alis quinque comitatus, facto per Lotharingiam, Sequanos, & Allobroges itinere, in Liguriam abiit. & inde, conscensis Genuæ

triremibus, in Hispaniam porro profectus. ubi à rege, contra quam putarant multi, perbenigne sane acceptus. Ita cum anno Albani in Belgio imperium desit. quod Parmensis moderatione cum pacatum accepisset, abrupto rigore valde turbavit. Erat certe vir præclaris animi dotibus, & armorum quidem laude inter magnos belli duces collocandus; nisi superbia, avaritia, ac sævitia, gloriam omnem corrupisset. Belgium pridem florentissimum, ejusque opes, & libertatem, pessum dedit; eque bonis provincialium publicatis florentiorum milliones annuos octo in fiscum red-

egit. tum & bello ad provincias opprimendas excitato, & exactionibus variis iniquissimis, ut nonnulli computarunt, milliones quinquaginta duos perdidit. Ut vero fortunas hominum pro libidine, sic & capita eorum habuit. adeoque ipse sub discessum, tanquam administrata egregie provincia, gloriatus alibi dicitur: *uno illo sexennio suo, licetoris manu, xviii clo ac clo c mori iussisse; præter eos, quos bella, aut præsidia, hausissent.* & Vergas tamen, sævitiae insignis administer, è Belgio cum eo discedens, dicere ausus; *nimia id misericordia perditum isse.*

I O A N N I S M E V R S I I

G V L I E L M I

A V R I A C I

L I B E R I X.



Postquam Albanus de provincia decessisset, Requesensius, qui successor à Philippo illi datus, præfecturam statim adiit; præ se ferens, sine Ordinum consilio nil gesturum. id, ingenio vir dissimili, quique sciret, quam Albani præceps rigor nihil regi profuisset, ut Belgarum sibi animos per initia conciliaret, credi ab ipsis, necessarium sibi omnino arbitrari. nihilominus militem novum comparare; tum navales quoque socios, & qui vada explorarent, operamque introducendæ ex Hispania classi darent. Middelburgo liberando, quod mox captum; pecuniam ab Ordinibus petere; illis vero recusantibus, ex Hispania, & Italia, eam accepit. quæ cum non sufficeret tamen, milites, cui plus stipendii deberetur, & militiam detrectare, & tumultum agitare. hunc ut prohibere posset, in præsidia distributo, vectigalia polliceri, & proscriptorum, cæsorumque item, bona, fisco addicta. quin & pignori urbes dare, Denremondam, Silvam ducis, Neomagum, Ruremondam, & Daventriam, aliasque. Qui-

dam etiam Hispani cum Auriaco, de provincia ipsi arce Antverpiensi, clam convenerant, sed, præcipitato opere, res detecta, non successit: & puniti conjurati. alibi quoque id tentatum, pari eventu: ac Gertrudis-montem aliqui occupare cupientes, profligati. Goudæ duo, ex urbe profugi, Ioannes Heinius, & Nicolaus Diertius, quibus multi clam addicti, id effecerant, uti quidam, qui avitam religionem sectarentur, portam sagittariorum aperirent, militemque intromitterent. eam in rem missus rusticus, qui pecuniæ aliquantum, & epistolam, ad Heinii generum deferret. hæc, minutim complicata, arcanis numerorum notis, ordinem rei gerendæ, & consilia, continebat: atque, ne deprenderetur, convolutis circum filis, glomus potius, quam epistola, videbatur. cum ad portam accessisset, quærentesque excubitores, unde adesset; &, an literas nullas ferret, explorarent; pecuniola est deprenta, item glomus. his ereptis, cum nil plane literarum invenirent, hominem abire jubent. cumque ille glomum sibi reddi anxie postularet, nulla de pecunia cura, suspicari fraudem aliqui; itaque convolutis filis, literisque deprehensis, re detecta,

detecta, statim in carcerem est abductus; etiam Heinius, Diertiusque, aliique è con-
 juratis. mox, prodicionem fassus, Heini
 gener capite luit; Diertio, diu captivo,
 venia data. urbi Albertus Egmundanus,
 etsi invito magistratu, cum præsidio im-
 positus. In Valacria Middelburgum, urbs
 primaria, arxque etiam Rammekenum,
 arcte adhuc obsidebantur; & biennium fe-
 re erat, nec resistere defensores ultra vali-
 di. itaque semel liberandis Requesensius
 animum advertit. parata illi duplex clas-
 sis; è majoribus una navibus, altera autem
 è minoribus. &, navalis rei gnarus, magis
 rebus suis fidere. nam Ioanni Austriaco
 additus, in egregia ad Naupactum pridem
 pugna, gloriam sane non exiguam reporta-
 verat; & victoriæ tam præclaræ magnam
 partem auctor etiam censebatur. eundem
 animum ad rem Belgicam afferebat, sed
 fortuna alia usus. occasio autem videba-
 tur, longis media hieme noctibus, & illuni-
 tempestate, via duplici Middelburgum
 aperire. atque hinc Honta flumen erat, in-
 de Scaldis; in utroque classẽ habebat: cui
 geminæ impares Zelandos ratus, una ipfos
 distinente, alteram saltem pervasuram ex-
 istimabat. nec consilium frustra fuit. idque
 providens Auriacus, in Zelandiam se con-
 tulerat, ut se totum huic opponeret. Re-
 quesensius, ut præsentia animos faceret, ac
 consilio adjuvare è propinquo suos pos-
 set, Bergas venerat, ad Somam fitas, ubi
 hostium altera classis; cum Zelandi circa
 Romersvalam essent, media inter utros-
 que Goesa. hic Boisotus, qui Zelandicæ
 classi præerat, veritus, ne hostis noctu clas-
 sem pone Romersvalam, per submersum
 aquis agrum, Lodicensi ostio educeret, &
 Valacriam improvise occuparet; deVectus
 paullum, juxta Wemelingam stetit; illic
 sese, si transire conaretur, objecturus: Iu-
 stum Morum, tresque è velocissimis na-
 ves, inter Romersvalam, & Bergas, excu-
 bare porro jubet. is, propitio admodum
 vento, metuens, ne prodiret hostis, im-
 petumque in se faceret, navem actuariam
 mittit, quæ in ipsis portus faucibus obser-
 varet. ac vix illa horæ spatium ibi fuerat,
 cum prodire à Bergensibus in tres excu-
 bantes naves animadvertit. unde retro sta-
 tim cedens, istas monet; illæ classẽ uni-
 versam, quæ ad Wemelingam erat. ea-
 propter cum Bergenses frustra id conati
 essent, recessere. Sed, jam summa in an-
 gustia constituto Middelburgo, non dif-
 ferre ultra licuit. tentanda omnino libe-
 ratio, ac certamen ineundum, vincendum-
 que, aut obsessi deserendi, per quos insula
 universa in victoris potestatem tradere-
 tur. ergo ad diem xxiii Ianuarii Sanctius
 Avila, Antverpia profectus, cum xxx
 magnis navibus, die postero in Valacriæ
 conspectum, prono Honta, classẽ sistit;
 cum Bergenses, qui in Scaldi, idem facere
 jussi essent. in illorum classe erant naves
 instar lxx, partim bellicæ, partim com-
 meatu onustæ; quæ & ipsæ bello instru-
 ctæ. atque in istis, præter socios navales,
 signa novem: sub quibus milites amplius cto.
 his Glimesius, & Romerus, ægrotante Bel-
 lovaco, imperabant. qui cum ad xxviii
 mensis nominati diem, totam classẽ e-
 ducturi, ad extremas ostii Bergensis fau-
 ces processissent; missi obviam Iustus Mo-
 rus, Iacobus Christophorus, Vincentius
 Neusius, & cum istis naves leviores octo,
 faciendo pugnae initio: totidemque à Gli-
 mesio his objectæ, paribus animis velitan-
 tur. tum Boisotus, qui Zelandicas naves
 duceret, imminente maris æstu, & afflante
 etiam vento, tota classe utendum ratus,
 ad Versikendamum eam, etsi adverso ad-
 huc flumine, mox appellit; ubi Hispanos
 Romersvalam jam progressos deprehen-
 dit. Naves illi quadraginta; quatuorque
 ex his maximas, Sanctio Avilæ opponen-
 das, jam Auriacus revocaverat. In Boisoti
 navi ductor Schottus erat; sed, correptus
 peste, pridem ea excefferat, restaurandæ
 valetudini. moxque, proelio instante, cum
 in locum ejus alium tunc Boisotus adsci-
 visset, Nicolaum Nicolaium, is, ad pugnae
 famam excitus, etsi necdum confirmata
 valetudine, biduo ante eam redit. itaque
 cum ductores duo una in navi versaren-
 tur, in constituendo milite dissedere. Ni-
 colaius, occultandum omnino eum sub
 transfenna, dum tormenta ab hoste explo-
 sa, arbitrari; Schottus contra, supra illam
 exponendum, ut in hostem expeditus im-
 petum faceret. & obtinuit. Concurrere a-
 pud Lodicense ostium, ad spectante è Sca-
 kerloënsi aggere Requesensio, ac Boisotus,

tus, in Glimesium inuectus, magnam fane stragem accepit. quippe hostis, stantem in transfenna militem, ideoque sterni facilem, animadvertens, prora obversa, duo ex hac tormenta primum, globis glandibusque onusta, inde sclopos fere centum, exonerare. hic Boifoto excussus oculus; Nicolaius crus utrumque, Schottus brachium, & mox vitam, amisere. Valentinus, etiam ductor, item brachio mutilatus; aliique aliter caesi, fauciive. post explosa sic tormenta, naves, manu injecta ferrea, ne spes fugiendi esset, conjunxere. Glimesius, edita tanta strage, jam Boifoto fere potior. id cum Hadrianus Cornelius advertisset, in Glimesium etiam ducens, alterum ejus latus occupat. alii alias novem invadunt. plures proelio loci angustia prohibebat. ante pugnam à Boifoto constitutum, qui vexillum è prætoriam detraxisset, huic ut præmium nova vestis donaretur. itaque in conflictu medio, nec victoria inclinante, è Cornelii nave quidam, in prætoriam hostilem involans, id è summa malo rapit; seque involvens, per scloporum densam grandinem, sine vulnere, ad suos defert. quod Romerus cum videret, ne, sublato pugnae signo, animum sui desponderent, sine mora aliud tollit. acriter pugnatum fuit, sed non diu. cum Romerus, undique se peti videns, ac diffugientes suos, adjecto ad cætera vela siparo, ipse etiam fugere cœpit. quo dejecto, cum evadere haud aliter posset, ex adverso Romerisvalæ impacta in vada Tolana nave, enatavit. Glimesius, reflente aqua, ad fundum obhæserat; ideoque, impedito tormentorum majorum usu, sclopis tantum, gladiisque, se tueri cogebatur. ac postremum, cum fortissime dimicaret, gemino vulnere, honeste cecidit; navis, igne injecto, uita. Oforius Anculus, cui mandatum ultimum agmen, vento adverso, & metu pariter, ne ad fundum, ut Glimesius, obhæreret, opem ferre, nisi tormentis explodendis, nullam potuit; duplicique accepto vulnere, vix evasit: cecidere Octavianus Perenottus, Cardinalis Granvellani consanguineus; Didacus Carillus, & Nietus signifer Confalvi Ovalis; aliique CRO CC. naves interceptæ IX. ac fuissent multo plures, ni Romeri, affluente rursus aqua, forte è

vado relata in medium flumen, ubi id angustum maxime, insequentes implicuisset. Aspectabat suorum cladem, ut jam dixi, è Scakerloensi aggere Requesensius. & Romerus, illic enatans, cum ad ipsum accessisset; *sciebas, inquit, terra præliari gnarum, mari imperitum esse. jussa sedulo executus, victus redeo. nec mirari casum debes; quin si classes centum dares, omnes perderem.* ad quæ blande Requesensius, *ita Deo placuisse, cui gratia, etiam in adversis, agenda. & peccata meruisse; tum arcanas causas esse. sat virtutem ipsius cognitam, militumque: ac pugnasse pro virili universos.* Dum ad Bergas dimicatur, Sanchius Avila, cum majorum navium classe Barlanda solvens, Borfelam venit, illic de Glimesio nuntium accepturus; aut, dum ipse classem in conspectum duceret, substiturus. Interea angi valde Auriacus, ne pervaderet Middelburgum; quippe naves, quas objecerat, repugnare non sat validæ, exempta magna parte militum, ad Boifotum adjuvandum: ideoque, in conclave sese abdens, animum ad preces vertit. cum mox eum in ancoris stare nuntiat. unde lætus, quando adverso deinde fluctu frustra id conaturus esset, surgens, actis Deo gratias, foras prodiit; eminusque è cothone Vlissingano ad Breskensam stantem videns, nihil amplius de victoria, quæ & statim nuntiata, dubitavit. Sanchius autem, de Glimesio victo certus, metu, ne in ipsum quoque victor hostis classem verteret, fugam cepit; & Antverpiam, aliquot amissis navibus, retro cessit. Ac navalem quidem hanc pugnam, suorumque in ea cladem, Mondragonius, qui obsessus Middelburgi, vix quadriduo post rescivit. cum Trenchantum centurionem interea ad Requesensium mittit, nuntiatque; *se adhuc, cum Arnemudanis, obsidionem tolerare: atque à decima vespertina ad undecimam, è Middelburgensi turre, ignem ostensurum esse. quem omitti cum videret, ne quid porro in discrimen classes daret, nisi insulam universam occupare statuisset. copias attenuatas, indiesque è militibus amplius viginti mori; pastillosque è lini semine ultra etiam detrectare, vix in diem tamen decimum suffecturos. quin & spisse, si contingat liberari, longa fame stomacho debilitato, morituros. neque spem restare ullam, quando classes è conspectu recess-*

recessissent. quæ si ante diem solis imminetent non adessent, saltem, in quemcumque eventum, cymbas aliquot, cum frumento, mittere vellet. tum mandaret, si cedendum urbe foret, quid tot mercibus, quæ in ea abundarent, factum vellet; perdi, an servari, cuperet. Hic Trenchantus interceptus, literas, plumbo alligato, ne his potiretur hostis, in mare abjecit; verum, refluxente aqua, in fundo inventæ, hoc arcanum detexere. ipse, ad Auriacum ductus, pro duobus mox naucleris, Arnemudæ tunc detentis, libertati restituitur; prius tamen Arnemudam prætervectus, ut de classe profligata testimonium perhiberet. insuper referre jussus, uti intra diem quartum sese dederent, aut extrema experturos. Ita emissi à Mondragonio quatuor centuriones, Henus, Ægidius, Villanus, Grenetus, de deditioe acturi. conventumque, ut Middelburgum, & Arnemuda, salvo belli instrumento, mercibusque, in Auriaci potestatem traderentur. milites, cum armis suis, & fortunis, inde excederent. etiam monachi, sacerdotes, cum amictu omni sacro, ac rebus suis. nautæ item, annonarii, tormentarii; & quicumque demum vellet. hisque in vicinam Flandriam deducendis naves quoque, & commeatus, præberentur. Mondragonius Philippum Marnixium Aldegondium, Jacobum Simonium, Citadellam, Pettimum, & legatum Gulielmi Augerani, intra proximum semestre restitueret, ni præstaret, ultro in carcerem rediret. denique CCC cives Vlissingani, Veriani, Zirizeani, urbi captæ imponerentur. Hæc ad diem xvi Februarii in arce Rammekensi acta; & Valacria universa Auriaco cessit. Magna sane hic Mondragonii virtus fuit, & extrema toleraverat, antequam se, urbemque, dederet; fame, non armis, coactus. quippe jam consumptis pene vaccis, equis, canibus, catis, muribus, gliribus, pastillisque è lini femine. ordinata initio annona, constituerat, uti panis uncia xxiv militis diurnum essent. eam sensim, ob defectum, imminutæ; & vix duæ tandem datae. jamque huc redactus erat, ut ne decem quidem dies ultra sustinere posset. adeoque attritæ vires, ut à proximo semestri, necdum toto, homines cIcIcc, fame enecti, interierint. etiam stipendium deerat; itaque quadrati nummi ex auro, ar-

gentoque cusi: queis inscriptum. D. R. F. P. Middelb. neque intus laboratum tantum fuit; sed tentata etiam foris cuncta Hispano. & impensa hoc biennio, præter stipendia, naves, tormenta, septuagies centena millia florenorum. Sic Auriacus jam Valacria potitus, Arnemudam statim munivit. Ludovicus Nassovius, post horrendam lanienam Parisiensem, à rege Carolo, serio an simulato, varie adjutus; confirmante Alençonio, cum Henricus in Poloniam se conferret. atque initio, conscribendo exercitui, Rhetiensis, centum florenorum millia procurare ipsi jussus; mandatumque Galeacio Fregoso, ut Germanicos turmarchas conveniret, & militiae ejus obstringeret. additi bis mille Galli, è præsidiis Metensi, Tullensi, Verdunensi. jamque copiae justæ erant, octo fere millia peditum, equitum tria, cumque his Christophorus Bavarus Friderici Palatini filius; ac Henricus, fratrum minimus. ita instructus, ad Trajectum Mosæ tendit, tentaturus, an opprimere forte posset. urbi tunc Franciscus Montescoca præerat. terrore quoque propero Nassovii adventu, Bernardinus Mendosa accessit, alam equitum suam adducens, aliasque item quinque; & Christophori Mondragonii sclopetariorum sextam. moxque subsecutus Avila, cum non parva sclopetariorum peditum manu. Requesensius in Germania VIII equitum cIc legerat, equitumque legionem, sub Hannibale Altemisio; Helvetiorum è quinque pagis Iv cIc, & Belgarum xlii signa. tum Consalvo Bracamontio imperaverat, ut duo Hispanorum millia, è Batavia; Joanni Baptistæ Montio, ut tres equitum turmas adderet. Cum Mendosa, exeunte Februario, advenisset, firma adhuc ubique glacie, communire urbem in primis contra vim externam coepit. intus quoque, cum in socios magna ex parte oppidani propendere putarentur, ne movere quicquam possent, accuravit. inde Avila advenit, signa tria è Sicula legione adducens, sub Damiano Morale, Alfonso Galeacio, & Joanne Aquila, Petri Consalvi Mendozæ, tunc absentis, vexillario; item sclopetarios Belgas septingentos, sub Lopezio Gallo duce. inter eos, tam exiguo intervallo separatos,

ratos, aliquoties levibus proeliis decertatum. donec Avila, gnarus, hostes per hospitia laxiora dissipatos, xv Kal. Aprileis cohortes aliquas, quæ securiores paullo, ad Bommeliam, quarto à Trajecto lapide, noctu invadens, septingentos fere cædit. cumque auxilio equitatus è propinquo adveniret, Petrus Bustus, & Mutius Paganus, levis armaturæ duces, occupantes, universum disturbare; ignibus interea accensis, ad quos omnes copiæ in armis accurrere. Nassovius ipse cum equitibus circiter mille adeo festinato accessit, uti, equis anhelantibus, quamlibet sereno cœlo, vapore denso aër circum nebulosus appareret. in conspectum Hispanorum cum venisset, copiasque in agmina quinque disparasset, Hispani, quia pauciores, pugnae aleam detrectare. ac diversi tandem utrinque recessere. ac Nassovius Falcoburgum, & Gulpenum, castra movit; quo secutus illum Avila cum quingentis sclopetariis, equitumque turmis octo, ultimum tantum agmen carpens, non magnopere lædere recedentem potuit. jamque etiam è Batavia Braccamontius cum viginti quinque signis, Montius cum equitatu, Ruremundam, sicut ambo jussi, advenerant; veritusque Requesenius, ne, transmissio forte Mosa, in vicinos Atvaticos, tunc nutantes, hostis duceret; occupandum eum ratus, prius adoriri statuit, quam Auriacus cum Nassovii fratris copiis suas jungeret. itaque Avila, cum suorum lecta manu, propius admotis castris, quo facilius, quidnam moliretur hostis, exploraret, levi eum aliquoties pugna tentans, nil effecit, nisi ut, de Mosa illic transeundo animum abjiciens, retro Noviomagum duceret, Mosamque inter & Vahalim castra poneret; ubi Auriacus, qui in insula Bommeliana copias legere, jamque in promptu peditum sex millia habere, sese conjuncturus erat. suspicabantur Hispani, de capienda astu, aut prodicione, Ruremunda agitasse; ideoque Falcoburgo copias tunc abduxisse. eapropter, qui instaret abeuntibus, missus Ioannes Alcoëta, cum delectis cataphractis, & equitibus sclopetariis; huncque Avila, cum exercitu universo, in ulteriore ripa insecutus, in Cucanum agrum venit; ac postridie Mosam, ad urbem Graviam, transit: missis Hiergio, qui tunc Noviomagi agere, cum trecentis Siculæ legionis sclopetariis; & Capresio, cum Burgundicorum equitum sua ala; qui Vahali objectum aggerem custodirent. Et Auriacus, Ruremundam tentaturus, in qua clam faventes aliquot, collectis copiis, navibusque, Vahali adverso cum Varicum devenisset, arcem Wardenburgum exussit, quam trecenti Hispanorum infidebant. Ludovicus, ejus frater, ad xi diem Aprilis, festo Paschatis, instituto versus Noviomagum itinere, ad Movicum mox subsedit. is Cucani agri pagus, à meridie Mosam habet, & adversam illic Cucam; à septentrione montem, ad tormenti tantum ictum dissidentem. medioque ibi spatio Ludovicus equitatum, quadrifariam tributum; in summo monte, equites centum collocaverat. pone, haud magno intervallo, agmine quadrato, peditatum substituerat, in quo signa viginti quinque. juxta pagum decem alia, vallo, ante eum ducto, propugnando destinata. Avila contra peditatum Hispanum omnem, in agmina quatuor distributum, quia loco nimis arcto premebatur, alterum alteri substituerat; duxque illis Ferdinandus Toletanus, qui, quantumvis corpore æger, pugnae interesse voluit. Belgas Braccamontius ducebat, & Mondragonius. ad sinistram equitatus pariter ac Nassovia- nus, in agmina quatuor divisus; singulisque sclopetarii, qui eorum latera tegerent, attributi. ad dextram alterum equitum agmen, è Ferdinandi Toletani, Ioannis Baptistæ Montii, & Camilli Montii, alis comparatum. pone Curtii Martinengi, Bernardini Mendosæ, & Lupi Sapatæ alæ collocatæ: quarum ultima Ægidium Barlamontium Hiergium ducem habebat. ita instructa utrinque acie, ad diem xiv Aprilis, duabus ante meridiem horis, Mondragonius sclopetarios quadringentos, partim Hispanos, sub Didaco Montesdoca; partim Belgas, sub Rolino, & Hugeno; in hostile vallum ducit: ac, post acrem diu pugnam, propulsatis defensoribus, tandem superat. mox viginti quinque signa, in planitie, inter vicum & montem media, collocata, eo tendunt; ereptumque statim locum vi recipiunt. eo facto, acrius in-

instaurata pugna, submittente pulsus Avila sclopetarios Hispanos ducentos, sub ductoribus Petro Benanida, & Laurentio Cava; Belgas centum, sub Octavio Picichello; totidemque sarissophoros, sub Francisco Salazario. ibi primus Montefdoca, vir egregius, vallum infilit; & ad ejus mox exemplum plures alii, queis par virtus: rursusque eo, etsi cæso Montefdoca, potiuntur. ac, ordinibus dissipatis, fugam Nassoviani capiunt. necdum tamen, integro adhuc equitatu, debellatum. instante Hispano, Ludovicus Nassovius, Bavarusque, ut certamen restituerent, ocius peditem jam turbatum accedentes, partim hortatu, partim precibus, denuo in hostem eum ducere conabantur. verum frustra; & stipendium etiam multi postulare. quo Nassovius conspecto, cum equitibus sexcentis pugnam instaurans, hostem acriter invadit. isque inclinabat etiam, ut hinc fama de victoria spargeretur. sed Ioannes Baptista Montius, & Bernardinus Mendosa, impetum exceperunt primum, inde totum repulere; ita ut agmine bipartito mox recederet. ac Bommeiam pars contendere, pars repetere summum montem. unde, collectis viribus, in planiciem descendentes, cum redire ad pugnam vellent, equitem Hispanicum numero longe majorem conspicientes, consternati, in fugam semet conjecere. Ludovicus Nassovius, Christophorus Bavarus, & Henricus, Nassovii frater, postquam, diu præliati, nil virtute sua dignum omisissent, cecidere, incerto fato. nam post prælium vestigati, inter vivos, mortuosque, nusquam inventi. equitatu dissipato, mox Hispanus reliquum peditatum invadens, misere eum profligavit. parsque in vicinam silvam fugientes intercepti, pars paludibus submersi. universim è peditibus duo millia, & sexcenti ex equitibus, periire. impedimenta, & triginta signa, capta. Fuit sane Ludovicus animo, quam fortuna, melior; multa que ausus, pauca fortunate gessit. Galli, qui in prima acie, cum fortissime dimicassent, è periculo evasere; cum Hispani in quadratum majus agmen, à quo magis metuebant, se converterent: unde illi, postquam flumen transmisisissent, collectis prope Rhenum

viribus, ac quibusdam è nobilitate se adjungentibus, Kerpam arcem Auriaci auspiciis captum eunt; & Trajecti præsidariis astu eam recuperare satagentibus, tamen retinent, ac triginta ex iis cædunt. inde cum ad Viti fanum Itali aliquot, Hispanicque, lustrarentur, impetu in illos facto, partim occidunt; centum etiam, & triginta septem, capiunt. apud Treviros alii Galli, in signa sedecim distributi, cum se Ludovico Nassovio adjungere vellent, mox accepta ejus clade, Argentinam iter vertunt; ubi Hannibali Altempio obvii, duas ejus legiones, quas conscripserat, improvise opprimentes, necdum armatas intercipiunt, dissipantque. idque ipsi, in Belgium eunti, aliquantum moræ injecit. Hispani, quam virtutis laudem ad Movicum comparaverant, mox tumultu corruperunt. nam stipendium flagitantes mensium sex & triginta, cum in promptu id non esset, raptis signis, avulsisque, & repudiatis ducibus, facto agmine, Antverpiam ire omnes statuunt. id cum gnarum Friderico Perenotto Campaniaco, qui præfectus urbi illi cum Belgarum signis quatuor, totidemque Germanorum, sed quibus minus etiam fideret, ob stipendia item debita; ut periculo anteverteret, cives esse in armis jubet, remque omnem Requesensio, qui Bruxellis, statim nuntiat; & auxilia mitti postulat, præsidiumque, quod in arce, permutari: metuendum enim esse, si postica porta alios intromitterent, quod facturi viderentur, ne, querela eadem usi, his se jungerent. & augere metum istum, asperatum Sancti Avila in Antverpienses animum. hæc monenti primo fidem Requesensius denegare; sed mox certior, ad xxiv Aprilis ipse in urbem est ingressus. ubi ei Campaniacus auctor esse, uti arcem occuparet; aut permetteret, vallo obducto, vim in cives prohibere: idque regi omnino, & urbi, expedire. verum ille, qui Brabantos ad tributum concedendum, paullo ante denegatum, hoc tumultu permovere constituerat, neque arcem ipse intrare, neque vallum ei ullum obductum cupere. nam periculum in priori suum esse, in posteriore probrum: nec decere, ut præfectus viam ostenderet oppidanis, qua inutilem regi arcem facere possent. ceterum se curaturum, ne quid usquam peccaretur. cum his dictis Avilam

CIC 10
LXXIV.

lam mittit, qui vim omnem prohiberet. sed nil iussa, apud tumultus obstinatos, valere. quin & comprehensum ipsum, ut quidem præ se ferebat, coëgere, ut sub arcem eos duceret. idque factum ad xxvi Aprilis, hora undecima, cum in curia Campaniacus ab urbano magistratu quadringenta florenorum millia peteret. qui id ubi accepisset, statim arma capere militem, & ad arcem, prohibendæ Hispanorum irruptioni, ire jubet; simul etiam Requesensio nuntium mittit. is præfidiarios quosdam jam rogare, cur non sclopos, aut tormenta, in obversos exonerarent. quo comperto Campaniacus, è ductoribus Versium, Sterckiumque, jubet in Hispanos, ad hiatum muri intercisi stantes, sclopos agere. sed mandatum Requesensius, statim accurrens, inhibere; ipsi insuper Campaniaco, vehementer admiranti, sed obnoxio, ut cum suis, Germanisque, retrocederet, ceu tumultu inde in urbe orituro, imperare. interim in fossam Hispani jam descenderant, quam impleverant; murum etiam demoliti, sine ullo Requesensii respectu, qui offensam simulare, coram Chiapino Vitellio. hæc cum geri Campaniacus animadverteret, quod putaret factu optimum, novam in urbem se cum suis, classiariorum ibi ope usus, recipiebat. ita area, inter urbem arcemque media, occupata, acieque ordinata, recta in urbem Hispani tendere; edicente Requesensio, *ne Georgii præterire fanum audeant: illic agerent, si quid vellent.* erant circiter tria millia; animosque multitudo faciebat, & arcanus Requesensii consensus. qui cum nihil, quam promissa, expediret; summo cum clamore omnes, sonituque tympanorum, & scloporum, plane horrendo, urbem ingressi, ad Meranum pontem tendunt. Campaniacus, cui maxime infestis erant, in ulteriorem urbem, vulgo novam appellatam, inque domum Hanseaticam, se receperat; sarcinasque educebat. quarum tamen partem aliquam, ædes ejus populati, oppressere. circa vesperam, fame urgente, Mera agmen deducentes, forum petunt; curiaque occupata, lautiores circum ædes, ubi optime instructam mensam existimarent, deni aliquot, duodeni, ac viceni, sine metatore invadunt,

totam noctem protervissime perbacchati, summo in metu anxios cives tenuere; dum fortunis omnes suis, quidam vero etiam vitæ, metuebant. quin terrore, expulso foetu, foeminæ exanimatæ. ac postridie, simul portæ aperirentur, multi urbe, cum uxoribus, liberisque, rebus cæteris relictis, excessere. postquam forum, curiamque, invasisent, assignato ibi hospitio Electo suo, tympanis pulsatis omnibus, mox edicunt, *ut cum suis Campaniacus intra viginti quatuor horas urbe exiret; expellendus, nisi faceret.* deinde certum hominem mittunt, qui in domum Hanseaticam hoc mandatum ipsi ferret. isque illis respondere; *id mandandum à Requesensio. qui si faciat, tum deliberandum fore.* quam ob causam die postero, qui xxvii Aprilis, summo mane accitis copiis universis, pontes omnes, aditusque in novam urbem, occupatos, magna cura plaustris, carris, sacco lana plenis, obstruit; naves quoque bello instructas pugnae parat, tormenta onerat: nihil denique, ad injuriam propulsandam necessarium, prætermittit. adjutabat & Hamstedius, admiralii legatus, & navales focii omnes, genus manu valde promptum, avidumque confligendi. Hic Vitellius, Mondragonius, alique, intercedere, & pacare tumultum velle, verum frustra; clamore horrendo vociferantibus, *ut stipendium ipsis suum exhiberetur; militesque etiam Belgæ, cum præfecto Campaniaco, urbe exirent. sola ista ratione satisfieri sibi posse.* cumque tandem, de mandato Requesensii, Campaniacus, tranquillandæ tempestati, exiisset, Eeckeramque, & Wilmerdoncam, milites Belgas eduxisset, clausis portis, obsessisque, claves rapiunt; nihil interim de protervia, vique alia, remittentes; ut stipendium, de quo jam expediendo in curia à magistratu agi, extorquerent. cumque Hispanus Iesuita, magnæ existimationis, concionem in foro quandam institueret; & *tumultum ut omitterent, hortaretur: peccatumque non exiguum, matribus cum foetu enexis, perpetratum predicaret: futurumque sine dubio ultorem deum, quem deberent revereri: evestigio obturbantes, non se concionem in præsens, sed pecuniam, postulare, occlamabant. plura dicere cupienti, ne quis ex-*
audire

audire posset, pulsatis insolenter tympanis, obstrepebant. dum hæc fiunt, advocati à magistratu cives opulentiores; queis pecunia, pro ratione facultatum, imperata. nec immunis sacer ordo, qui cum oppidanis pariter contribuere. inde Electo nuntiatum, locum aliquem designaret, ubi & recensio fieret, & stipendium solveretur. ac præterea Requesenius à se admonere jubet, nimis petulanter actum; peccatumque etiam in regem, & existimationis item suæ interesse. abstinerent à protervia, & quietè noctem agerent. ad quæ miles; justa omnia abs se peti: ac, stipendio persoluto, ad obsequium rediturum. noctu vero non deinceps turbaturum. Ad xxix diem insequentem, convocata in forum concione, Electus acriter omnes increpare; graviter peccatum à cunctis, neque tolerandam audaciam. civibus vim factam esse. quod si viri, militesque, haberi vellent, ne antiquum decus nunc corruptum irent. cumque ad hæc acclamassent, nolle factum, & delicti manifestos noxæ dedere; jussi binos è cohorte una quaque designare, qui negotium cum Vitellio pertractarent; quæque peterent, scripto comprehensa ostenderent. quod mandatum, statim faciunt; & stipendium, ne tertio deminutum, solvi possunt: tum quæ testamento etiam, aut legato, defunctorum deberentur. qua de causa cum Vitellius pro stipendio decem mensium pecuniam numerandam offerret; ac pro quinque, pannos laneos, lineosque, sericosque justo pretio æstimatos; non contenti, ad Dominos Milites rem se relaturos esse, respondere. unde cum in forum iterum convenissent, & Electus auctor esset, ut oblatis à Vitellio acquiescerent; sublato incondito clamore, vociferari: totum se stipendium velle; neque verba ultra danda, sed pecuniam. Hic Electus indignatus, perduelles eos dicere, & supplicio extremo dignos. nam Antverpiam, urbem regiam, ceu hostilem ingressos esse, murosque ejus violasse. tum præfectum, ibi à rege constitutum, & præsidium, expulisse. alia etiam multa ausos, non tam temere condonanda. post quæ cuncta offerri à magistratu tamen supplicante, quæ accipere ipsi debeant, flexis genibus, junctis manibus, gratiasque deo agentes, tam benigne secum agi, qui gravissima meruissent. quod si pertinaces essent, omnes, prout meriti so-

rent, luituros. se deinceps magistratu, quem per vim imposuissent, fungi nolle; neve ducem perduellium appellari. itaque abrogarent ipsum, aut occiderent; certum enim, non in posterum eorum. Verum illi eadem omnia usque ad ravim occlamare; se stipendium, à triginta sex jam mensibus sibi debitum, idque totum, postulare: ut imminuant; non passuros. hac mercede vitam sese regi suo mancipasse; quam diutius differri, valde iniquum, & indignum etiam, esse. tum clamore, strepituque tympanorum, & scloporum, urbem totam pervagati, noctem illam civibus terribilem faciunt. quin modestiores quosdam si viderent abstinerere, eadem perpetrare cogunt; ut, quos causa conjunxisset, hi communi quoque culpa tenerentur. Totus, quem jam dixi, dies vicefimus nonus in pecunia expedienda occupatus. ac Requesenius postulare ab urbano magistratu, quadringenta florenorum millia ut suppeditaret; se, quod desit, curaturum: paratumque pignori dare suppellectilem universam argentariam, & gemmariam: ac jam, ut Bruxellis ea deferretur, imperasse. ita à civibus, qui summopere ab hospitibus tam protervis liberari cupiebant, summa ista procurata; eo promptius, quod & gratia in stipendii parte fieri putaretur. nam, si totum exegisset, decies amplius centenis millibus opus fore. Trigesimo die, pulsato tympano, undique milite convenire in forum jussu, iterum è fenestra curiæ verbis blandis admonere illum Electus, tandem ut turbare desineret, ac pecuniam impetratam in soluti partem acciperet. tum ad literas, quas è sinu protrahebat, respondere. in his postulati summa; & adjunctæ in ipsum minæ, si faveret parti adversæ, se precipitem è fenestra dejecturos. neque aliud quicquam velle, quam stipendium; & id quidem universum. igitur istud procuraret. Post Electum Sanctius Avila persuadere rem instituit; hortarique, pro stipendio quinque mensium pannos caperent laneos, lineos, sericosque, pretio suo æstimatos: ceterum omne in pecunia numerata habituri. hic cum recusarent alii, alii contra inclinarent, iterum Electus; si Hispani, & subjecti rege suo digni essent, oblata sumerent. ac tantillum in necessitate summa darent regi, qui tam diu aluisset, amaretque plurimum omnes, & virtutem adeo ipsorum faceret maximi, quibus verbis deliniti, accla-

cis 13
LXXIV.

accla-

acclamare; daret ergo, quod promitteret. non se quidem pannis ullis indigere, sed hanc regi gratiam facere, cuius nunc necessitati subveniendum animadverterent. tum Fregosus, è societate Iesu, etiam ipse gente Hispanus, cista quadam forte ascensa, adhortari in concione; reputare admissum facinus apud animum suum vellent; quaque se injuria ipsi, & Hispaniense nomen, affecissent. neque facile ignominiam eluendam. itaque, quod unum possent, pœnitentia emendarent; & peccatum confitentes, porro sese ritu sacro expiarent, prius quam ex urbe exirent. sic pacati, ad sonum tympani mox edicunt; ne quis cui vim deinceps ullam inferat; neve hospitium, nisi assignatum, capiat: quique præberetur victus, eo ut contenti essent. sed non diu quievere. nam ad diem **V I I I** Maji, dictitante Requesensio, mitigandam sibi videri solutionem, & commodius tempus dandum, ad ingenium, clamoresque usitatos, rediere. ac tribunos, ductoresque omnes alios, ne hi cætero etiam militi persuaderent, intra horam unam, aut alteram, tota urbe exire jubent. nisi facerent, per sarissas, quod supplicium militare, transcurrerent. maxime autem Iuliano Romero infesti; quem, cum decem, aut duodecim, centurionibus, dedi sibi postulabant. jamque ædes effracturi videbantur, cum mox, ira residente, ipsum, illosque, sine ulla cibi copia, urbe emittunt; vexillarios tantum suos, qui conscriberent rationes, retinentes. per has turbas acto hoc octavo die, haud pacatior nonus fuit; cum turbare etiam arcis præsidarii instituerent; &, Electo constituto, ac majore tesserario, præfectum ejus, Sanctium Avilam, claves prius tradere jussum, exigere vellent. verum ille, animi melior; & nec claves ipsis tradere, neque arce, quam ad mortem servaturum sacramento se obstrinxerat, exire velle. ac Vitellius, ut compesceret, mane accedens, postquam in pontem pervenisset, evocato ad se Electo, & tesserario, post sermonem commutatum, cum se in arcem contulisset, illo utroque à Francisco Salvatera interfecto, atque in fossam deturbato, uti solet, ereptis jam facinoris ducibus, pavidi cæteri, ab incepto destitere. undecimo Maji acrius turbatum fuit; cum in quinque menses panni præberentur, mit-

teret Requesensio typis editum libellum, ac testaretur, non promissam jam pecuniam solvi posse. & obstare sibi ipsos, qui commercia, collybumque, perturbarent. octo, aut decem, mensium stipendio contenti essent. nam restare, sub Erico Brunsvicensi, octo amplius equitum millia; & Helveticas legiones duas, tresve: ad hæc copias ex Italia advenire. inde, nisi precibus cederent, comminari; tum & astu agitare, ut divideret. sed blanditiæ, minæ, astus, juxta fuere. ac Franciscus Bobadilla male acceptus; Electusque, tanquam fidei parum certus, loco motus; altero illi substituto, quem mox tamen fustuario affecere. cum postridie illuxisset, structo è congestis cistis ante curiam altari, & peractis rite sacris, omnes sese ad mutuam fidem obstrinxere; conjurantes, & Electo parituros; & stipendium, nisi totum, haud sumpturos: tum excubias, & concordiam, ne dissidio destruerentur, habituros. inde id, scripto consignatum, ante curiam proponunt; delictisque, puniendis furcam statuunt. tandem, ipso Pentecostes festo die, res composita. celebratis in majori templo sacris, & stipendio numerato, ante actorum venia à Requesensio data est. hinc magnifici in Merano ponte ludi, in honorem Requesensii, instituti. Hic seditionis finis; cujus duces, data oportunitate, castigati: cætero milite in Hollandiam, Leidæ illic obsidendæ, ablegato. quæ dum fiunt, consilium Requesensio erat, Hollandiam australem, borealem, & Zelandiam, occupare. atque in promptu in rem istam gemina classis; una Hispanica, ad Sanct-Andream fanum: altera Belgica, ad Antverpiam comparata. utraque ad Vlissingam urbem in Zelandia conveniret; unde, Brila occupata, Amstelodamum, & Hollandiam borealẽ, mox invaderet. qua subacta, ad Zelandiam se converteret, nunc facilius subjugandam. post quæ, libero maris imperio, fluminumque, bellum ex voto finiretur. sed hæc animo agitantem longe eventus frustra habuit. nam quæ in Hispania classis, sub Petro Malenda duce, ex præfecto Floridano, parabatur, morte ejus impedita; Belgica autem, profligata. In hac triginta naves erant, bene instructæ, sub ductore Adolpho Hamstedio, qui vicariam maris præfecturam gerere. ac ne ea
tunc

tunc tumultuans Hispanus uteretur, ad Lilloum castrum deuehi iussa erat. quod Zelandis ut compertum, visum Auriaco, & Ludovico Boifoto, hanc invadere. dux Boifotus, ac cum eo, Cornelius Nicolaus, Iustus Morus; Martinus Drogus; Vincentius Sebastianus, Everardus Henricus, alique. hi, cum Brouweram attigissent, naves aliquot leviores, quæq; velis meliores, speculatum ad hostilem classem mittunt; è qua duas superatas ad Boifotum statim abducunt. quarum indicio cum acciperent, cæteram classem Ordami stare, oppugnare eam statuunt. nec consilium dilatatum; recta in adversam tendunt. illa autem, advenientes conspicata, statim retrò fugam capere. sed Boifotus tardiores magnitudine sua naves, levioribus ipse vectus, supra Calloum affectus, facile vincit. & ex iis tres exustæ; mersæ quinque, vehementi tormentorum explosione: captæ quindecim, cum tormentis æneis pariter, ferreisque, amplius centum. una præfectus Hamstedius, cum domestico instrumento universo; quod in navem, Hispanici tumultus metuens, ante abdiderat. Sic deleta ista classe, alteraque impedita, de Hollandia australi, ac Zelandia, occupanda, Requesensius spe dejectus. In Hollandia boreali eadem fortuna fuit. huc sub hiemis finem missus Chevercaulxius, tria millia Germanorum secum ducens, Egmonda, & aliis partim locis, tripartito juxta Assendelfium agmine, dum constrictæ adhuc summo gelu aquæ, Gispam, Wormeramque, ceperat: mox receptas, simul gelu remisisset. ac Hispani cum recuperare vellent, hoc ipso Pentecostes tempore, succurrentes Alcmariani dissiparunt; ita ut pars Purmerendam, alii Monachodamum peterent: ubi à rusticis intercepti, multi occisi, multi in aquis periere. præmiatores aliquot octuaginta octo, cōto longiore instructi, cum acuta è ferro cuspide, quo & fossas transilire, & pugnare in hostem possent, ad sexcentos cecidere, Hornam captos nonaginta abduxere, quadringenti juxta Monachodamum cæsi. pauci Ipendamum elapsi, non multo post expugnatum. Philippus, ut præfectum novum Belgis gratiorem faceret,

ac tributa, quæ petierat, obtinere facilius posset, ad VIIII diem Martii Mantuæ Carpetanorum iterum veniam dare velle se pronuntiat; idq; in urbe Bruxellenfi ad XI diem Iunii promulgatum. ergo ignotum delictis omnibus, quæ ab anno usque LXVI admiffa essent; *modo vera pœnitentia, animoque non fucato, & proposito constanti, in ecclesia Romana sinum peccata ipsi sua effunderent, veniamque postularent.* pauci exempti, quorum nomina mox edenda. atque id datum non his tantum, qui in regis sui fide, & obsequio, permanfissent; sed qui etiam exuissent, si ad proximum bimestre iterum se submisissent. quin si aliqui jam damnati in iudicio, tamen isto beneficio fruerentur; restitutis item bonis, etsi fisco adjudicatis, nisi ea jam in usum regis applicata essent. quæ & ipsa redderentur, si probare certo testimonio possent, vitam sibi in religione avita ubique, & constanter, actam. inter hos censerent Ordines provinciarum, civitates, & collegia; ea lege, ut deinceps ad præscriptum regis agant: quod ad rationem pariter, & necessitatem rerum, temperatum, tale foret, ut ex eo benevolentia in subiectos, & affectus, satis clare apparerent. sed concessio ista veniæ, etsi magna sane pompa promulgata, nullum fere fructum habuit. & hoc tempore Requesensius porro tributum urgere, vicies centena millia, singulis annis exhibenda; inde geminam centesimam, jam promissam. verum refragari Ordines, *litumque non ferendam insolentiam* accusare; *quæ commercia, solum reip. nervum, perturbaret. multa hæcenus, & promptissime, tribuisse; sed reip. nil adjutam, quin afflictam magis esse. ideoque jam exhaustos, nec impense ultra pares. certiozem de miserrimo Belgii sui statu regem faciendum; orandumque, ut venire, & inspicere ipse, vellet. id necesse, aut mox nullum habiturum.* Post hæc animum ad Hollandiam armis subjugandam vertit, & Lugdunum obsidere iterum visum. ea inter urbes grandiores quarta, existimationem suam, ac provinciæ libertatem, præclarissime est tutata. Quadrifariam aggredi placuit. ac Harlemo pars per mari oppositos colles, per canales pars incumbere; alii rursus Ultrajecto, alii Sconhovia ducere. Qui Harlemo adve-

niebant, Nordovicum, & Valckenburgum, in itinere objectos pagos, munitoque, diffugientibus præfidiariis, occupare. Ultrajecto venientes, & Goudanum emiffarium, & Alfenum, prohibebant. sed utrumque expugnatum, liberam inde viam fecit. ceteris locis nullum impedimentum erat. itaque undique urbs obfessa. Auriacus statim datis literis adhortari, ut urbem ordinarent; ac, annona constituta, mendicantes, & invalidos, removerent: tum Anglorum signa decem, duce Eduardo Chestrio, in præsidium intromitterent; & trimesse saltem unum obsidionem tolerarent. se interea liberandis, quæ necesse, paraturum. quod si fortè longius etiam differantur, nolent animum despondere. quippe, si perseverarent, etsi post arumnas quasdam, certam liberationem; si fatiscerent, servitutem sempiternam ipsis fore. Præfectus ab Auriaco datus Theodorus Bronchorstius, vir egregio in patriam affectu; sed præsidium nullum erat. itaque à civitate lecta signa quinque, sub Ioanne Duvendordio, Iano Doufa Nordovico, Andrea Schotto, Bartholemæo Havicio, & Nicolao Theodoro Montfortano. Bronchorstius inter primas curas urbem, & annonam, ordinat. censu habito, amotisque, qui obsidioni inutiles, capita quatuordecies mille sunt reperta; & frumenti, his alendis, modii vix quater mille. Hinc diurnum unicuique in bimestre panis selibra constituta. lacque vetitum, nisi pressum, venum dari. equi, circiter nonaginta; bubuli pecoris, supra mille. illi, in stabulis retenti; hoc, in pascua dimissum: unde identidem, imminentibus obsessores, quod mirandum, sonitu aliquo, quem dignosceret, revocatum. neque, præter vaccam unam, & tres vitulos, quicquam abactum. sæpe hostem, levibus proeliis vellicantes, propulsarunt. sed Baldeo destinatum, fame illos expugnare. interdum etiam per blanditias scriptis literis ad deditonem urbis invitati à Lanoio, Licquioque, isto versu respondere; *Fistula dulce canit, volucrum dum decipit auceps;* neque verbum aliud addere. ac Septembri deficiente, nullo amplius responso dignati, acclamare à vallo suo; frustra insidias agitari, nec se dedituros unquam. potius

fame morituros; quam canina, felinaque, quamdiu illa superesset, tolerare decrevissent. & deficiente ista, levum brachium restare. hoc esuros, dextro autem libertatem ad extremum defensuros. illo quoque destituente, quod non sperent, vitam inedia, urbem incendio, extincturos: nec in potestatem quicquam tyrannorum, præter cineres, aut cadavera, perventurum. sat Machliniam, ac Zutphaniam, Nardenumque, & Harlemum, docuisse, quam clementiam expectare ubi ipsis debeant. quin virorum hanc virtutem quædam etiam uxores accendere, & orare; ne se, communesque liberos, hosti tam crudeli darent. omnia magis ferre certas, quam servitiam Hispanorum, ac libidinem experiri. Ne pecunia deesset, è papyro in priore obsidione pridem cusam revocarunt; quam mox etiam liberati in argenteam commutarunt. ea autem duplex erat; & viginti octo affibus, illa major: ista minor, quatuordecim æstimata. In utraque ab una parte leo stabat, pileum in hastili ferens; circum scriptum, **HÆC LIBERTATIS ERGO.** parte ab altera incisum, **VRBEM LEIDAM SERVET DEVS.** alii quoque nummi facti, cum inscriptione ista. **NUMMVS OBSESSÆ VRBIS LVGDVNI SVB GVBERNATIONE ILLVSTRISIMI PRINCIPIS AVRIACI CVSVS.** parte adversa insignia urbis, claves duæ decussatæ, apparebant. item alii, cum iisdem illis insignibus, addita inscriptione; **PVGNO PRO PATRIA.** Inter ista cum obsessi premerentur, & Auriacum, Ordinesque, sæpe orarent, dare omnem liberandis operam vellent; visum tandem, foeno, stramine, frumentoque passim ex agris subducto, Mosam atque Iselam, perforatis eorum aggeribus, denique Oceanum, intromittere; ac re ipsa hosti ostendere, nihil sibi ante libertatem poni. & iacturam, quamvis magnam, ac sexcentis circiter millibus florenorum æstimatam, contra vitam, fortunamque, inde corporis, conscientiamque sua, detestandam servitutem, parvi facere. Id negotii Gulielmus Palenstenius, Daniel Wingardus, Paulus Buisius, satis gnaviter perfecere; aggeresque locis sedecim perfodere. Hinc Tempehus, qui auxilium postularet, in Zelandiam ablegatus, unde missus Iustus Morus, cum

rus, cum tormentis aliquot bellicis, cæteroque instrumento. hunc secutus, mari præfectus à Zelandis; Ludovicus Boifotus Ruartus; & Adrianus Gulielmus, à Ziriczæis. qui cum nautis octingentis advenientes, machinas æneas, ferreasque, plures centum attulere. tum triremium instar etiam cum carinis planis naves circiter ducentæ factæ; remis decem, aut duodecim, quatuordecim, sedecimve commovendæ. quarum maximis æneum tormentum grandius unum, alterumve, in prora; in lateribus, sex minorum. his impositi nautæ illi octingenti, è Zelandia advecti; homines animi præferoces, ac vulneribus multis truces; brachio quoque pars, aut crure, per priores pugnas mutili. & nonnulli pileis nexas ex argento lunulas ferre, quibus literæ istæ attextæ; *POTIVS TVRCÆ, QVAM PONTIFICI.* quippe ita existimabant; illum corpori duntaxat, istum etiam conscientiæ imperare. A Goudanis sex triemes, sub Wingardo, apparatus. à Delphenibus arca instructa, è conjunctis binis navibus; quæ non remo ullo, aut velo, promoveri: sed constructis intus rotis, quas è nautis duodeni circumagerent. undique latera contra sclopos communita. & tormenta multa imposita, focique quinquaginta. ad hæc grandiores aliæ, densa asserum compage, retibusque interpactis, fabricatæ. tota classis naves centum sexaginta numerabat. in his sub præfecto utroque, Ludovico Boifoto, Hadriano Gulielmo, & Cornelio Nicolaio, suppræfecto Vlissingano, Nojellius, Carnessius, Bouchautius, Iacobus Egmundus, Gardius, Durantus, Cattevillius, Guillereffius, Padrierius, Creitus, Grenutus, Outranus, Citadellius, Herrius, Morus, alii: militesque sclopetarii mille ducenti. bellici instrumenti cura Philippo Asselerio data. additi Ordinum delegati, qui rem summam accurarent, Petrus Wastelius, curiæ Machliniensis consiliarius; Cornelius Bouchorstius, Henricus Duystius, aliique. qui cum Delphis discessissent, ad undecimum Septembris Rota amne in aggerem limitaneum vecti, cum perfossum muniissent, Soetermeram, quam Martinus Ayala tenebat, contendere. ubi Hispani, utrunque latus levi proelio vellicantes, propulsati. & insignis in hanc gentem odii signum nauta dedit; cum evulsum cor occiso, commorsumque, canibus devorandum objecit. postquam aggerem transiissent, per Soetermeranum pontem classis deducenda erat. hic triginta Hispanorum signa posita, sub Ludovico Pimentello, acriter valde propugnabant. ac quantumvis magnam stragem Batavi ederent, tamè quia navis una è majoribus, tormentorum exploforum vi disrupta, mergebatur, recedendum à pugna fuit: ac desiderati illic Cattevillius, Guillereffius, centuriones; & gregarii milites septem. Ad diem decimum octavum, decimum nonum, & vicesimum, flante Cauro, cum non parum aucta aqua, Petrus Wastelius, vir industrius, deprehendit, non jam amplius necessarium, subter pontem ut transirent; verum Segwartensi via, Soetermeram & Benthusam inter media, duci posse. itaque, relicto Boifoto, qui cum aliis pontem porro obsideret, ipse, navibus quinquaginta clam assumptis, & delecta etiam manu, istuc tendit. Soetermeram, ac Benthusam, miles Germanus servabat; sed is territus è præsidio cum diffugeret, Ladrierius statim occupat. eadem via Creitus cum Delpheni arca subsequutus. præfectique tunc Benthusam ad lapidem unum prætervecti, in canali ampliore, cui Nortæ vulgo nomen, qua Swietenum via ducit, totam classem obsessis conspicandam exponunt. & tormenta, quod adventus signum esset, cuncta explodunt; respondentibus pari modo oppidanis. qui jam huc redacti erant, ut equina, vaccinaque, distributa in diurnum unicuique semilibra, victitarent. panis nihil reliqui factum. neque eum quadraginta jam diebus quisquam ederat. canes, feles, glires, in deliciis esse. nec matronæ meliteis suis parcere. radicesque, & caules brassicæ comminuti, lacte coqui. pampinis vitium, arborumque aliarum, item foliis, sale & amylo conditis, passim vita tolerari. corticesque, & putamina, squamæ piscium, è fimetis conquisitæ. è vaccarum, equorumque, & canum ossibus, aqua coctis, succus elici:

ægotantibus, & puerperis, quæ lactarent, in dies singulos buccellatum ad quadrantem libræ appensum. nonnullisq; in ipso utero foetus pæne inedia extinctus; & abortum multæ facere. radix aliqua asse uno; pomum, aut pirum, duobus: quindecim butyri libra æstimata. modius tritici, centum florenis; hordei, toto agro venditus: cui etiam in hunc diem ex re ista nomen mansit, potus, coqui è folliculis hordeaceis. alii filiquas adhibere; ac pro lupulo rutam, & absynthium, indere. quidam acetum, aqua temperatum, fumere. itaque videre erat homines diffutis genis, facie cadaverosa, corpus macie confectum, tremulis genibus, & lapsantibus fere vestigiis, ægre admodum sustinentes. neque pauci fame mori; ad quam pestis accedebat. & utraque ad sex millia intercepti. sæpe viri in excubiis ipsis stantes animam deficientem exhalarunt. alii, ab illis redeuntes, domi uxores, liberosq; exspirantes repperere. ac, sepeliendi merces, ab hominibus ærumnosis, frustum panis poscebatur. ad hæc mala & discordia, quæque comitari huic seditio solet, divexare; sed repressa per Bronchorstium præfectum, qui severe in quoscunq; animadvertere. quo defuncto, mox audacia iis crevit. quidam, in platea mortuus, postquam membra obri-guissent, rectus ante consulis fores à nonnullis collocatus; ceu convitio occulto, *tanquam sua pertinacia cives miseros in ærumnas tam ingentes perduxisset.* aliquando & quindenii, à trecentis, ut ajebant, delegati, cibum in curia à consulibus petere ausi; adjutique à quodam consulum, qui negaret, *civibus suis mortis causam se futurum.* & consilia arcana erant, ut in armis magistratum ad deditioem cogere. qui præmonitus, ut vetaret, prior semper arma capere. denique ad consulem, Petrum Adrianum Wervium, quidam accedere; & orare, *cum Hispanis de tradenda urbe ageret: neque enim famem tantam tolerare ultra posse. sat perpeffos ærumnarum, quibus semel finem daret. penuria cibi, quod miserrimum mortis genus, tot jam millia obiisse. vel reliquias servaret; & obstringeret sibi cives, gratiamque apud regem summam iniret.* quibus ille respondere, *jusjurandum se dedisse,*

quod prestare certus esset. nullum in promptu cibum habere, neque tamen cum Hispano agere velle. quod si ita videretur, se conciderent, & viritim carnes suas distribuerent, ederentque. mortem à natura lege indictam scire; quam sive hostes, sive cives, intentarent, planè nihil interest. bonam sibi in bona causa conscientiam hanc fiduciam comparare, & paratum extrema pati. quod si illi secum fecerint, gloriam æternam fore; si turbarent etiam porro, pœnam minime defuturam. qua constantia consternati, cum facinoris pudore recessere. Hic obsessæ urbis status; & nec caro jam restabat. idque Auriaco, qui à morbo convalescerat, postquam nuntiatum esset, quatuor ipse navibus frumentariis vectus, castra accessit. ubi omnia, cum lustrasset, placuere. verum adhuc aqua deerat, quæ vix novem pollices alta. cum & quindecim, & octodecim, naves quædam postularent. quin &, flante aquilone, retro fluere, usque ad vicefimum octavum Septembris diem. itaque visum, quæ templaris via dicta, cum hæc nimis emineret, ut perfoderetur statim. ac ni, æstuante Oceano, satis aquæ auferentur, operam dandum, clam triginta, aut quadraginta, navibus illic transmittendis, quæ obsessis panem ferrent. cui rei & Grenutus se offerre. Hoc consilium per columbam significatum; monitiq; ne ab hoste per infidias, missa annona, capi sese paterentur. inde erectiores animis, etiam magis confirmati, flante Cauro; cum, in æstu plenilunii, undas suas magna copia mare infunderet; quas mox aquilo Leidam versus compellebat. idque signum manifestum adjuvantis Dei habitum. quam ob causam, cum vicefimum jam octavum pollicem aqua superaret, classem immittere per templarem viam placuit; ac, si alibi obhærerent, decem quidam, aut duodecim, exilientes, naves ita leviores promoverent. id tentatum ad secundum Octobris diem; cum viginti quinque naves præfectorum quisq; duceret. ac Boifotus, Gardiusq; finistrorsum Soeterwoudam; Gulielmius, Citadellius, & Outranus, cum Duranto, iter dextram versus capere. Nicolaius suppræfectus, cum Noiellio, Carneffio, Bouchautio, Herrio, Grenuto, Swietam tendere. Asele-

Asselerius, cum triremibus octo, aut decem, commeatum custodire in canali Nortajussus. Boifotus, media fere nocte ad templarem viam advectus, insidentem utrinque hostem postquam fortiter depulisset, ocius se communire; muricefque, ne invadere quisque posset, passim spargere. inde tribus eam locis perforare; frumentariasque naves plures centum, intromittere: quarum duas, quæ à cæteris aberrarunt, hostis capere. inde recta ad Meranum pontem itum; ubi interdum, non profunda satis aqua, nautæ quidam exsiliantes sublevatas humeris naves provehebant. interim acriter oppugnata Soeterwouda, & incensæ ædes aliquot. qui præsidium tenebant, imminere sibi classem cum viderent, metu ne includerentur, tum majore aquæ incremento territi, non deductis inde machinis, Leerdorpium diffugere. inter hos Valdeus ipse, qui mandare etiam Borgiæ, quando nulla spes auxilii superesset, Lammum item ut desereret, ac periculo se eriperet. Id ad Flevum excitatum, qua transire naves Delphis venientes necessarium, omnium munitionum, quotquot circum urbem erant, ut momenti longe maximi, ita quoque validissimum; & vel solum prohibere liberationem poterat. Borgiam Alphonsus Lopesius Gallus sequi; & Vorscotam uterque fugere: ita sine ullo ordine, ut submersi aquis multi, alii contis interfecti, misere plane vitam amiserint. Hic laudanda Petri Ciaconi virtus; qui cohortis è legione Borgiæ ductor, cum & ipse graviter saucius, & attractus, pro feminece in hostili cymba jacens haberetur: dum securi attrahendis aliis nautæ occupantur, derepente semet erigens, pilo arrepto, nihil tale expectantes pone invadit, tres occidit, cæterosque desilire in aquam cogit. inde cymbam, commeatu, & præda onustam, in suorum manum ducit. Præfecti juxta Soeterwoudam in Papemeram tormenta adduci, Lammo opugnando, jufferant. illud neque capi facile, nec transmitti classis poterat, sine magna quadam strage. ejus rei nuntium Auriaco mittunt, & significant, *oppugnare tamen certos, sed, ruina quamvis data, cum non suffecturus miles*

videretur, excusandos, si virtuti eventus minime responderet. Inter ista Iustus Morus à præfectis ablegatus, ut tribunos, ductoresque, Soeterwoudam convocaret; cumque his deliberaret, *num, relicta oppugnatione Lammi, seorsim, extra sclopi ietum, fossam ducere expediret: quod facilius, & periculosum minus.* sed, dum hoc consilium capiunt, *aufugisse inde hostem, & tormenta in canalem subjacentem dejecisse,* nuntiatur. Causa deserendi Lammi, quod, Valdeus, si oppugnaretur forsan, medio hoste separatus, se suppetiis prohiberi animadverteret. tum columba intercepta, cui literæ ad Leidenses alligatæ, cum mandato, ut, ex urbe facto impetu, illa quoque parte invaderent. hinc obsessis aucti animi; idque magis, cum, ardere Soeterwoudam conspicati, in propinquo liberationem cernerent. gaudiumque tota urbe summum erat; & decedere vallo foeminae, puerique; viri, quotquot arma ferre, stationem quisque suam capere jussi. subductæque è canali naves omnes. tum affari cives suos magistratus; *jam in promptu panem esse, ac solo Lammo distineri: an relinquere cum illic, & inedia ipsi misere interire, an petitum armata manu ire vellent.* ad quæ alacres acclamare; *sibi Lammum oppugnare potius certum; & si arma non sufficiant, unguibus omnes, dentibusque, discerpturos illud esse. igitur aperiret portas, & in hostem ire sineret, se virtutem antiquam animi, licet fracto pene corpore, integram adhuc servare.* Hæc secundo Octobris gesta; cum sequente statim nocte Lammum Hispani, metu magis, quàm periculo, reliquerent. id obsessis ignoratum, & qui eos liberatum veniebant. noctu quidem, cum tormenta sua mergerent, exauditus ingens clamor; sed sperare quod vix poterant, neque credere audebant. tandem indicium puer facere, qui ellychnia sclopetaria inde exire, nec redire, observarat. ac cum veniam explorandi dari sibi petiisset, dimissusque, sicut opinatus fuerat, locum vacuum invenisset, signo dato, ad Boifotum, rei tam optatæ nuntius, ultra pergere. verum neque sic credentes, & hic dolum esse veriti, submisere, qui mox plenam fidem faceret. isque cum & ipse Lammum præteriret, læti omnes

exultare, liberatorique Deo grates agere. & Gerardus Vanderlanus, præmiatorefque aliquot, illico Boisoto occurrere; ac triremibus duabus, quas præmiserat, suum adventum gratulari. Palis, in canalem impactis, viam hostis intercluserat, ne transire navis illic ulla posset. quibus ocius evulsis, tota sub Boisoto classis in obsessam hæcenus urbem introducta, subsequente Gulielmio. & Boisotus, tertio Octobris die liberatam urbem ingressus, incredibili cum lætitia civibusque, & magistratui, acceptus fuit. illud inter læta ista triste visu, cum extenuati summa fame homines in canalis ripa utraque cum vociferatione magna cibum flagitarent, & objectos sibi panes, halecesque, adhuc crudas, ita avide devorarent, ut, debilitato stomacho, illisque coarctatis, multi inde morerentur; cum qui bene in ediam tulerant, cibum ferre, jam defuetum, minus possent. præfecti classis, magistratus, civitasque universa, cum se paullum refecissent, templum petere; & pro liberata urbe, grates Deo summas agere: tanto animorum affectu, ut, cum Psalmi canerentur, incertum esset, plures cantu, an effusis gaudio lacrymis, coetum implerent. tum Auriaco nuntium mittunt. quem cum ille accepisset, ut sacrae concioni intererat, hac finita, mox ministrum coram toto auditorio literas eas recitare, & Deo gratias agere, jubet: urbibusque foederatis idem mandat. Importato in hunc modum comæatu, gratiisque Deo actis, ut victoria uterentur, hosti porro incumbere placuit. isque, tanquam Panico terrore actus, omnibus relictis locis, liberam undique urbem fecit. dux Valdesius, Leiderdorpio cum discederet, tabulae, in qua picta obsidio, subscribebat; VALE CIVITAS, VALETE CASTELLI PARVI; QUI RELICTI ESTIS PROPTER AŒVAM, ET NON PROPTER VIM INIMICORVM. Ejus pertinacia factum dictitabant, ut obsessi conditiones non acciperent; qui col-

loquia, à Lanoio instituta, perturbasset: ægre ferens, expugnatae urbis laudem, de qua minime dubitabat, sibi eripi. idque à Romero etiam, cum ad eum, recensendis Hispanorum legionibus, à prorege Requesensio missus esset, exprobatum. Erant illi in exercitu militum supra undecim millia, & castella ad hæc sexaginta duo; quique urbem liberarent, vix bis mille, ac quingenti, censebantur. atque in fuga, proelii sive anteactis, ex Hispanis instar mille intercepti; cum vix quadraginta è suis Batavi desiderarent. neque illud reticendum. nocte eadem, qua desertum ab Hispanis Lammum fuit, murus, à vaccaria porta ad Burgundicam turrim ducens, cum fragore longo maximo, ad viginti sex decempedarum spatium, una cum pomerio suo sponte cecidit; & apertam, per ruinam istam urbem facile hosti intrare erat: sed hoc ipsum fugienti, tanquam obsessis magno impetu erumpentibus, metum auxit. ac postridie, ut præsentem opem suam Deus manifestam faceret, flans Vulturinus, aquas, ceu perfecto opere, rursus urbem summovebat; & excipiens illum aquilo, cum ingenti tempestate, in Oceanum repellebat. tum Auriacus, urbem ingressus, blande cives, pro constanter tolerata obsidione, collaudavit; & egenis eleemosynam procuravit. dein, mutato magistratu, Kagam, in faucibus lacus Harlemensis sitam, & Goudanum emissarium, communivit. hinc Boisoto, Gulielmio, Nicolaio, & ductoribus classis cæteris, torques aureos, ac numismata, ad memoriam rei cusa, magistratus primum urbanus, inde Ordines, donavere, urbem vero ipsam Auriacus, Ordinesque, Academia ornare; quæ octavo Februarii, anni proxime insequentis, constituta. quibus ita ordinatis, Goudam Auriacus se recepit; ubi ad illum Aldegondius, anno postquam captus fuerat, libertati restitutus, mox accessit.

G V L I E L M I

A V R I A C I

L I B E R X.



Vm ad Leidam hæc geruntur, parte alia Requesensius ad Bommeliam, tum Gorcomium, & Lovestenum, cum exercitu suo esse; si fortasse opprimere alibi incautos posset. sed Balsurius, cum Scotorum septem signis, cum hæc loca insideret, aggeresq; perforaret, frustra hic conatus fuit. quam ob rem Worcomium aggressus, parvum è Gorcomii regione oppidum, in quo signa quinque erant, ter represso prius impetu, cum defendi haud ultra posset, per deditioem capit. Vitellius quoque, signa Germanorum quindecim, & Hispanos item aliquos, ac duodecim tormenta, contra Lederdamum ducere. id exiguum etiam oppidulum: & cohortes duæ impositæ, quæ defenderent. sed continuis horis undecim multis tormentorum ictibus verberatum, cum dejectum arcis propugnaculum esset, ad deditioem actum. hinc munire Werckendamum, & adversam Mosæ ripam; ac, catena interjecta, flumen claudere. illam ab Auriaco missi milites, cum munitionem utramque expugnassent, mox Dordracum abduxere; & victoriæ Sevenbergam addidere. tum tentati per proditioem Delphi ab Hispanis, sed nequicquam. in præsidio signifer Gallus, qui pollicitus operam erat, rem detegere. itaque insidiatoribus ipsis structæ insidiæ; & cuniculus ad Waterflodanam portam, per quam intromitterentur, clanculum ductus. sed cum inter demittendum pons hæreret, foeminæq; in fenestris prope vallum spectarentur, suspicati dolum Hispani, uti erat, retro pedem retulere. nec proditio illis sua, nec insidiæ oppidanis succedere. inde Antverpia, arte pari, & eventu, ab Auriaco pe-

tita. Hadrianus Gulielmius, is qui nobis supra quoque in Leidensi obsidione memoratus, classem navium sexaginta; bene instructam, ad Ordamum, ab Hispano communitum, prætervectus, subter ipsam urbem ducere. intus militum aliquot signa, clanculum à Ioanne Vossio introducta, opportunum capiendæ urbis tempus expectabant, & in arce ex Hispanis plus triginta conjurati. sed consilium cum rescisset è centurione Scoto, hic captivo, Requesensius; ut averteret, ire illuc Mondragonium, & cum eo legionem universam, sexque Hispanorum signa, ocus jubet. tum tempestas illa nocte, qua tentari res deberet, adeo ingens excitata: ut ad ripam, exponendo militi suo, nullo modo applicare naves possent. quæ cum, irritæ conatus, recessissent; miles quoque, qui in urbe, clam dilabi. sed in arce comprehensi Ioannes Alphonfus, item Petrus Maldonatus, capite poenas dedere. mox seditio in Hispanis ingens orta. nam Valdesius cum, Leidensi obsidione derelicta, Hagam comitis petiisset, postulare stipendium miles; quo negato, cum Valdesio ipsi vincla iniecisset, arma, & Electum, capere. illicoque Maselantflusa, Leitsendam, Vorskota, & Valckenburgo, septem millia convenire. inde Leidam prætergressi, cum Harlemum, & Amstelodamum, petiissent, ac prohiberentur portis, Ultrajectum porro ire, ubi iterum exclusi, postquam moniti non desisterent, ab Hiergio, Floionoque, & Valdesio, qui, amicis adjutantibus, forte evaserat, perduelles proclamantur; ac potestas cædendorum passim datur. illi vero nihil territi, cæso Electo, quod ad Hiergium ipsis insciis literas dare ausus esset, Ioannem Blancum in occisi locum statuunt. inde per vim capere Ultrajectum nisi, ad Werdensem portam ligna, strā-

men, picem, pulveremq; tormentarium admoventes, cum conatus frustra essent, mox in Catharinæ portam impetum vertunt. ad hanc Vredenburgum erat, quod præfidiarii centum, ac viginti, sub Francisco Ferdinando Avila duce, tuebantur. unde auxilium exspectantes, cum spes illa fefellisset, propulsati eadem virtute, recessere; centum amplius, & in his Ioanne Blanco, interfectis. ac futura longe major strages erat; nisi Avila, qui suppetias perduellibus, dum pugnarent, denegasset; postquam victi, prono in gentem suam animo, incumbentes magno impetu oppidanos, verberato per tormenta explosa tergo, retraxisset. tum Ioannes Oso-rius Vlloa à prorege Requesensio ablegatus, qui, viritim aureis quatuor numeratis, & deduceret Ultrajecto, & Herentalio, ac Teneramundæ, in hiberna distribueret. Inter bella hæc & de pace agitatum. ac negotium à Noircarmio, qui è vulnere ad Harlemum urbem accepto Ultrajecti decumbebat, inchoatum. is cum Aldegondio agere, tunc captivo; qui de hac re, ejus jussu, ad Auriacum literas dare. sed, Nassovico ad Movicum profligato, non pro dignitate regis arbitratus Requesensius, cum subjectis perduellibus de constituenda pace convenire, supplicare eos voluit. Mense Junio Campaniacus ad Boisotum, veteri amicitia junctum, datis literis, restaurare postulavit; effecitque, ut, obsidibus constitutis, ad Auriacum Aldegondius mitteretur: qui negotium de captivis commutandis pertractaret; Ordinesq; item Hollandiæ, & Zelandiæ, quo in pacem animo essent, exploraret. hi cum scriptum à se quoddam Campaniaco transmisissent, idq; ipsi non placeret, porro instare apud Ordines Aldegondius, uti supplices apud regem esse vellent. illi, qui auctoritate viri facile moverentur, & redire ad obsequium, modo tuto illud possent, plane vellent, obsecuti; equitum nomine, & urbium, Hollandiæ, ac Zelandiæ; quæq; foederatæ istis, Buræ item, & Bommeliæ; nulla Ordinum utriusque ejus provinciæ, aut religionis etiam, mentione, supplicare animum inducunt; *uti militem externum, adeo damnosum Belgio, removeret; & consilia*

de repub. ordinanda cum Ordinibus generalibus communicaret. hunc libellum cum Monfortii, in Ultrajectino agro, Campaniaco Aldegondius tradidisset; ille, postquam inspexisset, mense Augusto ad præfectum Verianum, Ioannem Iunium, Antverpia scribere; *certum sibi, minime placitum regi; cui militem, & comitia, suo arbitrio indicenda, præstituerent.* Mense Octobri Aldegondius, pro captivo Mondragonio libertati restitutus, id effecit, ut Elberto Leonino commeatus ab Auriaco daretur. isq; Delphos, inclinante jam Decembri, mox advenit. Agere etiam hoc negotium Maximilianus Cæsar; à quo missi, Guntherus Zwartzenburgicus, & Wolfgangus Hohenlous, anni proximi Ianuario cum Dordracum appulissent, coram Auriaco, & Ordinibus, causam adventus sui exponunt; *cupere Cæsarem, Belgio, tam valde afflictio, pacem reddi. ideo se, Auriaco affines, amicos ipsis, ablegasse; qui, negotii hujus mediis, partis utriusque animos conciliarent. tum Wolfgangum quoque Rumsium, Rudolpho filio, Hungariæ regi, à cubiculo, ad Philippum in Hispaniam mississe, qui hoc ipsum adjutaret.* ad quæ Auriacus, Ordinesque, respondere; *anno se superiore Campaniaco mentem suam explicasse; nempe velle, ut externum militem omnem evocaret, & comitia Ordinum generalium redderet. qui quacunq; de republica, & in ea religione, decrevissent, iis sese parituros.* Post quæ, cum ad Requesensium, tunc Antverpiæ commorantem, accessissent, tandem actum, uti Bredam mense Martio convenirent; quo legati à Requesensio, Ferdinandus Lanotius Rochensis, Rassingemus, Arnoldus Sasboutius, Cornelius Sufius, Elbertus Leoninus; ab Auriaco, & Ordinibus, tum Bommelia quoque, & Bura, foederatis; Philippus Marnixius Aldegondius, Carolus Boisotus, Arnoldus Dorpius, Gulielmus Zulenius Niveldius, Iacobus Doufa, Ioannes Iunius, Adrianus Vander Mylius, & Paulus Busius. ac Dordracum obsides missi à Requesensio, Christophorus Mondragonius, Iulianus Romerus, Michael Alenturius, Gulielmus Sancti-Clementius. delegatis ab Auriaco, & Ordinibus, imperatum; *illud ut considerarent, quod Ordinibus generalibus, si Hispani, aliiq; peregrini, amoverentur, sese totos submisissent.*

quam

quam si illi conditionem non detrectent, nec se aliud quicquam honeste obtendere posse. quam ob rem examinarent, utrum magis expediret; Ordinum generalium arbitrio se permittere, an seorsim novas conditiones ponere. ac videri sic futurum, ut comitia denegentur; maxime si suffragium illic suum populo, cuius multum id intersit, etiam petant. neque exspectandum esse, ut Hispanum, aut externum alium militem, ante constitutam pacem, removere à se velint. ante omnia, ut quid velint cognoscatur, incitandos, ad libellum ut respondeant. quod nisi satis clare faciant, aut si insuper etiam habeant, nova capita proponendi occasionem sibi dari. idque ita illos velle, ex Elberto Leonino colligi posse, capitumque nonnullorum, quae adicere decrevisset, parva appendice. ac deliberarent serio, an in ipso statim initio de religione agerent. nam omnino hoc videri. tum & scripto cuncta agerent, & Hollandica quidem lingua, prout privilegio suo tenerentur. instrumenta quoque omnia, subsignata à se, traderent parti adversae; cui vicissim scripto, itidem subsignato, declarandum; quis mandata huic dedisset. & an rex existimaret, agere ipsos secum posse; deinceps quaecumque agerentur, ea uti approbaret: utque rata se habere declararet. ac tractatus conditiones tales esse oportere; ne vi ulla, sive dolo, indirecte, aut directe, usquam circumveniantur. ita autem relinquendam religionem, uti eam possiderent; neque alterius exercitium permitendum. ad securitatem vero concedendum, ut Auriacus, Ordinesque, militem praesidiarium, quibus vellent locus, ponerent; cui stipendium, sub Auriaci praefectura, pro arbitrio procurarent. porro Auriaco praefecturam Hollandiae, Zelandiae, & Ultrajecti, continuandam; bonaque omnia, & in his Burgundiam maxime, redhibenda: item munera, quibus ante turbas istas functus esset. ad quae addi oportere maris Belgici universi praefecturam. quando vero à magistratu pars praecipua reipublicae, & securitatis eius, dependeret; ita is statueretur, ut durante bello solitum: tum confirmaretur etiam ab Hollandiae, & Zelandiae, praefecto, juxta urbium singularum privilegia. quod si forte eveniret, ut Auriacus mortem obiret, ne praefectum in Hollandia, ac Zelandia, urbibusque foederatis, rex statueret, nisi in quem consensissent: ac si contra is tentaret, integrum tum ipsis fore, hoc rejecto, alium quemvis substituere. tum comitia item habere, quoties illud è repub. judi-

cabunt: sive Auriaco, sive ejus successore, indicente. ordines quoque, neu subjectos quaecumque, neve causas, extra Hollandiam, aut Zelandiam, aut confederatas urbes, praeter voluntatem eorum, evocare ne liceret; quod Hollandiae advocato, Iacobo Endio, pridem factum. consiliarios, in provinciali curia ab Auriaco constitutos, munere suo persunduros; neque unquam deinceps alios datum iri, quam quos ipse, Ordinesque, nuncupassent. idemque in muneribus ceteris jus futurum. Bommelia, Bura, urbesque aliae foederatae, sub Auriaci praefectura permanerent; & Hollandiae, ac Zelandiae, porro nexa adhererent. quicquid ab Albano actum, aut senatu, qui turbarum appellatus, ceu contrarium juri omni, & equitati, aboleretur; ac sententiae, aut decreta, contra ipsos promulgata, à quocumque tandem iudice, irrita essent. artes quoque, ceu tyrannidis, potius quam justis imperii, & legitimi, firmamenta, illico destruerentur. Iesuitae, juxta Hispanos, Belgio universo exirent; & episcopi, novo more instituti, unde turba omnes orta, tollerentur. de religione edicta delerentur; cui, si libertas obtineri haud posset, darent operam, uti saltem conscientias impetrarent. ne contrahere matrimonia, aut baptismum celebrare, coram sacerdote aliquo congerentur; utque intra ades suas preces sacras frequentare, & defunctos suo ritu, ac quocumque vellent loco, sepelire sinerentur. in provinciis item aliis, sive regnis, de religione sua uti ne inquirerentur; neve in corpore, aut fortunis, vexarentur. utque poni arma possent, rex, aut Belgium, sexcentena florenorum millia daret, quae militibus Mandesloï deberentur: & Antverpiani deinceps, quod pro commeatu exigere instituisent, id omittere juberentur. tum utrinque foedera nulla haberentur, & imprimis Bajonensi rex decederet. Academia, pridem Leidae constituta, firmaretur; quaeque Hollandiae advocato, Iacobo Endio, charta erepta, redderentur. privilegia, quae quibusdam civitatibus ab Auriaco data essent, salva forent; quaeque is in priorem expeditionem impendisset, aut à rege; aut à Belgio universo, ipsi restituerentur: ac turbarum toto tempore non praescribi quicquam posset, actioque in fiscum esset. bona, munera, dignitates, redderentur: reliqua, usurae, redditusque, solverentur. & Culemburgensis domus iterum exstrueretur; monumentaque, in opprobrium Protestantium excitata, tollerentur. testamenta, codicilli, aut legata, aut donationes etiam,

item

item substitutiones, quaeque fidei commissa, odio profugorum facta, nil valerent. tum Burenus patri Auriaco redderetur; & urbs Woerda in Hollandiae potestate permaneret. tormenta, quae cepissent bello, ad securitatem Hollandiae, ac Zelandiae, foederatarumque urbium, ea ne eriperentur. sententia, in Nardenum lata, irrita esset; & exusta illic aedes, regis sumptu, aut Albani, instaurarentur. tum pecunia, quae in bellum hoc impensa, siue ex aerario regis, siue aliunde accepta, nulla repetunda essent. neque qualiscunque rei, inde ab anno ejus seculi sexagesimo quinto gesta, ulla deinceps actio foret. denique rex se, quicquid à quocunque factum, condonare; subditosque omnes fidos arbitrari, testaretur. ac contractus hujus sui beneficio cum Harlemum, tum Nardenum, & Leerdamum, fruerentur. Ad secundum Martii diem postquam Bredam convenissent, & utrinque in pacem affectum ostendissent, delegati ab Auriaco, atque Ordinibus, postulare; ad libellum, quem superiore anno Campaniaco obtulissent, ut responsum Requesensiani darent. qui cum hic interrogarent, quosnam illi peregrinos, quae comitia, intelligerent; ipsi dicere, & Hispanos, & qui extra Belgium nati, peregrinos, uti essent, se censere: ac comitia ea velle, quae sub Carolo Quinto Cesare, cum is in Philippi manus Belgium isthuc resignaret. inde Requesensiani, periniquum hoc videri, ut Hispani, quorum clara pro Philippo rege opera, & majoribus quoque ejus, in hoc ipso Belgio esset, pro externis haberentur. quin Germanos, Gallos, Anglos, qui Auriaco, & Ordinibus, militarent, tales potius censendos. tamen, quando hoc urgerent, scirent regem, pace semel constituta, non diutius, quam necessitas postularet, eos istuc relicturum. ante autem ut deduceret, non ipsius majestati, cujus summam rationem habituros se polliciti, convenire. quod comitia attineret, non consilium à provinciarum ordinibus recusare, in illis rebus, quae ad ipsos pertinerent, & communicari etiam assolerent. sed quae à suprema ejus potestate, aut voluntate, dependerent; hac referre ad secretius consistorium, tum provinciarum curias, urbiumque, & municipiorum item, magistratus, ubi opus, promptum esse. quando vero hac comitia convocare non tam facile, nisi positus prius armis, polliceri regem Hollandis, ac Zelandis, urbibusque foederatis, privilegiorum omnium, legum, consuetudinumque, quales ea ante turbas istas essent, plenam restitutionem. tum delictis quibuscunque certam veniam, ac placere, ut erepta utrinque bona, qualia inpraesens essent; captivique, & in his Bossuvius maxime, sine pretio redderentur. ita tamen, ut Auriacus, Ordinesque, urbes, artes, munitiones, naves, machinas, bellicumque instrumentum universum, bona fide restituerent; & majorum religionem locis omnibus per provincias instaurarent. quam si qui deserere vellent, iis Belgio suo excedere, bonaque intra tempus praestitutum vendere, verum semel, & dumtaxat ista vice, integrum fore. quam in rem ni fide ejus, literarum testimonio communita, satis cautum existimarent, ut securi esse possent, ipsi aliquam rationem, de qua consulturus esset, invenirent. Ad haec scripto, ab Auriaco, Cullenburgico, Othone Egmundo, aliisque foederatorum delegatis subsignato, ad vicesimum diem Martii sic responsum; se libello suo insistere: utque miles peregrinus evocetur, ac comitia restituantur, postulare. & concessum prius esse, multo levioere causa, cum Gandavi congregati Ordines anno CLOLIX illud peterent. non negare, quin Hispani regis in Hispania sua subditi essent; sed, in Belgio universo peregrinos recte dici, neminem non arbitrari. & id ipsos ostendisse; cum à primo statim adventu, perduelles, & haereticos, Belgas omnes ditantes, crudelissime divexarint. quod si negent, id Gandavum, Tornacum, Antverpiam, Machliniam, Liram, Silvam ducis, Daventriam, Ultrajectum, & Roterodamum, sine negotio convicturas. ac nunc verum à majoribus vaticinium comperiri, Hispanicam affinitatem Belgio luētiosam fore. itaque tales retinere isthic velle, nihil sane aliud esse, quam affectum subditorum, sine quo constare imperia nulla possint, regi eripere. nam quod merita Hispanorum in hoc Belgio de Philippo, ac majoribus item ejus, praedicentur; minus recte illos facere. quippe si, quae contra admiserint, comparentur, multo gravius nocuisse, quam profuerint, certum fore; nec conferri ullo modo cum his posse, quae à Belgis sint patrata. claram illorum operam esse bellis pridem contra Gallos; ut Hispanis Mediolanum, ac Neapolim, vindicarent. tum ad San-Quintini fanum, & Grevelingam. Carolum quoque regis Philippi parentem, valde adjutum in Italia, Africa, & alibi. nec propterea tamen Hispanos anno CLOXX

prefectam in Hispania sua Belgam admittere sent magnum omnino arario regis detrimentum
 voluisse. quod Germanis, Gallis, Anglis, Sco- attulisse. nam bonorum venditionem quod per-
 tis usi, huc necessitate impulsos, ut vim à se Hi- mitteret; quis ignoret, etsi emptores minime
 spanorum propulsarent. nec auctoritatem illos, sint defuturi, summum tamen miserorum dam-
 neve praefecturam ullam, affectasse. deinde in num fore. & quod adderet, semel tantum,
 his Germanos certe pro externis non habendos; atque ista vice, hanc se illis indulgere; hinc
 cum Hollandia, & Zelandia, ad Imperium colligere in proclivi, mox horrenda de religione
 pertinere censeantur. nihilominus etiam illos, edicta revocare, denuoque, quicquid reliquum
 ubi opus, dimissuros. quod comitia generalia Belgarum, perturbare statuisse. quae consilia cum
 attineret, quae differre quidem in praesens, post- refugerent toto animo, non se posse in conditio-
 ea autem circumscribere, & in ordinem cogere, nes istas consentire. interim orare regem, quae
 velle rex Philippus videretur; non persuasum proposuissent ipsi, ut in bonam partem capiat;
 se habere, antequam dimissi Hispani, facile supplicesque numen summum venerari, uti
 Ordines generales ad comitia istiusmodi con- regi, & legatis, mentem meliorem inspiceret.
 venturos. caetera capita, si interpretatio quae- Huic scripto aliud Requeseniani die Ka-
 dam necessaria adderetur, pacis obtinenda cau- lendarum Aprilium mox reponunt. nimis
 sa, satis tolerari posse. sed quod urbes, arces, acriter secum agi, qui nil supra pacem cupi-
 naves, ac munitiones belli, dedi postulent, ant. velle regem, ubi primum convenissent,
 jure fraudem suspicari; neque aliud quicquam militem Hispanum educere; & comitia, quae
 agere, quam ut blande imprudentes circumve- urgerent, restituere. inhumanum, quod de lu-
 niant. ita nempe olim in fabula ovibus lupos pis, ovibusque, allegarent; ceu in dubium
 persuasisse, uti canes defensores removerent. regis fides vocaretur: qui non aliter urbes, ar-
 temere Auriacum, Hollandosque, & Zelandos, ces, quaeque alia, dedi sibi postularet, quam si
 perduelles appellari; quando nunquam majesta- plene praecavisset. de religione vero, nihil sibi
 tem regis laeserint: verum potius, ut tueri concedendum arbitrari. qui mutare solum vel-
 ipsam possent, provincias, urbes, aras, focos, lent, his semestre; ac, vendendis bonis suis,
 contra vim Albani ducis defendisse. idque sem- annos decem indulgere. in discessu subditorum,
 per sibi certum, declarasse. neque enim arma indolere; sed ipsorum culpam esse, qui con-
 unquam contra regem induisse, neque ab eo de- jungere sese caeteris detrectarent. semel autem
 scivisse; cui porro adherere constituerint. de hunc permittere, ne, religione incerta, tur-
 Catholica, & Romana, religione quod praescri- ba semper alia, atque alia, oriantur. neque
 berent; aut sequendam eam esse, aut è Belgio autem dubitare, si doctrina istius novae pro-
 discedendum; illud vero tolerare minime posse. fessores exigantur, melius populo futurum;
 se non aliam religionem, quam Catholicam, quem servatum ipse cuperet, liberumque ab
 Apostolicam, & divino Evangelio convenien- inquisitione Hispanica: quam invehere, nun-
 tem, exercere; atque in illa acquiescere. tan- quam animum induxisset. Isto scripto cum
 tum errores crassiores rejecisse; ut, quae Dei ef- particulatim quidam impetiti viderentur,
 fessent, Deo; quaeque regis, regi darent. ea propter delegati amplius deliberandum, ac peten-
 libere pronuntiare; se, quae obtulissent capita, dam plenam subsignationem, existiman-
 istis quidem conditionibus circumscripta, nullo tes, quarto April. ut colloquium differretur,
 modo admittere posse: & exemplis Egmunda- postulare; simul, quando discessurus Swart-
 ni, Hornanisque, ac Montinii, deterreri. neque zenburgicus, & jam in procinctu esset, ut da-
 aequum arbitrari, ut eorum, qui addicti reli- retur commeatus una ad Caesarem ablegandis:
 gioni reformata, ingens adeo multitudo patria obsidesque interea temporis redderentur. Hic
 ejiceretur. idque longe durius esse, quam si dilatio quidem data, sed non item com-
 quater mille Hispani, satis jam locupletati, meatus; arbitrante Requesensio, transe-
 in Hispaniam, patriam suam, se recipere ju- undae terra regia beneficium perduellibus nullo
 berentur. porro vastum brevi totum Belgium modo permittendum; cum in primis alia ire
 fore; ac commercia, & opificia, quibus opes ejus via possent. Swartzenburgicus, cum jam
 starent, alio transtatum iri. quando id com- abitum pararet, institutum pacis nego-
 pertum esset, nimiam crudelitatem in edictis tium supremo alloquio parti utriq; com-
 exequendis, cum exacti passim incolae diffugis- mendare. se non opera ulli suae pepercisse,
 igni

CIC 13
LXXV.

igni huic restinguendo. ac quantumvis, ne quid ageret, differentia religionis hæctenus prohibuisset: tamen porro urgendum esse, & ponenda utrinque arma in semestre. quando vero reformata hæc religio alte adeo animis hominum insideret, ut tam cito inde evelli minime posse videretur, arbitrari, dum utrinque induciæ essent, eam Hollandis, Zelandisque, concedendam; neque causæ satis esse, cur induciæ negarentur. quæ ni constituerentur, certam Belgii universi mox perniciem imminere. ac verendum, ne provincia separata in alterius potestatem se permittant. id se animo providere; & pro summo in regem affectu, impeditum omnino velle. Ad hæc Requesensium rogat, intra biduum ut respondeat, & discessum boni consulat. sedulo quidvis à se factum; tamen, quod doleret maxime, accepisse, quam nonnullos offendisset. igitur, cum de fide sua dubitari intelligeret, à legatione abire, Cesarique eam reddere, statuisse. qui, induciæ si quæ fierent, operam adderet, & consilium, ut, optata tandem pace constituta, Belgæ omnes in obsequio regis sui permanerent. huc se quoque, quicquid posset, collaturum. Responsumque à Requesensio ad octavum diem Aprilis, pro navata in negotio isthoc opera, gratias agere, neque dubitare quicquam, quin & grata regi esset. sed inducias cur negaret, causam antea indicasse; nec videre, cur discedere à sententia ista debeat. velle tamen, ut de armis in bimestre deponendis ageretur; dum interea religionis exercitia omittantur, & qui eam profitentur, solum vertant. Inter ista Swartzenburgicus, & cum eo delegati, ab Auriaco, atque Ordinibus, discessere; qui reverfi extremo Majo, pridie Kal. Iul. retulere: quæ offerrent privilegia, perlibenter ea accipere. verum nihil profutura existimare, si vertendum solum esset. quando autem discedere patria, aut mutare religionem, necdum possent; orare quam demisse regem, ne vim ullam subditorum longe fidelissimorum conscientis factum iret. quod si deinceps ferrum, ac flammam, prohiberet; tum obsequio se, & fide, nulli quicquam concessuros. quo securitati oblatæ minus fidant, tot exemplis, nimis certe luctuosis, impediri. maxime si urbes, arces, navæ, & munitiones omnes belli, regi traderent, antequam ille militem Hispanum evocaret, ac comitia generalia restitueret. quis negatis, nullo modo diffidentiam tolli posse. nihil sibi inimicitie cum provinciis cæteris esse, quibus dudum fæderatis, & amicis, uterentur. quæ de causa hostile nihil, cur detrectent, metuendum. quanquam vero hæc sufficere ipsis debeant, tamen, ut cuiusvis constet, non se aliquid præter pacem, & tranquillitatem publicam, flagitare; etsi vitam, fortunaque, post religionem ponant, nihilominus placere, si rex libertatem ejus porro neget, ut de ista, ac securitate sua, cæterisque rebus omnibus, ab Ordinibus generalibus, more majorum convocatis, statuatur. Ad quæ postquam statim sibi, & sine ambage, responderi postularent, Requesensius rem extrahere; ac, negotium in Hispania disceptandum: itaque ad Philippum regem ablegandum. cui rei quadrimestre opus esse. quo elapso, quod mandati accepisset, relaturum. Dum negotium pacis agitur, Requesensius convenire ad se iustis sanctioris consistorii senatoribus; illis quoque, quæ ærarium, & resp. denique summa, curæ esset: tum & aliis, per provinciarum curias dignitate, ac prudentia, celebratis, super pace, & responso ab Auriaci, Ordinumque, delegatis, quid sentirent, dicere mandat. qui, consilia postquam diu contulissent, edixere; ut religionem avitam, quique eam in provinciis jam turbatis profitentur, tum provincias quoque ipsas in obsequio regis sui conservare porro queant, quæ de milite peregrino evocando promississet, ea ut exequeretur. id secure facere posse; cum, ad majestatem regis toto Belgio asserendam, sat indigenarum esset. sic Parmensem, ad pacandos pridem motus, milite nullo externo usam. quam virtutem sub Albano iterum comprobasse Belgas, cum Auriacum ingruentem propulsarent. dein comitia, quibus ipsi se submitterent, concedenda; & religionis item reformata exercitia: dum modeste, & sine offensa, hæc haberent. denique etiam habitationem illis permittendam; quam externis mercatoribus, Anglis pariter ac Germanis, aliisque, idem de religione sentientibus, indulgeret. interim fortasse deum meliorem cunctis mentem injecturum; concionibusque egregiis, & exemplis, ad virtutem, & antiquam pietatem, reducturum. quæ si neget, metuendum, ne provincia, hæctenus ad obsequium prompta, ceteram regis reverentiam exuentes, dominum sibi, facile ista concessurum, alibi quarant. quin Auriacum

cum prae se ferre, & pronuntiare palam, si rex inclementer agat, non deesse candidatos. Hoc consilium, quanquam rectum, non Hispanis tamen placuit. quod poenituisse saepe Requesensium, idque ab ipso aliquoties ante mortem exauditum, sunt qui ferant. Delegati ab Auriaco, & Ordinibus, die decimo quarto Iulii, cum de pace frustra sese agitare animadverterent, discedendum tandem rati, scripto postremum oblato, conqueruntur; nunquam Requesensianos bona fide quicquam egisse. se vocare testem Deum, hominesque, quam sincere, finiendo semel bello, quidvis fecerint. inde, ante acta omnia repetentes, palam faciunt, nihil aliud his propositum, quam responsis plane dubiis, & dilatione callida, tempus ipsis intervertere. nihil equius peti abs se potuisse; neque illos, si quid sine dolo agerent, negaturos. itaque, etsi consiliorum integritatem prae se ferrent, tamen fraudis manifestos. quae cum ita se haberent, decrevisse libertatem, aras, focos, summa ope propugnare. nihilominus, ut ostenderent, quam ad pacem inclinarent, cum responsum, quod praetendant, ex Hispania accepissent, non invitos ad negotium redituros, si consultum videatur, & sperare certo possint, meliore deinceps fide acturos esse. Hic cum sese accusari aegre ferrent, eo ipso die referunt; summa cum injuria queri. nec quaesitam sibi moram, nisi, pro momento rei, quicquid actum, uti regi nuntiarent; ac, quid fieri ipse vellet, intelligerent. neque scriptum hoc postremum alia lege velle accipere, quam ut mox, responso allato, ad colloquium instaurandum revertantur. interim testari Deum, hominesque; promptos semper, facilesque, se fuisse: nec discessus, aut colloquii dirimendi, causam ullam praebuisse. contra Auriacum, Ordinesque foederatos, hujus culpae reos esse; qui tantillum ipsis tempus indulgere recusarent. nam, cum plena potestate advenisse quod objicerent, sane ignarum nulli esse, id in rebus adeo magnis usitatum. Sic colloquium hoc diremptum. è quo cum utrinque praevalere cuperent, potior tamen causa Auriaci judicata. quippe qui, quae tacite alii, palam peteret; libertatem, immunitates, & antiqua privilegia; inde militis peregrini missionem, & comitia generalia, prout olim usitata. quibus cum religionis causam subderet, nihil aequius postulare potuisse visus fuit. nihilominus inter pacis

hoc negotium bello Hispani profecere; & dum illic negligentiores caeteri, Neufam in Flandria, Oudenboscam in Brabantia, muniere. In memoriam rei gestae cufus ab Hollandis nummus, cujus parte ab una septum; in quo leo, enses strictum unguibus tenens: circum scriptum, SECVRIVS BELLVM PACE DVBIA. in adversa, libertatis signum, pileus; cum inscriptione ista: LIBERTAS AVREA CVIVS MODERATVR HABENAS RATIO. Inter ista Fridericus Cæriolanus de constituenda pace formulam edit, cujus capita. uti omnes, bene erga pacem affecti, magis publica, quam privata, rei studeant; statuantque, dum se mutuo, subditosve, principes Christiani oppugnent, omnes simul, una cum religione, ac fortunis, intercidere. ita Africam, Palestinam, Asiam, Græciam, & Pannoniam, peruisse. idem sibi, ni provideant, & concordēs esse velint, imminere. ne jus summum, quae injuria saepe summa, consecrari utrinque cupiant. rex honorem, nomen, bona, cunctis reddat; subditique ad obsequium priscum redeant. quae promissa, ac conventa, bona fide teneantur. si necesse arctius astringi regem, proceres Hispani omnes, sacri ordinis, aut profani, quod cum Africanis olim institutum, subsignare jubeantur. idem &, volente rege, principes Germani faciant; Belgique urbes aliquot, è primariis. at, cum tres sint motus causa, Inquisitio; mandatumque de edictis Caroli Quincti, & Philippi, severissime exsequendis; item decima imperata; Inquisitio, decimaque, nondum adhuc instituta, omittantur: in edictis, cogitetur moderatio; quae consilio, & consensu, omnium fiat. quae qui non contenti erunt, aut majorum se religioni aptent; aut, ut in Imperio suetum, constitutis illic legibus, alio migerent: salvis bonis, quae aut vendere, aut locare aliis, possint. quod de milite peregrino conquerantur, si hoc urgeant, dimittatur; data prius satis firma cautione, nil provinciales unquam contra regem molituros: ad quem & de pace Auriacus summa cum modestia scribat. hoc momentum non exiguum habiturum. idem quoque ad Meliti principem, & Chinconium comitem faciat; qui consilarii regis, dignitate, & auctoritate, primi: tum Auriaco ambo juncti. quippe illum, Mencia Mendoza, quae Henrici Nassovii patris uxor tertia patruelens; hunc, sorore ejus ducta, affinem esse. quae si placeant, Furium statim citis equis in Hispaniam

excursurum; ac responsum, quale optarent, mandatumque item plenum de religionis pace, & militibus peregrinis evocandis, allaturum. His responsum ab Auriaco; quas proposuisset ipse de promissis exhibendis cautiones, in quibus cardo rei omnis verteretur, illas neminem prudentem adeo tutas arbitrari, quin & dispensare eas, & absolvere transgressores, pontifex Romanus posset. diffidentia ista fieri, uti ipse, meliori spe abjecta, bellum certum, etsi dubii eventus, paci incerta, adeoque insidiosa, preferendum existimaret. deinde sero, neque integro negotio, formulam hanc transmissam esse. Eodem tempore, inter belli apparatus, Brilæ Auriacus tertiam uxorem duxit, Carlotam Borboniam, ducis Monpenserii filiam. Requiescens, ut jam dixi, dum de pace Bredæ agitur, Neufam interim, & Oudenboscam, communierat; & Valdesiæ legionis signa tria imposuerat. inde Hollandiæ præfecto, Ægidio Barlamontio Hiergio, mandat; ut, munitionibus captis, viam sibi ad exercitum in provinciam adducendum aperiret. addit ei Ferdinandi Tolemtani signa novem, ac Francisci Valdesii totidem; Belgarumque, & Germanorum, alia quædam. illa postquam ad viginti quinque dies Beverwici, in Hollandia boreali, substitissent, ut vicinis metum injicerent, Ultrajectum mox procedunt. ubi cum se Hiergii copiis adjunxissent, Buram versus perrexere. oppidum istud perexiguum, prisco more communitum, muris, turribus, & profunda circum fossa. arx præterea, turribus satis validis quatuor, fossa triplici; insuper, qua oppidum spectat, vallo lato. intus Vogelsangus erat, cum præfidiariorum signis quatuor, machinis viginti quatuor, cæteroque instrumento, quod sufficeret. obsidebant peditum instar septem millia; in quibus legio Lanceloti Barlamontii, Megensis, & Florentii Floioni, qui uterque Hiergii frater: ad hæc equitum alæ quatuor. Vallo ducto, cui præerant Manuel Cabe-

ca Vaca, & Caspar Oartifius, iussi. nec negotii multum erat; cum præfectus, seu ignavia, seu prodicione aliqua, hac desertata, intra arcem se recepit. quæ res bene Hispanis vertit; quippe, fracto forte ponte, per quem in ruinam tenderent, facile erat jam transmissos profigare, cæteros fossa prohibente. ita sine ulla pugna captum oppidum, direptumque. neque fortius arx defensa, etiam ipsa in hostis potestatem venit; militique sine armis, signis, tympanis, gratia discedendi facta. Vogel-sangus, prodicionis ab Ordinibus accusatus, & Gorcomii comprehensus, in Goudanam arcem abducitur; sed, exposita facti sui ratione, mox dimittitur. Parte alia Mondragonius, uti aditum in Zelandiam sibi sterneret, milites è legione sua mille, insuper cohortes duas, Damiani Moralis, & Alfonsi à Soto-majore, in Finartum objectum ducit; ac tentatum prius vadum, postquam recessisset mare, cum egregia virtute transmisisset, locum capit. naves novem, alveo custodiendo, appositæ erant; quæ, sclopetis retro actæ, transitum illi permisere. ac victoriæ mox Clunderta, & Roggenhillum, accessere. nec cessare, Bura expugnata, Hiergius. quin, accepto supplemento peditum ad tria millia, sub ductoribus Carolo Fuggero, Francisco Verdugo, & Alphonso Lopesio Gallo; cum equitibus quadringentis, ac fossorum ex Eburonibus signis quindecim: tripartito statim exercitu, ut consilii sui incertum hostem haberet, in Worcomium, ac Sconhoviam, Gallum, & Verdugum, ducere cum iussisset, ipse Audevvatram tendit. quo mox ipsi de compacto, decimo nono Iulii die, convenere. ea, ambitu non magna, situ longa, & quadrata, supra aggerem porrecta; fossa, vallo, turribusque, sat munita: agro circum subpalustri-latus Isula flumen alluit. in præsidio signa quatuor. ex his unum Germanorum, sub Muntero; alterum Scotorum erat, sub Dincwercio: cætera duo Gallorum; sub San-Mariano unum, ac secundum sub Marcaltio. ab his cuncta ad defensionem prompta. ædes noxiæ dejectæ, saxa è plateis eruta, & in vallum comportata, ut in hostem ea-jacerent. tum imagines fan-

sanctorum, ut pugnarent obstinatius, ceu spe veniæ per offensam tantam adempta, juxta positæ. & parata instrumenta, quibus in ruinam muri invadentes propulsa-
rent; ac suffossa turris templi, sic sufful-
ta, ne dejecta, intro cadens, fossam im-
pleret. sed præfectus loco deerat. quem
cum sorte petiissent, in Munterum illa
cadere, virum animi intrepidum; sed au-
dacia, quam consilio, meliorem. eo fa-
ctum, ut defensio imprudenter instituta,
præter mentem San-Mariani, qui peritia
militari exellebat, urbem perderet. ob-
sessores ita distributi erant, ut Valdefius
aggerem Sconhoviensem, ac Monfortien-
sem item, qui cum eo rursus jungi-
tur; & Verdugus, Fuggerusque, ut Woer-
densen occuparent. ipse Hiergius, cum
Megensi, & Floiono, paullo inferius in-
sidebat. qui, cum flumen, quo inferri an-
nona posset, obsepisset, cæteras aquas
divertebat. hinc tormenta adversus tur-
rim, è qua castra universa sclopetarii in-
festabant, duo locat. inde in aggere ca-
taractæ, viginti tria; in Monfortiensi,
quinque. hinc, negata deditio, quam
petebat, septimo Augusti die verberare
muros incipit. id quatrimum cum fecis-
set, Franciscum Aquilarium Alvaratum,
& Sanctium Beltramum Pennam, explo-
rare ruinam jubet. quam cum terra, li-
gno, lino, faxis, culcitis, doliisque, & ma-
teria omni obvia, oppidani reparassent,
oppugnationem imperat. acriter certatum
utrinque; adeoque obsessores exarsere,
ut, Hispanis tantum oppugnare jussis, to-
tis castris urbem invaderent. nec obsessis
virtus defuit. sed cum diu hostilem impe-
tum sustinuisset, ferro, plumbo, pice,
oleo, artificiosis ignibus, & ardentibus
item circulis repugnantes, victi numero,
obrutique. magnam ibi victor miles stra-
gem dedit; & è victis vix viginti evasere.
varia cæde in oppidanos, militesque, nul-
la sexus, aut ætatis, ratione, desævitur.
concionator in crucem actus; paucique
adeo vitam pretio redemere. urbs di-
recta; ac, ne cladi quid deesset, etiam
post prædam incensa, pene tota conflag-
avit. ex Hispanis instar centum cecide-
re; inter quos & Alvaratus. Penna, aliique
plures, vulnerati. Auriacus jam Goudam
venerat, ut, perfosso illic aggere, aqua
immessa obsidionem dissiparet; sed, post
expugnatam urbem, frustra id consilium
fuit. Hiergius, cum præsidium illic po-
suisset, Fuggerum, Oartisiumque, cum
Germanis, Hispanisque, sine signis, Le-
derdamum; ac Megensem, & Tresslon-
gum cum tormentis, Ultrajectum versus
iter simulare: sed postridie ad Sconho-
viam reflectentes convenire omnes jubet.
ea ad Leccam flumen sita; non tam opere,
quam ingenio loci, firma. nec præsidium
ullum erat. verum Gardius, rupto ponte,
quem Megensis è navigiis junctis struxer-
at, mox auxilium introduxit. olim in ad-
versa ripa locum Hispani communierant;
quem desertum occupare denuo Borgiam
Hiergius jubet. inde murum, debilem ab
ea parte, illinc verberare instituit. jamque
edita ruina, Gardius, postquam primum
impetum repressisset, alienis à defensione
civibus, salvis bonis, armis, signis, urbem
dedit. cum Sconhovia mox Viana desti-
tuta. hinc exercitu deducto, Crimpam
tendit, qua in Mosam Lecca influit. hic
munitiones duæ. una, in concursu fluvio-
rum posita; altera, in opposita ripa. in u-
traque milites trecenti circiter præside-
bant; sed, adveniente hoste, diffugere.
Loco gemino, magis opere, & præsidio,
confirmato, ob momentum, statim ter-
tium Hiergius addit. tum Megensi, ac
Fuggero, dat negotium, uti Woerdam
obsiderent; ipse in Alblaffanam insulam,
ex adverso Crimpæ sitam, copias ducit.
& munitionem impositam statim capit.
cui Auriacus ut occurreret, cum equi-
tibus trecentis, ac peditibus octingentis,
Riderkerkam contra munit. quo obsessa
quasi Crimpa, anno proximo, desinente
Februario, sese reddidit. Dum hæc fiunt
in Hollandia, naves circiter duodecim,
bello instructæ, ad Rosendaliam à Zelan-
dis exuruntur. his ducenti Mondragoniani
appositi, qui servarent; sed, dum negli-
gentius agunt, invaduntur, ac fugantur.
irritatus Requesensius, relicto in Hollan-
dia Hiergio, in Zelandiam, in qua ma-
gnum foederatis robur esse animadvertet,
arma vertit. igitur triginta jam trire-
mibus structis, navibus minoribus aliis,
cum majores alveo prohiberentur, Ant-
ver-

verpia Bergas, inde Tolam, & Annelandiam, mox pervenit; quo præmissæ Hispanorum è Romeri legione sex cohortes, quinque item è Valdesii, ex Hollandia evocata. ipse vero singulas Rutii, Mondragonii, Pacieci, Verdugique, & Altempfii, cum fossoribus mille ducentis, equitumque turmis quatuor, secum duxerat. jussus vadum explorare Ruifius Duranda, cum militibus quatuordecim; quibus comites sponte sua sese dabant Franciscus Marcadus, Sanchiique Avilæ puer. duces famulus Serooskerckii, & Tolanus quidam rusticus. qui cum, recedente mari, posse in insulas transiri nuntiarent, quamquam multis id negantibus, rem periculi plenam aggreditur. ac, prensatis prius ducibus, cum seorsim milites quoque compellasset, die vicesimo octavo Sept. singulos peram, pulveremque tormentarium, & viaticum in tres dies, capere jubet; ac triremibus in Philippolandiam trajicit. ibi vado transeundo destinati, Ioannes Oforius Vlloa, Isidorus Paciecus, Ludovicus Querallus, Hieronymus Serooskerckius, cum militibus mille quingentis, & fossoribus ducentis, veste posita, mare intrans; dato Avilæ negotio, uti statim cum triremibus, quibus Mondragonius vehi, sequeretur: caveretque, ne in classem hostilem incideret, in propinquo excubantem. neque enim dubitandum, si triremes, admodum humiles, consecuta ipsa esset, quæ constaret magnis navibus, quin, secundiore vento, eas demersura esset. id cum fieret, cœlum, etsi multa nocte, ignibus coruscantibus clarum apparere; arbitrantibus Hispanis, omen sibi faustum dari, ceu inusitata illa luce Deus viam per incerta aquarum præmonstraret. ita autem incedebant, ut Vlloa primum agmen cum Hispanis, Germanisque, & Belgis, duceret; ac postremum Gabriel Peraltus clauderet: qui nec viam rectam tenuit, neque suos etiam assequi, lucente die, potuit. quare, revocante eum Requesensio, qui, ex aggere circumspiciens, in eventum intentus erat, cum Christophoro Mondragonio, & Sanchio Avila, mox in Duvelandiam transiit. Vlloa, quamquam classe hostili è longinquo infestante, tamen, ante accessum maris, ter-

ram attigit. Paciecus interceptus; & vix decem è fossoribus evasere. qui per tenebras cum effugium quærerent, ad hostilis classis strepitum dispersati, salo abrepti. Belgæ autem, ac Germani, cum transfrent, classarii, qui & contis, & demissis per oblongos funes uncis, eminus eos vulnerare conabantur, voces etiam, tanquam miserantes, addere; *quorsum infelices tenderent, quibus, qui imperitarent, canum aquaticorum instar uterentur. tum quis illos furor ageret, uti corpora, tanquam vallum, pluteosve, ictibus objectum irent.* quibus ipsi nihil moti, porro eniti; & per sesquemiliare contendentes, in oppositam Duvelandiam tandem evadere. ubi, quamquam aqua madidi, & reciprocante fluctu fatigati, sine mora hostem aggere, quem servabat, depulere; ac Vianam fugienti institere. hoc conflictu Carolus Boisotus cecidit, Zelandiæ præfectus; imprudenter, nocte obscura, sociorum, uti creditum, ferro ictus. cujus morte consternati animis cæteri, se in fugam coniecere. mox cum classe Avila advenit, & cum eo Mondragonius. missi etiam cum auxilio Alvaradus, & Hortensius Armengolius. quorum adventu, qui custodiebant insulam, deserunt munitiones, & Vianam se recipiunt. quam cum dedere recusarent, jussu locum obsidere Ioannè Castello, Mondragonius, cæterique, annem inter Duvelandiam Scaldiamque transmisere. major illic, quam superiore die, difficultas; quando vadum, limo quoque impeditum, magnis sæpe voraginibus incedentes moraretur. tandem tamen, Mondragonio præeunte, Sanchius Avila, & Vlloa, æmulatione quadam, subsecuti, in ulteriorem ripam pervasere. ac, dejectis etiam illinc, qui introitum defendebant, statim Dreischeram, ubi se reficere possent, contendere. inde porro Brouwershaviam, municipium in superiore ejus insulæ parte versus Aquilonem situm, portu insigni; qui, multarum navium capax, palis magnis, trabibusque, permunitus. paullo ante Ioannes Castellus, qui Vianæ obsidendæ relictus erat, ea capta, ac præsidio firmata, in Scaldiam transferat. qui cum inde rediisset, destinatus Alvaradus, qui præsidario milite destitutam, ut

puta-

putabant, Bommedam occuparet. sed negotii, quam existimatum fuit, plus exhibitum; loco valide communito, & praesidio propere imposito. inter hæc per aggerem Bornedamensem, frustra incisum à foederatis, chela quoque occupata, infra Ziriczeam itum. & hinc Gabriel Peraltus, inde Ioannes Castellus, cum trecentis quisque peditum, diverso itinere contententes, dato signo, eodem tempore munimentum aggredi iussi. sed Peraltus, cum, nec signo, ut conventum erat, dato, neque loco explorato, impressisset, classe valide, quæ canalem infidebat, & praesidio, repugnante, ipse cecidit, & cum eo amplius quinquaginta alii. nihilominus tamen Avila, qui suppetias laborantibus, etsi sero, afferebat, cum postridie iterum locum oppugnare institueret, & Castellum, signo dato, advocaret, vacuum à praesidio locum, & incensum, occupavit; & extincto statim igne, communiuit. multum hic momenti erat ad futuram obsidionem. tum fiducia inde sumpta, naves hostium, æstu maris aquis suis destitutas, posse exuri. ac mandatum id Durandæ. verum ille, ab Alvarado, & Armingolío, retardatus, cum interea in altum classis se subduceret, non perfecit. dum hoc agunt, tres, egressi civitate, æstu Hispanos circumveniunt. cumque de dedenda urbe, & classe etiam, spem fecissent, aliquodque à Requesensio operæ pretium accepissent, ceu acturi cum navarchis, ut liceret classem adire, impetrarunt. ad quam ubi accessissent, alia omnia agitarunt; de rumpendo cataracta in Dreischeriensi aggere, & qui ad salinas duceret: dein quo pacto aquam immittere, quibus signis cum obsessi, tum qui aggeres servarent, se commonefacere possent. hinc reversi, cum peractam rem promitterent, rursus tempus, quo cum praesidiariis agerent, postulantes, ita in civitatem redeunt, sero fraude ab Hispanis intellecta. qui interea consultant, quid agendum primo esset. ac salinas Mondragonius, civitati imminentes, quæ, praesidio iusto imposito, ad deditionem obsessos brevi coacturæ essent, ante omnia occupandas contendebat. contra Villoa, Bommedam expugnandam; quod

ni facerent, metuendum, ne auxilia, quantum vellet, classis per hunc portum exponeret. quæ sententia, Requesensio, & Vitellio, approbata, cum teneret, totis viribus Bommedam adoriri visum fuit. Est hæc sita in confinio trium aggerum, sese ibi contingentium; quorum singuli propugnaculo communiti. fossa circum, aqua plena, emissarii beneficio, nisi qua alluitur mari; quod recedens, nudum latus, & accessum non difficilem, hosti dabat. in principio vix praesidium ullum inerat; sed è classe, quæ propinqua, mox sexcenti Belgæ, Galli, & Germani, introducti. quis praefectus Novovillius, acer, & militiæ vetus. oppugnatio demandata Mondragonio, Alvarato, & Villoæ. hique cum tormenta duodecim admovissent, toto triduo verberatione facta, & ruina etiam edita, Novovillius, qui diffideret cum tam paucis sustineri impetum posse, de deditione colloqui postulabat. sed, superbe Hispano quodam dictitante, nullam omnino perduellibus, quos gallinas per convitium appellabat, gratiam fore; ni de vallo, abjectis armis, se præcipientes in subjectam fossam darent; mox colloquium diremptum. inde rursus Mondragonius, qui non sine magna cæde expugnari locum posse animadverteret, ut suorum sanguini parceret, Alvaratum illuc mittit, qui & militis petulantiam excusaret, & conditione honesta agere se paratum ostenderet. qui dum hoc negotium tractat, iterum casus perturbavit. quippe Pacieci signifer, dum colloquium instauratur, observato loco quodam, minus firmo, per quem facile cum cohorte sua sola enisurus videbatur, vim injussus statim facit. sed repressus, & occisus, cum triginta item è suis, facti adeo temerarii poenas luit. ea propter Novovillius denuo sermonem abrumpit. *sat enim perspectum sibi, quali fide Hispani agerent. quod gallinas appellasset, id convitium mox virtute elusuros. nam se viris imperare, qui, ad pugnam multo usu comparati, dudum animum in quemcumque belli eventum obfirmassent.* cum hoc dicto retro cedens, ne spem suis ullam fugiendi daret, naves adjacentes removet. hinc postridie, qui xxiii Octobris, cum quingentis Hispanorum, totidemque è Ger-

manis, oppugnatio inchoata. æstus maris
latus unum destituerat; idque invadunt
magno impetu. sed, obsessis multo acrius
repugnantibus, cum per duas amplius ho-
ras concertassent, jam cedentibus Ger-
manis, revocati. & occisi hoc conflictu
plus ducenti; plures etiam fauciati. quo-
rum magnam quoque partem, dum, vul-
neribus suis tardi, minus properant, mare
intumescens hausit. qua repulsa irritati
obseffores, quam dejecti, biduo uno in-
terjecto, totis viribus oppugnationem
repetunt. utque obsessis metum gravio-
rem injicerent, ceu auxiliis novis aucti,
lixas, caculas, cæterumque famulitium,
cum utrinque pugnaretur, procul appa-
rere jubent. itaque acriter illi invadunt,
hi repellunt; ampliusque horas quinque,
summa utrinque animorum obstinatio-
ne, pugnant. cum postremo, ut jussi erant,
lixæ quoque, & calones, procul sese o-
stendentes, adjuvare pugnam velle vide-
rentur. armis bene instructi erant, & pul-
sabant Hispanorum more tympana; ita
ut conditionem, imbellemque alias ani-
mum, occultarent. ac momentum dolus
habuit. quippe fessi jam obsessi, qui cum
multis adeo pauci tanto tempore depu-
gnassent, nova auxilia, ut putabant, con-
spicati, animos etiam despondere. neque
tormentorum amplius, quæ continuata
illa explosione inferbuerant, ullus usus;
& præsidium fere solum in sarissis Ger-
manorum. itaque tandem vallum supe-
rant. quo potiti, cum nec intro tamen
quisquam se demittere inde auderet, in-
crepante eos Aquila, & ignaviam ex-
probrante, sclopetarius quidam Hispa-
nus, cui Toletano nomen, sumpto cly-
peo, primus saltu se dejicere. quem se-
cuti deinde alii, locum porro expugnare.
obvii quique, ut in talibus usitatum, tru-
cidati. vix viginti è sexcentis evasere.
Ita capta Bommeneda, Requesensius Zi-
riczeam castra ducit. ea urbs Zelandia
tota antiquissima, & cum pagus antea
esset, post in civitatem exstructa à Lotha-
rio Imp. anno 10 ccc xlix, sæpe bel-
lo à comitibus Flandrorum, ob commo-
ditatem loci, impetita. & inprimis infeli-
citer à Guidone Dampetræo, cum adju-
ti opibus Philippi Pulcri opidani, capto

ipso, & plerisque è proceribus, plurimis-
que interfectis, victoriam illam, tota hi-
storia ejus gentis celeberrimam, reporta-
runt. ac postremum ex incendio Romerf-
valæ ingens incrementum cepit. Erat il-
lic cum præsidio instar mille ducentorum
Arnoldus Dorpius, sub ductoribus, Iusto
Endio, Ioanne Crommio, Nicolao Ber-
nardo, Adriano Portio, Ambrosio Du-
cæo, Antonio Bommelio, Nicolao Pluc-
keto, Eligio Rudamo, Nicolao Ruicha-
verio, Boisioque. Dorpius statim omnia
urbi defendendæ præparare. ante eam,
ad australem portus partem, tumulus qui-
dam, ex congesto è salinis ibi cinere, e-
minebat; ad septentrionem vero, ager ju-
gerum quinquaginta adjacebat. hunc,
& illum, communire. quod restabat, in-
tercisis circum aggeribus, aqua mersum.
commeatus, & præsidii, satis erat; sed
initio consternatiores cives. quos ut mo-
ra quadam erigeret, primo ad dies qua-
tuordecim inducias pactus, inde protu-
lit. interim foris inchoata pridem opera
sedulo perficiebat; intus omnia urbis loca,
minus firma, accurabat; & quod majus
munimentum, tandem cives confirma-
bat. Requesensius, qui vim quicquam
profuturam desperabat, fame premere
decrevit. itaque palos, sublicasque, fer-
reis catenis nectens, medium inter Duve-
landiam, Scaldiamque, fretum claudere;
ac, profundum si vetaret, naves ponere,
ancoris suis fundatas, tum constratas ta-
bulatis, & militibus, machinisque, com-
munitas. portum quoque, & submersos
aquis campos, ne inferri annonæ posset,
obsidere. deinde, cura distributa, post-
quam copiis terrestribus Mondragonium,
ac navali rei Avilam, præfecisset, Tolam
primum, inde Antverpiam, se recepit;
abducto Vlloa, quicum minus Mondrago-
nio conveniret. Interea Hispanica classis,
quæ præfecti sui morte, Petri Melandæ,
impedita, uti supra memoratum, tandem
in Angliam applicuit. cui ut Elizabetha
portum daret, cum Mendosa anno able-
gatus esset, nunc Ioannes Boisotus missus,
fisci patronus; qui cum alia, tum & hoc,
reginam oraret, *uti perduelles Belgas regno
suo prohiberet.* quod cum illa durum val-
de; & inhumanum, existimaret, tamen
foedere

foedere teneretur, ut nec miseros magis premeret, neque regem foederatum irritaret, admonere potius visum, ut momentum rei expenderet; & an profutura peteret. periniquum enim esse, homines afflictos adeo, quique præter conscientie libertatem nihil quaerent, è perfugio suo ejicere. deinde meminisset etiam, cum jam ante quinque annos idem postulanti Albano obsecuta ipsa esset, quam Philippo id perniciosum fuerit. ac Lumæum aliosque è nobilitate Belgica, Brilam urbem occupasse, Belgiumque sat pacatum perturbasse. qua de causa, si eadem nunc severitate agat, metuendum, ne consilia æque Belgio damnosa ipsi capiant. nihilominus, cum Boisotus porro urgeret, ad præfectos limitum maritimorum literas mittit, interdicens, ne in regnum suum admitterent exules Belgas, quique arma contra regem Hispaniarum induissent; & in istis nominatim, Auriacum, Culemburgensem, Bergensem, Lumæum, Esquerdium, Lumbresium, Rumenum, Mero-dium, Carnissium, Noiellium, Blijoulium, Bredamum, Boisotum, Aldegondium, Mansartum, Dorpium, Vander-Anum, Haultainum, Tempelium, Matenesium, Ifelsteinium, Bronchorstium, Wingardum, Nivelantium, Bellemam, Iunium, Hagam, aliosque, numero circiter quinquaginta. id regina ideo facere, ut se foederis rationem habere ostenderet; tum quod ipsa simili pridem beneficio obstricta esset. nam per Wilsonum legatum obtinuerat, uti perduelles Angli, & in iis Westmerlandius, è Philippi item provinciis pellerentur. insuper concessum illi, ut, permissu Zelandorum, naves Anglicanæ quatuor libero Scaldi Antverpiam usque merces veherent, & reveherent. his de causis gratiam debere visa est. Per hoc tempus cum Auriacus, Ordinesque foederati, nullam pacis spem restare; neque etiam libertatem conscientis, aut securitatem sibi, expectandam animadverterent: neque vires deinde esse, quas Philippo opponere possent; de patrono, cui tuto se permitterent, consultare. nec sententia una fuit. quippe illi in Imperium Principesque; isti in Galliam, hi in Angliam inclinare. sed, cum rationes penderent, ab Imperio, etsi olim huic annexi, parum sibi polliceri. nam Austriacam illic domum, cujus princeps rex Phi-

lippus, prævalere. Principes autem, universim quidem validos, singillatim imbecilles: idque magis, quia fere, religione dissidentes, etiam inter se dissiderent. itaque satis, quod curarent, domi habere; nec negotium aliunde arcessendum. deinde neque permissuros, ut seorsim quisquam, Belgii principatu confirmatus, alios omnes potestate antecellat. & ut quidam forte velint, non ausurum tamen ullum, propter Casarem; qui, sororius Philippi, contra annisurus esset, ne deficientis Belgii patrocinium ab Imperio, aut Imperii quoquam principe, capiatur: idque ad majestatem suam, & familiae, toto orbe potentissimæ, dignitatem pertinere. Utque universim fiat, quando in hanc rem comitia prius convocanda essent, longam nimis moram fore. Quod ad Galliam, neque spem in hac ponendam. Vetus gentis odium esse, nuperamque lanienam deterere. ac distare nimium portas; quod commercis, quibus Belgium censeretur, valde incommodum. tum exhaustas bellis intestinis opes; per quæ regem, etiam compositis illis, non magnopere adjuturum. & discrimen summum esse, ne Brabantos, Flandros, Artesios, atque Hannonios, irritarent; qui cum ipsis sempiternum potius bellum, quam cum Gallis fœdus, vellent. deinde, ut se hi submittant, metuendum, ne Philippus, qui ulcisci sese possit, permutatione facta, pro Hollandia, ac Zelandia, & provinciis fœderatis, Mediolanum, ac Neapolim, illi reddat. neque enim hac de re securitatem dari sibi ullo sacramento posse; quod plerumque pro libidine sua reges violare minime dubitent: magis autem in hoc negotio, quando ipsi pro sectariis, quibus fidem non servare sit permissum, habeantur. denique, ut nil horum obstet, quid suppetiarum à rege, animo tam alieno à religione sua, polliceri sibi debeant? ergo frustra etiam illuc itum iri. At in Anglia, etsi linguam differentem, religionem, quæ jungendis hominum animis multum valeat, eandem esse. tum commercis etiam aptiorem illam, & accedere huc reginæ Elizabethæ potestatem, uti summam terra, ac mari, ita imperium moderatum, procul gravi tributorum exactione. à qua, si protectionem impetrarent, tum Oceanum utrinque liberum habituros; & commercia ceterarum Belgii provinciarum intercepturos, ac Hispanis spem recuperandi maris in perpetuum erepturos. deinde Daniam, Sueciam, Embdam, & Vandalicas urbes alias, jam reginæ fœderatas, societatem petituras. hanc sententiam, cum exclusum se commercis animadvertet,

advertet, cetero item Belgio fore. denique ipsam etiam Galliam, fœderis partem ambituram. atque sic futurum esse, ut, auxilia semper prompta, ac conjungi faciles copias, propter maris beneficium, habituri, hostibus ubique suis formidentur. & reginam, confirmandæ huic potentie, religionem, libertatem, privilegia, & immunitates omnes, non conservaturam tantum, verum etiam aucturam. dein pecunia, necessariisque rebus, adjuturam. ac postremum, in magna opum abundantia, & armorum summa gloria, pace utrinque fruituros. quas ob causas expedire, uti semel tandem statuunt; prius quam aut urbes aliquas è majoribus, aut insigniores portus, aut munitiora loca, hostis caperet. nec consultum enim esse, ut diutius, à pecunia, & exercitu, imparati, dubie se fortune exponant; quæ res animos populares, per adversa inclinare sese faciles, ne in præceps forte impellat, metuendum. Itaque hæc decreta legatio; placuitque ut mitterentur, Philippus Marnixius Aldegondius, Ianus Doufa Nordovicus, Gulielmus Niveldius Arentsbergius, Paulus Buius, Franciscus Maelsonius. qui, in Angliam cum venissent, circa diem Christo nato consecratum, mox Elizabethæ exponunt, quo in statu res ipsorum constituta, & quid Bredæ actum esset. se negotium, resque suas universas, equitati, ac conscientie, ejus permittere. & orare, ut auxilium, aut consilium, adeo per vim oppressis dare vellet. vetus ipsi cum provinciis suis fœdus; tum & genus inde esse. nam Philippam, Gulielmi, Hannoniæ, Hollandiæ, & Zelandiæ, olim comitis, cognomento Boni, filiam, Eduardo III nuptam, à quo stemma computaret. nunc, si adjuvare velit, & protegere contra vim Philippi regis, summam quoque potestatem oblaturus. Requesensius, postquam de legatione hac accepisset, Fredericum Perenottum Campaniacum contra mittit, qui successum perturbaret. Isque ad diem XII Februarii anni proximi in hunc modum verba facere; non ignotum veterem Philippi affectum: & orare eum valde, ne audire perduelles, aut juvare certe vellet. ita antiquis tot fœderibus constitutum, quæ & pridem cum Boisoto renovata. eo tempore Aldegondium, qui legationis caput, perduellem declaratum; & expelli jure posse. Ad quæ illa respondere, perduelles adjuvare, aut defendere, nunquam honestum se putasse. verum sat constare sibi, quam

in omnibus regi suo, & Ordinibus generalibus, causam suam arbitranda permisisse. ac, cum æque inclementer haberentur, Gallicanum patrociniū implorare decrevisse. id cum neque sibi omnino, nec Philippo, expediret; providendum existimasse. quod si vero, sub prætextu perduelles castigandi, rex præsidium illis locis, sive Hispanicum, sive externum, qualecunque, collocare statuisset; æque id periculosum regno suo arbitrari, ac si Galli occupassent. Nondum quicquam in negotio legatorum constituerat, sed differre proposuerat; facta interim potestate, ut tormenta, arma, militem, comæatum, comparare, & aveliere, tuto possent. verum hi responsū urgere; & supplicias, aut tutelam, postulare; donec, pacem consecuti, juxta normam verbi dei, in tranquilla conscientia, vivere possint. nam hoc unum in votis esse, idque ipsum ad quietem item Angliæ pertinere. si, quæ peterent, improbaret; aut, non expedire sibi, existimaret; saltem ne suspendere vellet, & cunctando in discrimen summum adducere. beneficii instar fore, si quamprimum mentem exponat; & fortasse negatura, statim neget. ita sibi libertatem pro republica, consultandi permansuram; & mature decreturos, quæ ex usu ejus putent: quæque jure, tam divino, quam humano, permittantur. Dum in Angliâ à legatis tanta animi magnitudine hæc geruntur, in Hollandia ipsa Auriacus, Ordinesque, qui vix spiritum sub ingentis belli mole trahere posse crederentur, adeo se non premi tantum, aut laborare, ostenderunt; ut decretam pridem in urbe Lugdunensi Academiam die octavo Februarii palam nunc erectum irent. quæ in eam famam excrevit, ut celebritate nominis, & ingeniorum gloria, nulli hodie toto orbe Christiano Academicarum cedat. Requesensius, inclinante in feditionem milite, ut præverteret, à provinciis singillatim magnam vim pecuniæ petere; urbibus quoque, uti pagis, si concessum id fuisset quod volebant, suam cuique summam indicere: ac viginti octo millia florenorum, quæ Altempiano militi solverentur, in menses singulos, ab Antverpia postulare. & hoc tempore quatuordecim aureorum milliones cum semisse rex debere dicebatur; jamque impensi bello Belgico amplius quadraginta duo computari. ea res auctoritatem

ritatem Requesensit valde fregit; & que-
relam pro pecunia, quam poscebat, plu-
rimæ provinciarum obtulere. ac nonnul-
læ, *privilegia reddi sibi cupiebant; aliæ, quod*
promississet, ut præsidia revocaret: Flandria,
uti rationes putarentur. hæc pollicita pridem
erat centum millia florenorum; verum ea
tantum lege, *ut deducerent, quicquid ab His-*
panis damni accepissent, aut militibus impendis-
sent: tum præsidium ut provincia universa e-
vocaret, & delicta castigaret. ut usuras etiam
solveret, quæ à regis vectigalibus deberentur.
porro addicta fisco bona, juxta privilegia sua, &
corruptam disciplinam militarem, restitueret.
denique ut senatum illum sanguinarium abole-
ret; & provinciarum curiis causas qualescum-
que redderet. universim vero omnes postu-
lare, *ut à decima exigenda in perpetuum abs-*
tineret. Hinc tributa intermitteri, neque
quicquam in ærarium referri, neque à
præfectis solvi. qua de causa cum comi-
tia generalia Requesensius indixisset, &
Bruxellas Ordines provinciarum, aut eo-
rum delegati, convenissent, per libellum,
à Francisco Richardoto, episcopo Atre-
batensi, scriptum petere; *ut, amoto externo*
milite, Belgis deinceps uti vellet; disciplinam
militarem emendaret; & provinciarum censum
illis rebus, ad quas destinatus esset, applicaret.
ne migraret leges populi, & cujusque privilegia
sarta tecta conservaret. tum ad regem, quicquid
passim gereretur, bona fide ut referret;isque
in rebus, quæ ad Belgium pertinerent, Belgas
quoque consiliarios adhiberet. denique ut tumultu-
tuatos pridem Hispanos castigaret, & cohortes
ordinarias instauraret. sibi quidem in obsequio,
& religione avita, permanere omnino certum;
sed sine istis nullo modo salvum esse Belgium
posse. Tum adhuc in Duvelandia moraba-
tur; ubi cum libellum istum accepisset, in-
dignatus, *Deus, inquit, me ab his ordinibus li-*
beret. mox Antverpiam, & Bruxellas, cum
venisset, cur comitia indixisset, coram ex-
ponit; *causam solam habuisse, ut pecuniam,*
belli nervum expedirent. ea sibi, si in Belgio
restitutam majestatem regis cuperent, opus esse.
de libello, quem offerrent, eum sese, quantum
posset, apud regem adjuturum. Iam Hispani-
cus equitatus propalam tumultuari; ita-
que, ut favorem sibi nunc obstringeret,
promulgato statim edicto, potestatem
rusticis facit, qui se contra communirent.
iste autem, cum per agrum Insulanum, &

Artesiam, in Hannoniam penetrasset, à CIS 13
Lalanio vix repressus, à Romero apud LXXVI.
Mollam in Brabantia mox sedatur. Ob
id factum irritati, odium in Lalanium ca-
pere, & vindictam minitari; Requesen-
sium vero ipsum fuggillare, *qui, coercuisset*
motum, non pacasset: deinde arma auctorasset,
nunquam postea deponenda. Requesensius,
qui pecunia se destitui ringebatur, eo ma-
gis ægre ferre, quod hæc illo maxime
tempore negaretur, quo dedendam Zi-
riczeam existimaret. qua victoria tam in-
signi & Hollandiam, & Zelandiam, dif-
tenturus, gloriam multo majorem, quam
Albano obtigisset, relaturus videbatur.
itaque, cum rursus Hispanos in tumul-
tum propendentes animadverteret, neque
sibi firmam satis valetudinem, advocato
sanctiore consistorio, & præfectis provin-
ciarum, quosdam item episcoporum ad-
esse jubet: inter quos Yprensis erat, &
Brugensis. Atrebatensis paullo ante, fa-
to suo, aut veneno, ut ferebant, ob libel-
lum à se scriptum procurato, diem obie-
rat. aderant quoque Arscotanus, Barlai-
montius, Rochensis, Mansfeldensis; qui,
Albani præfectura, aula fere abstinerat.
ad hos Hiergius, Campaniacus, Raffin-
gemus, aliique. horum auctoritate usu-
rus, Flandriæ delegatos vocat, & oratio-
ne acri mox castigat; *pronos esse in perduel-*
les, & consilia clam conferre. ni pecuniam pro-
curarent, detrimentum, quod resp. hic acciperet,
ipsis imputatum iri. ad quæ ipsi cum obni-
xe postularent, *ut putaret rationes, militem-*
que peregrinum, quod pollicitus, evocaret; ille
contra obstinatio, & jam ira exardescens,
solos adeo, modo serio ad exemplum regis age-
rent, ad Hollandos, Zelandosque, compescen-
dos sat valere. & ararium valde locuples supra
ceteros Belgarum possidere. regem bello isto suo
& Hispaniam, & Italiam, exhausisse; jamque
amplius quadraginta milliones impendisse. per-
iniquum, ut cum aliorum inopia ipsos ditet.
quod deduci militem vellent, cum regi, tanquam
viro nobili gladium, ad tutelam majestatis ne-
cessarium. verum tamen curaturum, ne mole-
stus porro equitatus esset. Post hæc in trigin-
ta millia florenorum consensere; quæ
Germanis abducendis, etsi neque illud fa-
ctum, impendenda. Sub hoc tempus Chi-
appinus Vitellius, Cetonæ marchio, vir
mili-

militiæ laude clarus, infelici casu obiit. Hic Philippo, cum Albanus Belgium peteret, ab Hetruriæ duce Cosmo attributus, isto bello bonam operam navavit. cumque in Scaldia quodam aggre curru pensili veheretur, eo everso, ut obeso corpore erat, cum se graviter afflixisset, & Antverpiam properaret, in itinere exspiravit. ajunt quidam, à malevolis, data opera impellentibus, deturbatum; quod arcana quædam Cosmo, in Philippi præjudicium, detexisset. neque diu Requiesens supervixit; qui Bruxellis, die quinto mensis Martii, febre acuta, ac pestilenti, impetitus, diem clausit. erat vir ingenio moderatiore, & prudentia,

multo rerum usu parta; ideo Albano à Philippo successor datus, ut, cum Belgis mitius agens, hac contraria ratione ad obsequium eos reduceret: quæque ille per rigorem deliquisset, nova imperii æquitate emendaret. atque ita arma sua temperaret, ut reducere potius populum ad obsequium priscum velle, quam affligere, videretur; ac, cum primum perfecisset, ponere ea, & sancita ante actorum oblivione, bona fide in gratiam recipere universos, promptum ostenderet. & consilium hoc fuisse, credi poterat; nisi fraudem occultatam, in tumultu Antverpiano, & conventu de constituenda pace, Bredæ habito, prodidisset.

R E R V M I N H A C

G V L. A V R I A C I

Parte Prima Maxime Memorabilium

I N D E X.

A Cademia Lugduni in Batavis constituitur, 134. inauguratur 149
Adolphus Nassovius ad Heiligerleum cæsus, 45. Wedde sepelitur 45
Alcmaria à Sonoio capta, 216. à Toletano obsidetur, 114. egregie oppugnatur, & defenditur, 117. obsidione liberatur, 118
Amstelodami turbatur, 32 & deinceps. conciones prohibentur. 35
Amstelodamenses ab Albano in jus vocantur, & mulctantur, 70. à Lumæo obsidentur 95
Antverpia ab Auriaco astu tentata 135
Antverpiæ imagines in templis dejectæ, 13 & deinceps. turbatum ab Hispanis, 125 & deinceps.
Antverpienses libellum Parmensi offerunt, 5. eam orant, ut venire in urbem vellet, prohibendis ibi turbis, 10. à regionariis suis libellum oblatum accipiunt. ibid. & mox ad Parmensem mittunt, iterum orantes, ut venire in urbem vellet. ibid. edictum proponunt, 14. Parmensem, & Auriacum, de rebus suis certiores faciunt, 15. Protestantes illic libellum Hochstratano offerunt, 19, 23. delegatos ad Brabantie Ordines mittunt, 21. turbant, 31. cum Parmensi transigunt, 33. conciones prohibent, & concionatores urbe excedere jubent, 33. arcem ab Albano accipiunt 40
Arenbergicus ad Transiselandiam pacandam à Parmensi missus, 19. eam ordinat, ut & Frisiam, 28. Groninganos per blanditias tentat, capitque. ibid. ad Gallia regem cum suppetiis mittitur, 40. inde contra Ludovicum Nassovium, 44. in prælio cadit, 45. Heiligerlei sepelitur 45
Audewatra in Auriaci partes transit, 81. ab Hiergio obsidetur, & expugnatur 142, 143.

B.

B Arlaimontius fœderatos per contemptum Geusios appellat 7
Batenburgici duo, cum aliis nobilibus, per prodicionem capti, 35. gladio feriuntur 45
Bergensis cum aliis fœderatis libellum Parmensi offert, 6. in jus vocatur ab Albano, 40. militem colligit, 43. Gelriam, & Transiselandiam, in Auriaci partes reducit, 82. inde mox in West-

phaliam fugere cogitur, 98
Bommeneda oppugnatur, & capitur, 145, 146
Bossivius Jacobum Endium, Hollandiæ advocatum, Bruxellis captivum mittit, 41. Roterodamum capit, & in cives fœde grassatur, 75, 76. ad consulem Delfensem scribit, de comprehendendo Auriaco, 104. in Hollandia boreali variis locis potitur, 118. ejus classis, & navis prætorica, 118. oppugnatur, vinciturque, 119. & captivus. Hornam abducitur, ibid.
Brabantie Ordinum apud Parmensem querela, 23. de repub. ordinanda sententia, 23, 24
Bredæ colloquium de pace institutum, 136 & deinceps.
Brederodius, fœderatorum princeps, 6. Bruxellis Parmensi libellum offert, 6. Antverpiam venit, 10. veniam accedendi ad aulam à Parmensi per literas petit, 29. responsum accipit, 31. arma capit, & Vianam suam munit, ibid. Antonium Bombergum Silvamducis mittit, qui contra Megensem eam tueatur, ib. Amstelodamum clam venit, 33. Torræo, à Parmensi missus, non obsequitur, ibid. novum jusjurandum detrectat, ibid. Hollandia excedit, 35. in judicium vocatur ab Albano, 40. moritur, 35
Brila capta à Gulielmo Marcano Lumæo, 73, 74
Bura expugnata ab Hiergio, 152

C.

C Ameracensis Archiepiscopus reformationem cleri agere obtinet, 5
Carolomonium ab Auriaco communitur, 21
Carolus V. Caesar Gulielmum Auriacum educat, 1. ad honores promovet, ibid. Sabauda substituit in exercitu, ibid. Bruxellas revocat, 2. & humeris Auriaci innixus, regnum Philippo F. tradit, ibid. prudentiam ejusdem commendat, ibid.
Carolus Mansfeldius periculo se subducit 39
Carolus, Philippi F. in Belgium benignus, a quibusdam ei ad obsequium reducendo destinatus, 35. in custodiam à patre datus 40
Cliviensis, petente Albano, profugos Belgas ejicere parat 39
Conciones palam ceptæ 9, 10. permittuntur 17
Culemburgicus una cum aliis fœderatis Parmensi libellum exhibet, 6.

in iudicium ab Albano vocatur, 40. proscibitur, 45. ejus ades Bruxellis diruuntur
Decretum de sectariis inquirendis, & puniendis, 4. ejus mitigati formula 8
 Delphi ab Hispanis per prodicionem tentati 135
 Dordracum in Auriaci partes transit, 81
Egmundanus ad federatos delegatur, 11. iterum, 16. ad Flandriam pacandam à Parmensi mittitur, 19. contra Auriacum sententiam dicit, 28. Albano, in Belgium adveniendi, obviam profectus, dicto ambiguo percutitur, 37. capitur, 38. Gandavum in custodiam abducitur, 40. gladio percutitur, 46. elogium in eum Mondolceti; & populi, militumque; amor, 47
 Enchusa Auriaco deditur, 78
Ferdinandus Albanus Belgio coercendo destinatur, 35. iter in Belgium capit, 37. senatum sanguinarium instituit, 38. proceres Belgii Bruxellas convocat, 38. Egmundanus, & Hornanum, capit, ibid. ad Clivensem scribit, ut profugos ejiciat, 39. arcem Antverpiæ imponit, 40. auxilium Gallie regi mittit, 40. in Galliam profugos edicto retrahit, 40. proceres Belgii in iudicium vocat, 40. per insidias fere interceptur, 42. Ultrajectinis instat, ut Concilii Tridentini decreta recipiant, 43. Arenbergicum mittit contra Lud. Nassovium, 44. nobilitatem Belgicam, & proceres duos, gladio ferit, 45. & deinceps in Frisiam proficisci statuit, 47. Lud. Nassovium assequitur apud Gemingam, 48. ac cedit, 48. Delfsilium in urbem mutare statuit, 49. sed consilium id mox omittit, 49. Groningam in ordinem cogit, ibid. in reditu inde quæ Amstelodami, & Ultrajecti, egerit, ibid. castra ad Trajectum Mosæ munit, 51. pugnam detrectat, ibid. Leodienses, ne Auriacum adjuvarent, minis terret, ibid. Auriacum cedit, 53. & mox vicissim ab eo ceditur, ibid. militem in hiberna dimittit, 54. inde, ceu victor, statuas sibi ipse ponit, ibid. quæ sublata à Requesensio, ibid. varie in Belgas grassatur, 55, 56. regi Galliarum suppetias mittit, 57. Spelleum laqueo punit, ibid. à Pio V numeribus ornatur, ibid. mercatores Anglos comprehendit, ibid. legatum ad reginam Elizabetham mittit, 58. Ordines Bruxellas convocat, 58. decimam, vicesimam, & centesimam, petit, 58. Ultrajectinos urget, 60. ac vexat, 60, 62. ad remp. ordinandam animum vertit, ibid. sententiam in Ultrajectinos fert, 63. diploma regis, de venia turbarum Belgis facta, Antverpiæ promulgat, 63. edictum in speciem mitius proponit, 70. Amstelodamenses in jus vocat, 70. Vlissingæ arcem imponere statuit, 76. Montium Harmonie amissione valde commovetur, 80. itaque recuperare eos inprimis studet, 81. comitia Bruxellis indicit, inde Montes petit, 92. cum Auriaco confligit, 94. tam ancipiti eventu, ut gregarii militis instar depugnare cogeretur, ibid. Lovanium, & Tielmontium, recipit, 96. item Machliniam, quam miserrime etiam diripit, ibid. Diestam quoque, Teneramundam, & Aldenardam, recuperat, ibid. Noviomagi variarum urbium legatos supplicantes accipit, 96. ad Amstelodamenses litteras blandissimas scribit, 97. è Belgio discedit 119
 Florentius Mommorantius Montinius ad regem ablegatur, 12. in carcerem abductus, deinde gladio percutitur 35
 Federati sese mutuo in certa quadam capita obstringunt, 6. Bruxellas eunt, & libellum supplicem Parmensi offerunt, 6. ad Trudonis sanum conveniunt, 11. Arscoti, & Dufflæ, cum Parmensis delegatis agunt, ibid. per Auriaci & Egmundani dissidium dividuntur, 28. arma capiunt 30
 Frisia Ordines Arembergico, provinciam contra privilegia ordinare cupienti, se opponunt. 28
Gertrudisberga occupata 114
Gensu à Barlaimontio appellati federati, id nomen porro retinent 7
 GouGorcomium in Auriaci partes transit 28
 da se Auriaci partibus addit, 81. de ea prodenda consilium quorundam detectum 120
 Granvellanus à rep. discedere jussus 4
 Groninga ab Arembergico per blanditias tentata, & capta, 28. presidio munita, 45. signum subsidiarium legit, 47. ab Albano in ordinem coacta, 49.
 Gulielmus Auriacus quando, & ubi, natus. 1. à Carolo V, Casare ducatus, ibid. uxorem primam quam, & quando, duxerit, ibid. Sabauda successor in exercitu datus, ibid. in eo munere quomodo se gesserit, 2. Carolomontium munit, ibid. Fagnolium expugnat, 2. turrim ad Conviniuum diruit, ibid. Bruxellas à Casare revocatur; qui, humeris ejus imixus, regna Philippo filio tradit, ibid. à Philippo in or-

dinem equitum aurei velleris cooptatur, ibid. in Germaniam deferre coronam Imperii Ferdinando jubetur, ibid. uxorem amittit, ibid. Hollandiæ, Zelandiæ, Frisii, & Ultrajecto, præficitur, ibid. coronam Ferdinando Casari defert, 3. pacem inter Gallie & Hispanie reges procurat, & adjuvat, ibid. intellecto è Gallie rege consilio de tollendis ubique Protestantibus, de Hispanis Belgio ejiciendis cogitare incipit, 3. Margareta Parmensi, Belgio præfecta, à consiliis datur, ibid. præfectura turme ordinariæ, & Hispanici militis tribunatu, ornatur, ibid. equites aurei velleris quosdam, & è Senatu, Hoochstratam convocat, consilia sua de Repub. expositurus, 3. ut externus miles removeatur, urget; cum offensa summa regis, ibid. quam industria sua detegit, ibid. secundam uxorem ducit, 4. Granvellano se opponit, ibid. discedendi à Rep. veniam petit, 8, 9. ad componendos motus à Parmensi Antverpiam mittitur, 10. quæ illic ab eo gesta, ibid. ad federatos delegatus, Arscoti primum, inde Dufflæ, cum iis agit, 11. Parmensem consternatam, & Bruxellis abire cupientem, retinet; ac Bruxellanos ad quietem cohortatur, 16. à Parmensi per litteras apud regem accusatur, ibid. ad federatos iterum ablegatur, ibid. Antverpiam abit, eamque ordinat, 17, 18. inde ab Hollandiæ Ordin. provinciæ itidem ordinandæ, postulatur, 18. itaque Antverpia cum mandato à Parmensi discedit, 18. Ord. Hollandiæ Sconhoviam convocat, 19. inde Ultrajectum abit, ibid. Maximiliani ad eum littera à Parmensi suppressa, ejus querela à quibusdam è senatu Hispaniensi proterve respondetur, 20. cum aliis proceribus Teneramundæ congregatus, 22. litteras legati Hispanici illic profert, ibid. quomodo libertatem defendendam suaserit, 22. quid de Belgii turbis senserit, 25, 26. Hellegati, & Willebroci, Egmundanus permovere ad tutandam libertatem conatur, 28. cur se initio ad vim opponendam ducem dare non consultum existimaverit, 29. turbantes Antverpiæ Protestantes cum periculo vite sue componit, 31, 32. Amstelodamensium delegatos ad Parmensem remittit, 32. ad Brederodium se scripturum pollicetur, 33. novum jus jurandum, à Parmensi delatum, detrectat, ibid. Antverpia, & deinde Belgio, excedit, 34. ante abitum quid consilii Protestantibus dederit, ibid. ab Albano in iudicium vocatur, 40. scripto se purgat, 41. apud Casarem, Electores, & Imperii principes, querelam instituit, 42. exercitum in Germania parat, 43. ab Albano proscibitur, 45. copias comparatis oratores ad Casarem mittit, 50. belli contra Albanum suscepti causas scripto publico exponit, 51. exercitum lustrat in Treveris, ibid. Albanum in prælium pertrahere conatur, ibid. turbante exercitu, in discrimen summum venit, 52. in Eburones castra movet, ibid. Mosam insigni solertia copias transmittit, ibid. cum Albano pugnant vincitur, 53. inde auxiliis Gallie se jungit, ibid. Albani copias cedit, ibid. supra Quintini sanum Somonam transmittit, & regi Galliarum respondet, ibid. oblectantem militem in Germaniam reducit, & dimittit, ibid. Bipontino, in Galliam eunti, se adjungit, 53, 54. de deploratis Belgii rebus à Paulo Busio accipit, 61. iterum de Belgio liberando consilium capit, 61, 62, 64. classem parat. 67. in Gallia per fratrem, Ludov. Nassovium, auxilia à rege petit, ibid. in Daniam, & Succiam, legatos mittit, ibid. quæque ab iis illic gesta, 68, 69. Colinium, aliosque Gallie proceres, religioni reformatæ addictos, in suas partes pertrahit, 71. à Gallie rege cæ aureorum clo accipit, 73. quale cum eo fœdus inierit, 78, 79. P. Marnixium ad Hollandiæ Ordines in comitia Dordracena mittit, qui cum illis suo nomine agat, 85. exercitum comparatum lustrat, 90. Ruremundam capit, 93. ab Hollandiæ Ordinibus pecuniam accipit, 93. Lovanium, & Machliniam capit, ibid. Diestam quoque, & Tielmontium, ibid. Nivella comneatum, & ammonam imperat, ibid. cum Albano confligit, 94. Fermeriam abit, ibid. inde Machliniam suos reducit, 95. mox ad Rhenum, cum periculo vite sue, auctoramento illos solvit, ibid. Hollandiam petit, ibid. Enchusam venit; ibique, & in proximis urbibus, rebus omnibus constitutis, Harlemum abit; ubi ab Ordinibus congregatis exceptus, 97. rempub. ordinat, 97, 98. in Zelandiam abit, ut Requesensio se opponat, 121. Valacria potitus Arnemudam munit, 123. delegatos cum Ordinibus Bredam mittit, ad colloquium de pace, 136. tertiam uxorem ducit, 142. Raderkerkam munit, 143. Crimpam recipit, ibid. de patrocinio foris querendo cum Ordinibus deliberat, 147. & legatione in Angliam decernit 148
 Gulielmus Marcanus cum suis copiis se Auriaco adjungit, 51. Brilam capit, 73, 74. turbas dat, & capitur; ac mox dimititur, 104.
 Harlemum

- H** Arlemum in Auriaci partes transit, 81. fere proditum, 89, 90. obsidetur à Frid. Toletano, 101 & deinceps. deditur 113
 Henricus Nassovius cadit 125
 Hochstratanus Antverpiæ præficitur, 18. motum illic reprimit, 19, 32. novum jusjurandum, à Parmensi delatum, recusat, 33. casu servatur, ne caperetur, 39. ab Albano in iudicium vocatur, 40. scripto se purgat, 41. proscribitur 45
 Hollandiæ Ordines de vindicanda patriæ libertate comitia Dordraci habent, 84. cum Philippo Marnixio Sancto-Aldegondio nomine Auriaci agunt, 85, 86. Harlemi iterum congregati, 95. libellum Campaniaco offerunt, 136. Bredam legatos de pace constituenda mittunt, ibid. nummum cudunt, in rei illic gestæ memoriam 141
 Horna à Sonoio capta 78
 Hornanus Albani jussu capitur, 39. Gandavum sub custodia abducitur, 39. gladio percutitur 47
I Enlisus profligatus, 90 & deinceps.
 Imaginum dejectiores, 13 & deinceps.
 Inundatio gravissima, 64 & deinceps.
 Ioannes Bergensis ad regem ablegatur, 8. in carcerem abductus, illic moritur. 35
L Eidenses misso ab Albano Sasboutio se opponunt, 56. in Auriaci partes transeunt, 81. obsidentur, 119. iterum, 129. fortiter obsidionem tolerant, ibid. & deinceps. liberantur, 134. Academia ornantur, ibid. quæ inauguratur, 148
 Lovanium ab Auriaco capitur, 93. ab Albano recuperatur, 96. inundatione Dilæ pene absorbetur 106
 Ludovicus Nassovius inter fœderatos libellum offert Parmensi, 6. ab iis delegatur, 16. confessionem Augustanam illis suadet, 22, 23. ab Albano in iudicium vocatur, 40. varia consilia habet, 43. Frisiam incumbit, & Weddam capit. 44. Ordinibus Frisiam arma, & pecuniam, imperat, 45. copias Groningam ducit, ibid. ab Albano proscribitur, ibid. Gemingam versus castra movet, 48. ab Albano profligatur, ibid. recollectis copiis, Auriaco fratri se conjungit, 50. & cum eo in Galliam abit, 57. mutata veste, in aulam regis, venit, cum quo clam colloquium habet, ibid. Montes Hammonie astu capit, 79, 80. rursus dedit, 95. Trajectum Mosæ tentat, 123. Falcoburgum, & Gulpenum, castra movet, 124. inde Movicum, ibi ubi pugnatur, vinciturque, & ignota morte occumbit, 124, 125.
 Ludovicus Requesensius, Albano successor datus, Bruxellas venit, 119. imperio moderatiore usus tamen arma parat, liberando Middelburgo, 120. Bergas abit, ut è propinquo omnia curet, 121. ejus classis apud Bergas ad Somam profligatur, 121, 122. tumultuantes Antverpiæ Hispanos fovet, 125, 126. Hollandiam, & Zelandiam, occupare statuit, 128. ejus classis à Ludovico Boisoto profligatur, 129. Gorcomio, & Lovesteno, imminet, 135. Werckendamum, & adversam Mosæ ripam, munit, ibid. in Zelandiam arma vertit, 143. Antverpiam repetit, 146. Ioannem Boisotum in Angliam mittit, ibid. & Fredericum Perenottum Campaniacum, 147. pecuniam à provinciis petit, ibid. moritur. 148
M Achimia ab Auriaco capta, 93. ab Albano recepta & direpta 96
 Machliniensis Archiepiscopus cleri reformationem frustra urget 5
 Margareta Parmensis edicta regis ut exequantur omnes, per literas mandat, 4. edictum ipsa suum proponit, 5. fœderatorum libello respondet, 7. de legatione ad regem mittenda deliberat, 8. ad regem scribit, ibid. ab eo responsum accipit, 9. & alias literas, 11. Bruxellis Montes abire cupiens, vix retinetur, 16. Petro Ernesto Mansfeldio præfecturam urbis mandat, ibid. apud regem per literas accusat Auriacum, Egmundanum, Hochstratanum, & Hornanum, ibid. fœderatos per blanditias dividit, 20. inde, copiis collectis, ceteros terrere incipit, 21. Valentianus imperat, ut præsidium admittant, ibid. edictum proponit examinandum Brabantie Ordinibus, 24. Brederodium, admitti cupientem, aula prohibet, 29. ejusque literis respondet 29, 30. Petershemium, & Scheiffum, Silvam ducis mittit, qui eam urbem in potestatem redigerent, 30. Torraën Amstelodanum mittit, ad Brederodium, 33. equitibus aurei velleris, & præfectis provincialium, novum jusjurandum desert, 33. cum Antverpiensibus transigit, ibid. inde ad illos sese transfert, 34. Bruxellas redit, & commercii confirmandis, edictum proponit, 35. per literas Ordinibus Belgii vale dicit, & in Italiam abit 40
 Mauriti Electoris filia nupta Gul. Auriaco 4
 Maximiliani Burani filia Gul. Auriaco nupta 1
- M**aximiliani Cæsaris ad Philippi regis literas responsum, 20. ad eundem pro Auriaco legati, 42. etiam Carolus frater missus 50
 Medelacum Auriaco deditur, 78. leviter turbat, 98. sed pacatur Auriaci cura ibid.
 Medinacalius à quibusdam Belgio ad obsequium reducendo destinatur, 35. cum Albano instar gregarii militis ad Montes Hammonie pugnat 94
 Megensis Geltriam ad obsequium reducit 27. à Parmensi ad Silvam ducis in potestatem redigendam mittitur, 30. eandem capit, 31. in Hollandiam copias ducit, ibid. ex vulnere obit 45
 Middelburgum obsidetur, 108. & se dedit 123
 Montes Hammonie à Ludovico Nassovio astu capiuntur, 217, 218, 219. ab Albano recipiuntur. 261
N Ardenum capitur, & diripitur, 98, 99.
 Nassovia gens antiquitas 1
 Noircarmius cum Valentianus de præsidio admittendo agit, 21. mox ea obsidet, 27. & capit, ibid. Tornacum capit; & in Protestantes, illic captos, varie sevit, 27. negotium de pace constituenda inchoat. 136
P Ax inter Gallie & Hispanie reges, Auriaco procurante, & adjuvante, constituta 3. inter Philippum, & fœderatos, Breda agitari coepit, 136 & deinceps
 Philippopolis ab Auriaco communita 2
 Philippus Gulielmus Buranus à patre Gulielmo Auriaco in Academia Lovaniensi relictus, 34. inde in Hispaniam abducitur 41
 Philippus, Hispaniarum rex, cum Gallie rege, Auriaco procurante, & adjuvante, pacem facit, 3. Margareta Parmensi Belgium regendum tradit, ibid. & consiliarios ei certos adjungit, ibid. militem extraneum se remoturum promittit, sed valde iratus, 3, 4. decreta de hereticis inquirendis urget, 4. Auriaco, discedere à rep. cupienti, blande rescribit, 9. item Parmensi, ibid. ad quam binas literas dat, 20. & ad Maximilianum Cæsarem, ibid. de re Belgica Madriti, & Segoviam, consultat, 35. bellum decernit, ibid. de itinere in Belgium deliberat, ibid. ad Sabaudum, & Lotharingum, eo nomine legatos mittit, ibid. rem Belgicam ad Inquisitores desert, 41. edictum de rerum ante actarum venia promulgat, 63. idque iterum facit 129
 Protestantium libellus ad fœderatos per Brederodium Parmensi missus. 29
S Abina Bavara pro Egmundano marito liberando satagit 41
 Sconhovia in Auriaci partes transit, 82. ab Hiergio recuperatur 143
 Silva ducis à Parmensi frustra astu tentata, mox à Megensi obsidetur. 31
 Sparnodanum expugnatur 102
T Ergoesa frustra obsessa, 78 & deinceps.
 Tolosanus arma capit, 30. frustra Vissingam in potestatem redigere tentat, 31. Ostervela castra ponit, ibid. ubi oppressus, & profligatus. ibid.
V Valentiana præsidium admittere à Parmensi jubentur, 21. & recusant, ibid. obsidentur, 27. auxilium à principe Portiano non admittunt, ibid. libellum equitibus aurei velleris porrigunt, ibid. sese dedunt, ibid. à Lanovio, & Famarisio, recepta, 80. mox redduntur ibid.
 Veria Albani jugum exciuit, & Auriaci in partes transit 78
 Viana, Brederodii urbs, ab ipso munita, 30. ab Erico Brunsvicensi occupata, & in pagum redacta 35
 Viglius literas Philippi regis de edictis urgendis suppressendas aliquantisper censet, 4. ad regem scribit, & responsum accipit, 20. provincialium causam prudenti moderatione tuetur, 160. Vitrajectinis indicat, datum Albano successorem 76
 Vissinga à Tolosano frustra tentata, 31. præsidium Hispanicum ejicit, arcetque 76
 Vitrajectinus archiepiscopus cleri reformationem frustra tentat, 5. clerus Concilii Tridentini decreta non recipit, 43. Bruxellas ad Albanum deprecatur mittit, ibid. postulata Albani recusat, 59
 Vitrajectini ab Albano, lata sententia, valde mulctantur, 63. in Hispaniam ad regem mittunt Vesulium, ibid. valde vexantur. 72
W Oerda in Auriaci partes transit, 95
Z Elandie bona pars Albanum pro hoste habet 87
 Ziericzea obsidetur 146
 Zutphania à Bergensi capta 8. à Friderico Toletano recepta, & direpta. 98